LAVRENTII BEYERLINCK
THEOLOGI ET CANONICI
ANTVERPIENSIS

APOPHTHEGMATA CHRISTIANORVM.

Editio secunda.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA
BALTHASARIS MORETI.
M. DC. XXXI.

REV^{MO} DOMINO

D. IOANNI MIRÆO ANTVERPIENSIVM PRÆSVLI DIGNISS.

APOPHTHEGMATA CHRISTIANORVM, quæ, post alias & meliores curas, ex variorum Scriptorum viridariis tamquam flosculos quosdam excerpsi, & in ordinem distinctamque materiarum seriem redegi, REVERENDISS. atque AMPLISS. PRAESVL, alterius quàm AMP. T. honori dicare & consecrare, neque si velim, possum; neque si possum, debeo. Facit hoc ingens meritorum tuorum in Patrium hoc solum cumulus: facit insignis illa tua in me non modò benignitas, sed & beneficentia: faciunt ceteræ generosissimi tui animi virtutes, quæ hac temporum nocte suos radios passim dif-

 fun-

fundunt, ——*velut inter ignes*
Luna minores.

Dum enim fluctuantem inter errorum procellas ECCLESIAE tuæ nauiculam, ab alto illo culmine, non ſine doloris ſenſu intueris, centum oculis vigilantiſſimæ tuæ mentis FVTVRA PROSPICIENS, inſtar prouidi Naucleri, in id vnum deſudas, vt pacificè ſuo ordine in optatum portum dirigatur, eiuſque indefeſſus curſus nulla Sectariorum tempeſtate turbetur. Hinc (vt cetera pietatis officia tacitus præteream) in hoc Belgicæ ocello, cuius tu ipſe pupilla es, noua quadam inſitione SEMINARIVM iecisti primus; in quo alantur lectiſſimi iuuenes, certo numero, diſciplinâ, lege: qui non, vt alibi, primis litterarũ lineamentis detinentur; ſed ætate ſcientiaque maturiores, in ſacra rerum diuinarum adyta, domi foriſque ingrediuntur. è quibus ſeges eorum, qui non inter epibatas ſolùm & nauales ſocios, verùm ad ECCLESIAE gubernacula & clauum

collo-

collocandi. Teſtes horum & arbitri illi ipſi, quorum nunc duodeviginti ſua retia in animarum capturam explicant, DEO feliciter incrementum dante. ita vt cum Poëta exclamare hîc libeat,

O quàm fœcundo ſemina iacta ſolo!

Huic ergo SEMINARIO (PLANTARIVM meliore iure dixerim) me primum (vt ſic loquar) rigatorem dediſti. Stadium ſub initia arduum: quod & dies molliit, & indefeſſa T. PATERN. vigilantia; ac ſcopus vtrique noſtrûm præfixus, DEI CVM PROXIMI VTILITATE CONIVNCTVS HONOS. Neque ſanè hîc limitem fixit tuus in me amor. Quin, quod vel publico præconio effabor, alia illius ſymbola, ampliores teſſeræ. Vtpote qui me non ita pridem in Canonicorum huius vrbis ordinem, auxilio, præſidio, & auctoritate tuâ, ſuſtuleris. Quorũ omnium magnitudini cùm parem gratiam referre nequeam, adfero quod olim apud Alcinoum Vlyſſes, MVNVSCVLA HAEC GRATAE

MENTIS. Quæ eò etiam magis ſub ampliſſimi tui Nominis ægide in publicum exire volui, quò mihi certiùs perſuaſum, fore ſub eâ, aduerſus ipſum etiã Liuorem (omitto litterionum vulgus) tutiſſima: fore etiam eidem Ampliſſ. T. D. gratiſſima; cuius vel aliquo inſtinctu hanc velificationem direxi. Vnum ſupereſt; aliquale hoc beneuolentiæ cultuſque pignus, & eum qui illud defert, adfectu vt ſoles, vultu quo ſoles, admitte. Ita magnus DEVS te ECCLESIAE ſuæ Antiſtitem prudentiſſimum, PATRIAE parentem optimum, NOBIS Mæcenatem addictiſſimum vel vltra Neſtoris ſæculum ſeruet. cuius obſequio me, quid ni & mea? æternùm voueo, deuoueoque,

Laurentius Beyerlinck
Antuerpienſis.

Antuerp. Kal. Iun. M. DC. IIX.

AMI-

AMICO LECTORI S. D.

HABES *hîc, amice* LECTOR, APOPHTHEGMATA CHRISTIANORVM, *mente aliquamdiu à me & stilo concepta, nũc verò studio & ære ornatißimi viri* IOAN. MORETI, *de Repub. Litteraria optimè meriti, typorum cùm elegãtiâ tum varietate adornata. Instituti huius ratio fuit perpetuum meum in Litterarum cultores studium. quibus nihil æquè gratum & vtile facturum me existimaui, quàm si post alias curas, ad honestum otium datas horas voluendis reuoluendísque plurium Scriptorum (quorum hîc series) paginis impenderem, magis illustria ac cedro digna Christianorũ dicta notarem, & eam Maximam falsitatis insimularem,* Omnem ab Ethnicis in dicendo venustatem petendam. *Fateor non omnia ad amußim à me obseruata: quis enim modus aut finis? cùm quòd pleraque non satis honesta, quæ scombros potiùs vel thus metuant, quàm probis inseri mereantur: tum etiam quòd Scriptores ipsi vix notæ probitatis. è quorum tamen stercore, velut olim ex Ennio Lucius Crassus, aurum & gemmas colaui; vt*

quæ ab auis atauiſq; ſapienter aliquando dicta, eadem nepotes poſtumi ſapienter etiam dicerent. Et ne fortaßis quibuſdam vileſcat quidquid in hoc ſtadio à me fuerit deſudatum, erunt enim (vt ſæcula hæc ſunt) aut Marculus aliquis aut Lacon, qui faſtidiant, & nimis vncis naribus indulgeant; paucis huius operis tractationem libato. Materias ſingulas ad ſingulas etiam claſſes & domicilia reuocaui, ne indigeſta moles LECTOREM *meum terreat ſpernatq; abſinthium illud doctrinæ. In ipſis claßibus primum locum obtinent illi quos Sacra pagina celebrauit: imò quandoque ipſe eiuſdem auctor, & architectus noſtræ ſalutis* CHRISTVS; *à quo huius etiam operis etymon deſumſimus. Huic proximum ſibi vendicant ij, qui proximè Chriſtum ſecuti, ſuæ virtutis & conſtantiæ æmulam nobis memoriam reliquêre: quorum etiam palmas indefeſſo præconio memor veneratur Eccleſia. Poſt illos viri Principes vtriuſq; Ordinis ſedem ſuam ſortiti: primam quidem Eccleſiaſtici, alteram Sæculares: & id iuxta dignitatem etiam ſexus. Illis non ſemper ignobile vulgus ſuccedit. Cumq;, vt ſcitè & eleganter Horatius,*

Omne ferat punctũ, qui miſcuit vtile dulci,
Lectorẽ delectando, pariterque monendo:

Patrum quandoque ſententiæ, Philoſophorum placita, vel etiam Poëtarũ gnomæ, (præſertim ſi eadem

eadem illis cum ipso Apophthegmate aut dignitas aut venustas) velut flosculi quidam insiti, suam venerem etiam habent. Adde totius operis suauem nexum, tractationẽ facilem, stylum non tam eruditum quàm clarum: neque enim alium omnium manibus terenda, omnium oculis haurienda, materies postulabat. Frontem honestam propono, quæ vel primo adspectu tenebit trahetq́ue videntem. Quid enim hoc CHRISTIANORVM APOPHTHEGMATVM *nomine inter* CHRISTIANOS *augustius? Non erubuit tamen, nescio quo ausu, eius splendorem fœda calumniarum & conuitiorum caligine obumbrare, insulsus quidam & impurus stigmatici dogmatis tympanotriba apud Zutphanienses. qui dum frontem tam pio nomine fucatam præfert, bonam etiam mentem ementitus, conceptum Liliati sui patris virus euomit (vt summatim dicam) in omnes bonos: quibus neque ille, neque omnes ex eo cœno* —— digni præstare matellam: *eosq́ue deiicit, quos bonæ famæ superstes aura leuat. Hic vt in manus meas venit; bilem leuiter mouit: necdum tamen aut mentem, aut manum. quid enim hæc talium contactu maculem?*

—— nam nullo thure litabis,
Hæreat in stultis breuis vt semiuncia recti.

Ad te igitur redeo Lector, nouo tuo candori nouã hanc prolem insinuo. cuius infantiæ adhuc

 fragili

ſragili faue. vt enim lolium in meliori fruge, ita hîc leues maculæ: quibus ſi non minùs tu ad ignoſcendum, quàm ego ad corrigendum pronus; efficies profectò, vt laboris peracti nec pigeat vmquam, nec pudeat: & in paria ſubiecta currenti calcar addes, ſi ſenſero hoc, quale quale eſt, tuo candori non diſplicuiſſe. Vale, & me tui amantem mutuo amore proſequere. Antuerp. In Seminario Epiſcopali. Kalend. Maij, Anno Chriſti M. DC. IIX.

ODE

FRANCISCI VANDEN ZYPE

I. C. CATHED. ECCL. ANTVERP. CANON.

Ad Collegam ſuum

LAVRENTIVM BEYERLINCK

S. TH. L. DICTÆ ECCL. CANON.

In eiuſdem APOPHTHEGM. CHRISTIANA.

FOrmam ſupernis vultibus æmulam
Colore Zeuxis reddere viuido
Conatus, Agrigentum auaris
Perſpiciens oculis, puellas

Luſtra-

Lustrauit omnes; quas populo tener
Secreuit oris semideas decor,
Legit; peritâ, quà enitebat
Quæque, manu in tabulâ notauit.
Enata porrò est ipsa Laciniæ
Figura Diuæ, supra hominum decus
Mortale, Numini ferè illi
Par, animam sonitumque præter:
BEYERLINGE id ipsum prototypon tibi
Sumpsisti: ab istâ lineâ opus tuum
Ducturus, in volumen vnum
Fasciculumque operosus vnum
Cogis, quod vsquam est nil meritum premi,
Promiq; dignum; quod penitissimâ,
Egessit entheata virtus
Christiadum, meliore parte:
Sententiarum commoda pondera,
Salsos lepores, & lepidos sales,
Iocosque solertes, & acri
Ingenio genioque natos,
Et docta dicta, argutaque lemmata,
Responsa vatum dulcè furentium,
Oracla prudentum. Quid ergo?
Quantum opus hoc, cui pulcriorum
Rerum medullas inseris omnium!
Magnis deorum nisibus vt queat
Certare, securumque fati,
Effugere & Libitinam & vmbras.

AD

AD APOPHTHEGMATA CHRISTIANORVM Doctiss. V. LAVRENTII BEYERLINCK S. Th. L. & Canonici Antuerp.

Prosopopœia FAMÆ.

ILLA, *cui celeris quadriga linguæ,*
Illa, quæ cata remigat per ora
Auratis speciosa Fama pennis,
APOPHTHEGMATA SACRA *dum videret,*
LAVRENTI *studium tuum sagacis:*
O, inquit, Pietatis hausta condo!
O bellaria mentis! ô medullam!
Abscedant analecta senta mensæ
Gentilis, taceant mihi Catones.
Nam quid omnia scripta sunt profana
Si Patrum sacra dicta comparentur?
(Vero credite) vappa, fumus, error.
Sit quiddam reperire fæce gemmas,
Ditari Phariis manubiisq́ue:
Quid vis putidulos adire riuos,
Cùm fontes habeas salubriores?

Pangebat Iacobus de Buschere.

CEN-

CENSVRA.

OPvs hoc Apophthegmatum Chriſtianorum, à Laur. Beyerlinck Theologo & Canonico Antuerpien. concinnatum, elegans eſt & feſtiuum, lectionis & eruditionis multæ, vtilitatis magnæ, dignum quod imprimatur. Actum 9. Septembris, anno M. DC. VII.

Egbertus Spitholdius Canonicus & Plebanus Antuerpien.

SVMMA PRIVILEGII.

ALBERTI ET ISABELLÆ CLARÆ EVGENIÆ *Infantis Hiſpaniarum, Archiducum Auſtriæ, Ducum Burgundiæ, Brabantiæ, &c. Sereniſſimorum Belgij Principum, Priuilegio cautum eſt, ne quis* Apophthegmata Chriſtianorum Laurentij Beyerlinck Theologi & Canonici Antuerp. *præter voluntatem Balthaſaris Moreti, imprimat, aut alibi impreſſa in Inferioris Germaniæ ditiones importet, venaliáve habeat. Qui ſecùs faxit, confiſcatione librorum & alia graui pœna mulctabitur: vti latiùs patet in litteris, datis Bruxellæ* XVII. *Ianuarij* M. DC. XI.

Signat.

S. de Grimaldi.

Et in Concilio Brabantiæ.

I. de Buſchere.

AVCTO-

AVCTORES
Quorum ſcriptis in hoc Opere vſi ſumus.

Abdias.
Abrahamus Bucholzerus.
Adrianus Barlandus.
Ægidius Corozetus.
Ægidij ſententiæ aureæ.
Ælius Lampridius.
Æneas Syluius.
Albertus Crantzius.
Aloiſius Lippomannus.
Ambroſius Epiſcopus.
Ammianus Marcellinus.
Andreas Alciatus.
Andreas Eborenſis.
Andreas Schottus.
Angelus Politianus.
Annales { *Angliæ. Flandriæ. Galliæ. Germaniæ. Hiſpaniæ, &c.* }
Anſelmus Abbas Gemblacenſis.
Antonius Bonfinius.
Antonius Monachus.
Antonius Panormitanus.
Antoninus.
Arnobius.
Auctor Serm. memorab. Gallicè.
Auctor Florum ſermon. Hiſpaniæ, qui vulgò Floreſta inſcribitur.
Auguſtinus Epiſcopus.
Aurelius Prudentius.
Baptiſta Egnatius.
Baptiſta Fulgoſus.
Baptiſta Platina.
Bernardus Abbas.
Bernardinus à Buſto.
Bernardus Corius.
Bernardus Schardeonius.
Boëthius.
Breuiarium Romanum.
Bruſonius Conturſinus.
Cæſar Baronius Card.
Cæſarius Heiſterbacenſis.
Carolus Langius.
Carolus Sigonius.
Cedrenus.
Claudius Seiſſellus.
Conradus Lycoſthenes.
Conradus à Lichtenavv, qui vulgò Abbas Vrſpergenſis.
Conradus Monachus.
Dauid Cythræus.
Deſiderius Eraſmus.
Dionyſius Nycæus.
Dorotheus Monachus.
Edinerus.
Eginardus.
Egiſippus.
Euſebius.
Eutropius.
Franciſcus Hottomannus.
Franciſcus Patricius.
Franciſcus Robertellus.

Gaſpar

Gaspar Bruschius.
Gaspar Hedio.
Gaspar Peucerus.
Gaufredus de Bello-loco.
Georgius Richterus.
Georgius Sabinus.
Gerardus à Nazareth.
Godscalcus Hollen.
Gratianus.
Gregorius Magnus.
Gregorius Turonensis.
Guido Bituricensis.
Guilielmus Alanus.
Guilielmus Baldesanus.
Guilielmus Rastellus.
Guilielmus Tyrius.
Guilielmus Zenocarus.
Henricus Erphordiensis.
Henricus Farnesius.
Hermannus Gigas.
Hermolaus Barbarus.
Herodotus.
Hieronymus Osorius.
Hieronymus Platus.
Hieronymus Stridonensis.
Hinckmarus.
Horatius Tursellinus.
Hubertus Goltzius.
Hugo Ranulphus.
Iacobus Ianuensius.
Iacobus Poggius.
Iacobus de Voragine.
Iacobus Spiegelius.
Ioannes Agricola.
Ioannes Auentinus.
Ioannes Balæus.
Ioannes Bodinus.
Ioannes Bonauentura.
Ioannes Brugmannus.
Ioannes Cassianus.
Ioannes Chrysostomus.
Ioannes Climachus.
Ioannes Cuspinianus.
Ioannes Damascenus.
Ioannes Dauid.
Ioannes Duibrandus.
Ioannes Francisci.
Ioannes Frossardus.
Ioannes Gellus.
Ioannes Gerzon.
Ioannes Maffeius.
Ioannes Nobanus.
Ioannes Nauclerus.
Ioannes Peregrinus Petroselanus.
Ioannes Petrosius.
Ioannes Rauisius Textor.
Ioannes Selethus.
Ioannes Sleidanus.
Ioannes Spinæus.
Ioannes Stobæus.
Ioannes Viguerius.
Ioannes VVolfangus.
Ioannes Xiphilinus.
Ioannes Zonaras.
Ioannes Zieglerus.
Iosephus historicus.
Iosephus à Costa.
Iouianus Pontanus.
Iustinianus Imp.
Iustus Goblerus.
Iustus Lipsius.
Lambertus Schafnaburgens.
Laurentius Surius.
Lucas Euang.
Lucius Marinæus.
Luitprandus.
Ludouicus Aurelius.
Ludouicus Granatensis.
Ludouicus Viues.

Marcus Ant. Sabellicus.
Marcus Marulus.
Marcus Euang.
Martinus Azpilcueta.
Martyrologium Rom.
Matthæus Euang.
Matthias Castritius.
Maximus Monachus.
Melchior Soiterus.
Michaël Sidonius.
Natalis Beda.
Nicephorus Callistus.
Nicetas.
Nicolaus Reusnerus.
Nicolaus Sanderus.
Onuphrius Panuinus.
Osbertus.
Palladius Blosius.
Paulinus Pontius.
Paulus Æmilius.
Paulus Diaconus.
Paulus Iouius.
Paulus Osorius.
Petrus Canisius.
Petrus Crinitus.
Petrus Damianus.
Petrus Matthæus.
Petrus de Natalibus.
Petrus Opmerus.
Petrus Ribadeneira.
Philippus Camerarius.
Philippus Cominæus.
Philippus Diez.
Possidonius Olbiopolita.
Possidorus.
Procopius.
Raphaël Volaterranus.
Reinhardus Hadamarius.
Robertus Gaguinus.
Ruffinus.
Saxo Grammaticus.
Sebastianus Munsterus.
Segeri Chronicon.
Simeon Goulartius.
Simeon Metaphrastes.
Socrates.
Sozomenus.
Sulpitius Seuerus.
Suidas.
Theodoretus.
Theodorus Zvvingerus.
Thomas Morus.
Thomas Stapletonus.
Timotheus Berck.
Trochonus.
Victor Vticensis.
Victorinus Strigelius.
Vincentius Bellouacensis.
Vincentius Mainardus.
Zacharias Lipelloo.

LAVREN-

Lavrentii Beyerlinck Antverpiensis

APOPHTHEGMATA CHRISTIANORVM.

ABSTINENTIA.

Iesvs Christvs.

Vt à quo Religionis nostræ, ab eodem etiam huius operis sumatur exordiũ: Dominus ac Salvator noster ingressus domum Marthæ in Bethaniâ, ab eâdem vtpote matrefamilias benignè excipitur. quę cùm satageret circa frequens ministerium (vt loquitur Scriptura) solicita, quænam fercula tanto digna hospite apponeret, & ob id sororis etiam ministerium sibi necessarium reputaret, ait: Domine, non est tibi curæ, quòd soror mea reliquit me solam ministrare? dic ergo illi, vt me adiuuet. Et respondens dixit illi Dominvs: *Martha, Martha, solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessariũ.* q.d. In vanum turbata es, vt plura fercula mihi, qui hæc despicio, apponas: cùm vnum condimentum dumtaxat nostræ refectioni sit necessarium. (ita Stella in expositione loci.) tacitè insinuans, quod habet Ecclesiast. cap. 37. In multis

 escis

eſcis non deerit infirmitas;&qui abſtinens eſt, adijciet vitam. Lucas cap. x.

EADMVNDVS CANTVARIEN. ARCHIEPISC.

Quàm benè Dominici præcepti conſilijq. memor EADMVNDVS cui,licet Archiepiſcopatus honore pręfulgeret,nihil prius optabiliúſve,quàm ſine arte menſa. nullo namque ciborum delectu, crebriùs ſolam frigidam, & fruſtum panis pro delicijs ſumpſit. rogantique cur in tantum abſtineret; *Quia*, inquit, *non mihi curæ corpus paſcere, ſed ſuſtentare*. & ideò cibauit eum Dominus pane vitæ, & intellectus, & aqua ſapientiæ ſalutaris potauit illum. Oſbertus, & alij, in vita.

S. HILARION.

Dignus,qui cum priore certet,ille. Intemperantiæ namq. & laſciuiæ ſtimulis agitatus, quandoque hunc ſecum ſermonem miſcebat: *Ego te aſelle faciam vt non calcitres: nec te hordeo alam, ſed paleis: fame te conficiam, & ſiti: graui onerabo onere, vt cibum potiùs quàm laſciuiam cogites*. Sciebat enim,vt refert in Epiſt. Hieronymus, à patre Libero ad inconceſſam Venerem gradum eſſe proximum intemperantiæ. Hieronymus in vita.

ISIDORVS XENODOCHVS.

Hic verò cùm ſæpiùs menſæ accumbens in lachrymas reſolueretur, quánam de cauſâ id faceret,rogatus:*Pudet me*, reſpondit, *veſci cibo à ratione alieno, cùm ſim & ratione præditus, & futurus in Paradiſo deliciarum, & ambroſiæ nutrimento ſatiandus*. Et eccui non vileſcant cibi terreni,ſi cum æternis illis eos conferat? Palladius in vita.

HELLEN ABBAS.

Ardebat is aliquando ſummo mellis deſiderio: cumque

cumque præter opinionem fauos reperiſſet, appetitui frenos inijciens, dicebat: *Recede à me intemperans cupiditas*. Non ignorabat vir ſanctus, quanta virtus foret placitis abſtinuiſſe bonis. Palladius in vitis PP. cap. 59.

Franciscvs Borgia.

Vide titulum de Afflictione.

Ivlianvs Imp.

At ne religioſos Deoque dicatos tantùm in hoc virtutis genere excelluiſſe quis arbitretur; paucos etiam alterius Ordinis ſubijciam, ne eiuſdem laudis commemorationem illis videar inuidere.

Ivlianvs Imperator, etiam poſt fœdatam in ſe auitæ Religionis imaginem, non paruam huius virtutis ſcintillam produxit; cùm è palatio, velut ad nihil vtiles, pelleret eunuchos, tonſores, & coquos. Roganti enim cauſſam, reſpondebat: *Eunuchis mihi iam non eſt opus, functa vxore. Vnicus tonſor pluribus ſufficiet: & cùm nulla palato arrideant bellaria, coquum non requiro.* Vtinam illi de aſſentatoribus par iudicium! Socrates Eccl. hiſt. lib. 3. cap. 1. & Ammianus lib. 22.

Theodosivs Ivnior.

Et hic venatum egreſſus, non conſcijs viæ ſtudijque ſocijs, ad Monachum diuertit: qui licet Imperatorem agnoſceret; æſtu tamen curſuque fatigato, panem aceto maceratum, & oliuæ liquorem appoſuit. O virtus, quid non facis vbi nobiliora ſemel ingenia occupaſti? comêdit Imperator, bibit frigidam fonte receptam: tandemq. ſe Theodoſium confeſſus, *Verè, inquit, tibi affirmo Pater, nunquam me in palatio tanta cum voluptate cibum ſumpſiſſe.* Ita ante eum Darius ab Alexandro fugatus, cùm

inediæ telo compulsus aquam turbidam & cadauerum squallore inquinatam hausisset, se vnquam iucundiùs bibisse negauit: nunquam enim sitiens biberat. Cedrenus.

RVDOLPHVS IMP. AVSTRIACVS

Eiusdem virtutis splendore, vti & natalibus, præfulgebat. Quippe dum aduersus Ottocarum Bohemiæ Regem castra mouisset, ac graui commeatus (potus præsertim) inediâ laboraret; ferunt colono, qui fortè collegis messoribus siceram hauserat, ablatam hydriam, ei fuisse oblatam. quâ visâ; *Reddite*, ait, *homini vasculum: ego enim non mihi, sed exercitui sitiebam.* & ita exercitum suo exemplo ad sitim fortiter tolerandam inuitauit. Æn. Syl. lib. 3. Commentar. in res gestas Alphonsi.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Neque hic minori commẽdatione dignus. Cùm enim, fuso profligatoq. Iacobi Caudolę exercitu, sine tentorijs ac commeatu pernoctaret, eiq. Ioannes Esernitanus raphanum vnum ac panem cum dimidiato caseo misisset; recusauit, dicens: *Non decet Imperatorem ieiuno exercitu mandere.* Panormit. lib. 3. de gestis Alphonsi.

PYRRHINICVLVS VASCO.

Is peregrè iter faciens, cùm ad meritoriam tabernã venisset, & apposita esset cœna omni ex parte olitoria, vinumq. admodũ dilutum; breui refectione præuia, medicum ad se vocari, cui mercedẽ persoluat, mandat. Indignatus caupo, Ecquid malum! ait, in viculo tam agresti medicum requiris? Cui ille: *Tun' ô bone teipsum ignoras? quò sit merces operæ tuæ par, medici pretium accipe, non cauponis.* Sentiebat enim frugalitatem sobrietatemque

que optimam hominis medicinam. Adrianus Barlandus.

CANTACVZENVS MAGNVS.

Et hic, dum ob prosperum rerum euentum Genio merum largiùs funderent proceres, ne modestiæ temperantiæque limites excessisse videretur; in ore,& mente: *Nunc me sobrium oportet, cùm alij non ebrij esse non possint.* Non ignorabat, prosperos rerum euentus humana ingenia explorare. Niceph. Greg. lib. 9.

FREDERICVS IMPERATOR.

Ille etiam abstinentiæ cultor eximius: intellexerat aliquando Leonoram coniugem, ex quâ nullam prolem suscitauerat, facilè fœcunditatem consecuturam, modò vino (à quo semper abhorruerat) pręsertim in Germaniâ, frigidâ regione, vteretur: *Esto*, inquit: *malim vxorem sterilem, quàm vinosam*. Æn. Syl. lib. 2. Comment. de gestis Alphonsi.

LEONORA IMPERATRIX.

Succedat Augusto sua Augusta: quæ, tantum abest vt iniquo animo sui mariti responsum acciperet, vt etiam palàm profiteretur: *Etsi domini mei* (coniugem appellans) *iussioni tam libens pareo, quàm vino; si tamen vini vsum mandauerit, mori optarem, quàm parêre.* Idem.

ABVSVS RERVM.

PHILIPPVS GALL. REX.

ABstinentiæ se comitem præbet ABVSIO. vt ita opposita iuxta se posita magis illucescant. Quid enim temperato rerum vsu præclarius? inor-

dinato verò quid perniciosius? Intuebatur aliquando Histriones & Circulatores magnam populi frequentiam ad se allicere Christianissimus Rex PHILIPPVS : & ad proceres conuersus; *Histrionibus*, ait, *& huiusmodi farinæ hominibus pecunias dare, nihil aliud, quàm dæmoni sacrificare.* Videbat Rex prudētissimus, quantus esset pecuniarum, quæ in similes homines insumuntur, abusus. Vincent. in Spec. hist. lib. 29. cap. 41.

LVDOVICVS XI. FRANC. REX.

Cùm ad eum referret quidam, hominem illiteratum, at curiosum, numerosam & insignem instaurasse sibi Bibliothecam; subridens, *Verè*, inquiebat, *hic gibboso comparandus: qui cùm gibbi onus in dorso ferat, nunquam illud intuetur.* sentiens abusum esse, librorum copiam comparare, quibus vti nescias. Corozetus in Dictis memor.

DOCTOR ANONYMVS.

Redarguentibus hunc, quòd docendo non modò nihil proficerent auditores, sed & deficerent; *Non id meo*, respondit, *sed suo vitio imputent*. Innuebat enim tacitus, quod olim simili responso Theodorus Atheniensis: quòd doctrinam, quam ipse dextrâ porrigeret, sinistrâ exciperent. Auct. serm. Conuiuial.

SIGISMVNDVS IMP.

Quid autem iste? Magnoperè apud eum laudabat quispiam fœneratores, quòd etiam dormientes quæstum facerent: *At tu*, inquit, *vigilando omnibus abuteris, & consumis.* egregiè eius prodigalitatem perstringens. Æn. Syl. lib. 4. Comment. in gesta Alph.

ACCV-

ACCVSATIO SVI.

ANACHORETA ANONYMVS.

VEluti proximus ad conuersionem gradus est peccati agnitio;ita etiam sui de eodem Accusatio. Quare rogatus ANACHORETA, quam potissimùm ad cęlum viam inuenisset, respondit: *Si se homo semper accuset.* Doroth.doctr.7.

S. ANTONIVS.

Et hic eiusdem mentis: sciscitanti namque cuidam, quámnam humani operis partem maximam existimaret; *Eam*, inquiebat, *quæ peccatum proprium in conspectu Dei ponit.* Ibidem.

IVLIANVS IMPERATOR

Cùm pro tribunali sederet aliquando, accusatus apud eum quidam peculatus, qui argumenta omnia in se contorta alacriter refutabat: dumque causidicus argumenti ac documentorum inopia percitus, diceret: Quis vllius criminis pœnas dabit, si reo inficias ire proderit? IVLIANVS, *Ecquis*, ait, *insons erit, si accusatori crimine non probato habeatur fides?* Zonaras tom. 3. Annal.

ACVTE DICTA.

CORNELIVS PONTIFEX.

NOn infrequens est, vt ex dicentis loquentisque verbis, eiusdem genium ingeniumque cognoscamus. & si viua vox omnis (vt est in prouerbio) suam habeat elegātiam & energiam: quantò magis, si ad eam acuta quędam venustas accesserit? Eius itaque nunc exempla aliquot ex vtroque

ordine in medium adducemus; licet quilibet huius operis titulus sua etiam habeat, quæ aliàs vix futura Apophthegmata. Acie itaque hîc ducat CORNELIVS PONTIFEX, qui Nouatianum redarguens, quòd se inuitum ad Pontificatum euectum iactitaret: *Si inuitus*, inquit, *Nouatiane designatus es Pontifex; probabis, cùm volens secesseris*. quo dicto, eius intẽperatam oris proteruiam repressit; & quàm vanè gloriaretur, declarauit. Platina in vita.

LEONTIVS EPISCOPVS ANCYRÆ.

Ille etiam rari ingenij vir, cùm in grauissima illa Antiochena de fide dissensione sententiam suam palàm proferre non auderet, caput canis albicans iteratò demulcens, dixisse fertur: *Niuem hanc solutam multum luti subsecuturum est*. Ænigmate hoc obscuriùs indicans, dissonantiam eam se mortuo in seditionem euasuram. Histor. Eccles. Euseb.

SISINNIVS EPISC. NOVAT.

Nec minùs in respondendo acutus iste. Abstulerat Nouatianis Ecclesiam Leontius Ancyræ Episcopus: accedit SISINNIVS, eam reddat, postulans. Cui alter: Quid? inquit, vos Nouatiani pœnitentiam tollitis, & Dei benignitatem ab hominibus clauditis? respondit SISINNIVS: *Neminem adeò pœnitet, quàm me*. cui rursus Leontius; Quomodo te pœnitet? *Quòd te videam*, inquit SISINNIVS. Socrates lib. 6. Histor. Eccles. cap. 20.

IDEM.

Dicenti sibi D. Ioanni Chrysostomo, vnam ciuitatem duos Episcopos habere non posse: *Nec habet*, ait SISINNIVS. quod cùm ęgrè ferret Ioannes, & inferret; Ergo tu solus vis esse Episcopus? respondit: *Neque hoc dico: sed quòd apud te solum*

non

non ſum Epiſcopus; qui tamen alijs ſum Epiſcopus. Ibidem.

Pavlvs II. Pont. Max.

Hic cùm Præfecturam Rhodienſem, à Gallo exhauſtam, Hiſpano commiſiſſet gubernandam; plures eius mutationis cauſſam ſciſcitati. quibus ille: *Gallicus morbus, Hiſpano medico erat curandus.* quòd nempe Galli profuſiores, Hiſpani frugaliores eſſent. Platina in vita.

Leo x. Pont. Max.

Et in hunc præclaras ingenij dotes natura effuderat, ita vt neſcias, an in ſacro illo ordine reperias ſuperiorem. Venit quandoque ad eum quiſpiam artis chimicæ peritus, offerens libellum, quem de auro conficiendo è quauis pænè materiâ ingenioſè, non tamen efficaciter, conſcripſerat. miratur ingenium hominis Pontifex, magnaq. exſpectantem, vacuâ crumenâ donat: &, *Auro te donarem,* inquit, *verùm cùm illud conficiendi certam ſcientiam promittas, id vnum tibi ſuffecerit (ſi eam ad effectum deducas) vt habeas in quo tuum aurum reponas.* Corozetus, & alij.

Constantinvs Imperator.

Neque hac dicendi vrbanitate & venere caruiſſe ciuilem ordinem, ex ſubiectis liquidò conſtabit. Cùm Aceſilaum Nouitianorũ Antiſtitem in Concilio multa effutientem audiret Constantinvs; & inter alia, ſpem remiſſionis à ſacerdotibus nullatenus exſpectandam, ſed à Deo: *O Aceſi,* exclamat, *pone ſcalam, & ſi potes, ſolus aſcende in cælum.* eiuſdemque improbitatem & pertinaciam hoc dicto compeſcuit. Hiſtor. Tripart. lib. 11. cap. XIII.

LVDOVICVS XII. FRANC. REX.

Ille instanti vrgentiq. coniugi, Claudiam filiam Carolo Maxæmiliani Cæsaris nepoti desponderet; *Visne*, ait, *clitellas asini equorum ephippijs præferri?* & assumpta parabola, subdidit: *Principio ceruas cum ceruis amplioribus cornibus natura insigniuit: at cùm ceruæ se maribus ceruis præferrent, indignatus Deus, excornes prodirent, imposterum imperauit.* P.Æmil. in vita.

COMES NASSOVIÆ.

Erat & hic, vt bellicâ virtute, ita & sagaci ingenio clarus. quippe castrorum Cæsarianorum ductor, cùm præter Cæsaris opinionem diutiùs in Peronæ Franciæ opidi obsidione moraretur; ab Hungariæ regina Caroli filia reprehensus, quòd in expugnatione columbarij (ita Peronam nuncupabat) tantam moram necteret; *Fateor*, dicebat, *Peronam columbarium: verùm alit robustas & alacres columbas, quæ se ægrè capi permittunt.* Theat. vit. hum.

MENDICVS ANONYMVS.

Elisabetha Angliæ Regina, cùm fortè ad templum deformatæ religionis dogmata auditura procederet: mendicum ad templi fores incubantem, stipemque exigentem conspicata, vt erat ingenio facili, *Eia*, inquit, *quàm verum illud adagium, Pauper vbique iacet.* quo audito ille, nihil cunctatus (erat enim ex eo genere, quos cùm laboris pertædet, mendicitatis studium etiam literatos quandoque delectat) respondet,

In thalamis Regina tuis hac nocte iacerem,
Si foret hoc verum, Pauper vbique iacet.

Incerti auctoris.

BOYAR-

BAYARDVS, CAPITANEVS F. R.

Iſte etiam, diſſidentibus inter ſe Carolo V. Imperatore, & Franciſco Galliarum Rege, cùm ei opidi Metiſci cuſtodia obtigiſſet, & Franciſcus à Stritigen aduerſæ partis ductor opidum ſibi tradi per internuntios rogaſſet, reſponſum hoc referri iuſſit: *Equi Francici* (quos Bayard appellant) *non timent Rouſſinos* (equorum genus) *Alemannicos*. ita ſimul animi fortitudinem, promptitudinemq; expreſſit. Corozetus.

COSMVS MEDICES.

Nolim hîc COSMVM prӕterire, qui à Stroſſianis in exilium ad Benacum pulſus, dum ad eum veniſſet qui rogaret quidnam ageret, ? reſpondit: *Galliæ incubanti frequens adſum, vt eius poſtmodum fructu potiar*. Inſinuabat autem, ſe aſſiduè de reditu cogitare, quem poſtmodum eſt conſecutus. Egnat. lib. 7. cap. 2.

Require ARGVTE DICTA ET RESPONSA.

ACTIO, EIVSQVE NECESSITAS.

IESVS CHRISTVS.

CVm iuſtitiam ſolus ille verè dicatur noſſe, qui eam facit, iuxta Auguſtin. ſuper Pſalm. adeoque, vt in Officijs ſentit eloquentiæ parens, omnis virtus in actione conſiſtat: quàm præclarè de hoc laudis ac virtutis genere locuti ſint Chriſtianorum plerique, nunc perſequi propoſitum eſt. Et vt à CHRISTO ipſo exordiamur; cùm ad eum, in vinculis ab Herode detentus Ioannes, duos ex diſcipulis ablegaret (idque vt eam doctrinam quã pridem

pridem de Christo imbiberant, altè retinerent) qui dicerent: Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus? inquirebant autem de vero Messia: ipse eorum ignorantiam prudenter dissimulās, ac Ioannem docere se fingens, *Euntes*, inquit, *renuntiate Ioanni, quæ audistis, & vidistis.* tunc tandem sufficiens cognitionis cuiuspiam argumentum esse insinuans, si actio doctrinæ confirmetur. Matth. cap. 9.

IDEM.

Legisperitum se tentantem, ac curiosiùs inquirentem, Quid faciendo vitam æternam possidebo? quid, & quomodo legeret, interrogabat. quo dilectionis mandatum recitante, subiungebat: *Rectè respondisti, hoc fac, & viues.* q. d. Non diligas verbo & lingua: sed opere & veritate. Luc. cap. 10.

IDEM.

Interrogantibus Iudæis, Si tu es Christus, dic nobis palàm; respondit: *Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc testimonium perhibent de me.* Verum de se, ac quouis alio, iudicium ex actionibus desumi vult; veluti de arbore iudicatur ex fructibus. Ioannes cap. 10.

PAMBO ABBAS.

Neque in hoc ab Antesignani sui vestigijs aberrarunt viri sancti; quorum nonnulla præclara dicta factaque subnectam. Prodit se inter eos primus PAMBO ABBAS: qui cùm religionis & pietatis gloria præfulgeret, literarum tamen expers, pio feruentique affectu petijt à quodam doceri Psalmos. verùm doctore illo suæ doctrinæ initium sumente à Psalmo 38. eiusque primum versiculum (Dixi,

(Dixi, Custodiam vias meas, vt non delinquam in linguâ meâ) memoria ediscendum proponente; ceteros audire renuit, dicens: *Si hūc opere compleuero, reliquis vix mihi opus.* Cumque post menses aliquot rogaretur, cur à cœpto opere animum auerteret: *Quia*, ait, *priorem illum versiculum necdum opere compleui.* ac demum percontanti post multum temporis, an tandem eum didicisset; respondit: *Quadraginta & nouem anni sunt, & vix eum opere implere valui.* Socrat. Tripart. hist. lib. 8. cap. 1.

S. ÆGIDIVS.

Et hic Pambone hoc in genere non inferior. Increpabat enim iudicem, quòd cùm se Deo credere assereret, bona nihilominus temporalia ęternis anteponeret; eoque interrogante, An ergo tantum opere exequitur homo quantum credit? respondebat: *Sancti & iusti, bona quæ studuerunt ac potuerunt facere, opere conati sunt adimplere. Si autem opere non potuerunt, pio saltem desiderio operis defectum suppleuerunt.* Ex sent. aureis eiusdem.

IDEM.

Roganti se, vtrùm præstaret verbum Dei populo annuntiare, an opere exequi; subridens, *Dic mihi*, ait, *vtrùm è duobus tu plura meritum arbitraris; eum, qui ad S. Iacobum v. g. peregrinationis caussa properat; an illum, qui eò perueniendi viam demonstrat?* innuens factores legis apud Deum iustificandos. Ibidem.

IOAN. ABBAS.

Venerant ad eum moribundum fratres, breue aliquod vitæ documentum petituri. quibus ille ingemiscens; *Nunquam*, ait, *propriâ voluntate fretus quicquam feci: nec alium docui, quod priùs ipse non fecerim*

cerim. In vitis PP. cap. de eorum profectu.

FRANÇISCVS BORGIA SOC. IESV.

Neque hunc calamo prætereundum duxi, qui Eboræ agens, dum ſexta feria aggregatis Socijs, vt more antiquorum patrum collationibus ſacris vacarent; rogaretur ſententiam; hoc tantùm, *Opera*, inquit, *verbis præſtant*. In vita eiuſdem lib. 4. cap. 1.

ADMONITIO.

S. IOANNES BAPTISTA.

VEniamns nunc ad ſalutis æternæ, magnarumque rerum non exiguum incitamentum, ADMONITIONEM ſeriam: cuius admirabilē virturem, vt Saluatorem noſtrum, cuius tota vita continua ad benè beateque viuendum adhortatio exſtitit, omittamus, eiuſdem Præcurſor ſuâ prædicatione oſtendit. Cùm enim mandatorum Dei tranſgreſſores ab electorum cōſortio ſeparandos proponeret, & circumſtās turba de ſalutis obtinendæ medio inquireret, dicens; Quid ergo faciemus? reſpondit: *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet eſcas, ſimiliter faciat*. Venientibusque Publicanis vt baptizarentur, ac idem interrogantibus; *Nihil*, ait, *amplius, quàm vobis conſtitutum eſt, faciatis*. q. d. Ne amplius extorqueatis in veſtrum vſum, vltra id quod præſcriptum eſt à Principe. Et militibus idipſum percontantibus; *Neminem*, inquit, *concutiatis*: videlicet opprimendo, aut corporaliter affligendo: *neque calumniam faciatis*: extorquendo ab innocentibus vobis indebita. *Contenti eſtote ſtipendijs veſtris*. quæ nempe vobis acceptantibus

bus, sunt pro militiæ laboribus constituta. Luc. cap. 3.

S. Ephræm.

De hoc quoque memoriȩ prodidit Surius: quòd, cùm inuerecundè meretrix eius concubitũ postularet, solicitus qua ratione eam ad meliorem reduceret mentem, conditionem propositam ratam habuerit, dicens, Si vis nos ambos simul dormire, vbi tibi dixero; placet. arripit illa sermonem, & locum inquirit. quo respondente; In medio ciuitatis: Quid, inquit illa, nonne aperto rubore suffundemur, id palàm cõmittere ante conspectum omnium? Cui vir pius, quasi conuersionis eiusdem ansam accipiens; *Si ergo*, ait, *hominum oculos sufficere putasti, ad pudore conficiendam animam, & à malâ actione abducendam: Dei oculos qui omnia intuentur, non multò magis reuerebimur, & extimescemus?* Ita quæ voluit capere impatibilem & castam animam, diuino spiritu capta est, & tam seria adhortatione ab errore conuersa. Sur. tom. 1. in vita.

Abbas Olympius.

Supra modum hac Exhortationum laude claruerunt plurimi Anachoretarum & Monachorum: quos Bibliothecæ SS. PP. alijsque operibus insertos reperimus: nos vno aut altero contenti erimus. Olympius Abbas aliquod dogma à se requirenti, respondebat: *Vbicunque sederis, dic assiduè, Peregrinus sum*. Breuis sententiæ profundum mysterium. Ecquis enim se peregrinum hîc reputans, non omnia facilè vtpote aliquando relinquenda, contempserit; & ad veram illam supernorum ciuium mansionem suspirauerit? Prat. Spirit. cap. 12.

Abbas

ABBAS ELIAS.

Et ille, vt insignius aliquod elogium proferret, interpellatus; *Diebus*, ait, *patrum nostrorum tres istæ virtutes in amore & studio apud Monachos erant: Nuditas rerum omnium, Mansuetudo, & Continentia. quorum in locum successêre Auaritia, Gula, & Audacia. quod horum tibi placet, arripe.* Quàm verè omni in statu & ordine illud obtinet?

Ætas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores: mox datura
Progeniem vitiosiorem.

Ibid. cap. 32.

THEOTECNVS EPISC. CÆSAREÆ PALÆST.

Circa tempora Galieni Imperatoris, Marinus vir genere & virtute illustris, pro tribunali vocatus quòd Christianus esset, cùm trium horarum spatium ad deliberandum à Iudice accepisset; egressum THEOTECNVS eius loci Antistes ad colloquium inuitat, & prehensa manu in Ecclesiam ducit: quē cùm interiùs ad ipsum Sanctuarium collocasset, læua paullulum in alteram partem dimota, gladium quo erat accinctus ostendit; & ex aduerso Euangeliorū codicem proponit: præcipitque, vt ex duobus, quod magis esset ex animi sententia, seligeret. vbi verò manu protensa absque cunctatione Euangelium accepit; ita eum affatus Præsul: *Tene, & adhæresce Deo. Sic enim ab eo roboratus, quod in optatis est, certò assequêre. Abi in pace.* In tantum hæc verba apud eum valuerunt, vt per præconem ad tribunal reuocatus, maiorem fidei ardorem studiumq. declarans, actutum inde vt erat ad supplicij locum ductus, martyrium constanter subierit. Euseb. histor. Ecclesiast. lib. VII. cap. XIIII.

S. LVDO-

S. LVDOVICVS EPISC. TOLOSANVS

Coniunctissimo sibi collegę iniunxerat, vt si quę præter decorũ obseruaret, sine dissimulatione corriperet ac moneret: qui dũ crebriùs id faceret, & liberiùs fortassis quàm par erat, ab alijs ipse correptus & admonitus. quibus LVDOVICVS; *Amici*, inquit, *monendi sunt & obiurgandi: vera enim amicitia quod sentit, dissimulare nescit*. Ex membrana manuscripta in Biblioth. FF. Minorum Louanij.

ANTONIVS SYLVERIA LVSIT.

Dandum nunc aliquid ciuilis ordinis exemplis, vt prioribus inspersa, varietate ipsa delectet. Diensis arcis Præfectus ANTONIVS SYLVERIA Lusitanus, conspicatus Turcarum classem ad præfatam arcem expugnandam aduentare, ad commilitones conuersus, in hæc verba prorupit: *En viri, tempus nunc, acceptam à maioribus gloriam bellicam, debitamque tum Deo tum Regi fidem, nobis ob oculos ponendi*. Profuit præsens Ducis animus, & de hostibus vix speratam victoriam reportauit. I.P. Maffæus hist. Ind. lib. XI.

VXOR IVLIANI PRÆFECTI.

In hoc quoque virtutis genere muliebris sexus suâ laude non est fraudandus. Directurus Iuliani Apostatæ imperio sacrata Deo vasa è Christianorum tẽplis eiusdem Præfectus IVLIANVS, aduersus sacram aram (horret animus meminisse) in conspectu omnium, vesicam exonerat. non sustinet tantum nefas Ezoius, vir pietate & religione summus: & prohibere conantem alter in faciem cædit; dicens, Quid? non vides res Christianorum omni Dei cura & prouidentia destitui? At vltori Deo meritas pro scelere pœnas dedit. In morbum enim

prolapsus, visceribus putredine exesis, ipsas naturæ sordes contra naturam, etiam per sacrilegum os, blasphemiæ instrumentum, egessit:ad quem tunc Christianâ fide nobilis vxor; *Debes*, ait, *meritò mi marite Christum Saluatorẽ laude prædicare, quòd tibi hac castigatione suam potentiã declarauit. Ne enim te lateret quem oppugnaueris, solita sua lenitate vsus, has plagas tibi inflixit*. Miser itaque cùm coniugis oratione, tum cruciatu intolerabili, morbi caussam agnoscens, frustrà Imperatorem, vt ablata restituat, orauit: & ipse extemplò hac vitâ migrauit. Theodor. hist. Eccl. lib. 3. cap. 12.

PLACILLA THEODOSII IMP. VXOR.

Hæc etiam de salute mariti solicita, cùm eum prosperis rebus elatum supra modum, ideoque ab auitæ pietatis studio alienum animaduerteret, adhortari subinde non destitit, & hoc eum sermone compellare: *Considerare te oportet coniux, quis anteà fueris, & in quem locum te euexerit vniuersitatis conditor: & sic eum, qui tibi vt fideli ministro Imperium commisit, ritè decenterque coles.* Niceph. Callist. lib. 12. hist. cap. 42.

EADEM

Coniugis sui superbiam arrogantiamque ita aliquando prudenter moderabatur: *Cogita*, inquiebat, *priuatum te hominem fuisse; atque nunc præ cæteris ad Romanæ Reipub. gubernacula adscitum, non vt superbires, sed te hominem cogitares; varijs perinde ac subditi fragilitatibus obnoxium.* Lycosth.

ADVER-

ADVERSITAS. RES ADVERSÆ.

S. LVDOVICVS EPISC. TOLOS.

QVàm firmã ormatamq. in arduis rebus mentẽ Romani illi Athletæ ſeruauerint; teſtantur eorumdem monumenta poſtumę ætati relicta. Verùm ne & nos hac laude caruiſſe quiſpiam arbitretur; paucos ſub breuitate tranſcurremus, qui eadem claruerunt. Cogitanti autem ſe prodit LVDOVICVS Toloſanæ Eccleſiæ Antiſtes. Hic vix annos pubertatis egreſſus, Cathaloniam obſes à patre mittitur: vbi ſeptennium carceri incluſus, cùm rogaretur, quî tam æquam tot rebus aduerſis mentem ſeruaret; reſpondit: *Aduerſa Dei amicis plus conducunt, quàm proſpera. Tunc enim Deo ſubditi ſumus, quando aduerſis vrgemur.* In eamdem ſententiam Sil. Ital. lib. 7. bell. Pun.

Tanta, inquit, *adeò, cũ res trepidæ, reuerẽtia Diuûm Naſcitur.*

ex membrana manuſcripta in Bibl. FF. Minorum Louanij.

S. MARTINVS TVR. EPISC.

Vide DEI BENIGNITAS, CVRA, &c.

FRANCISCVS BORGIA, SOC. IESV

Temperato tranquilloque animo vir, cùm aduerſa incidiſſent, immotus permanebat: eiusque in ferendo conſtantiam admirantibus, dicebat: *Res humanas, vt quæ nihil ad nos attinent, in minimis pono.* &, *An abbreuiata eſt manus Domini, vt ſaluare nequeat? quid timeamus? Si Deus pro nobis, quis contra nos?* In vita eiuſdem lib. 4. cap. 6.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Vt & his alterius ordinis exempla subiungamus, monet genere, & virtutum omnium gloria illustris ALPHONSVS ARAGONIVS. qui cùm partes Ioannæ Neapolis reginæ, vi & auxiliaribus copijs tuendas suscepisset, dehortantibus propinquis, ne se temerè periculo exponeret: *Non abhorreo*, inquit, *pericula, sine quibus nemo vnquam gloriam consecutus est*. Præclara magnanimi Regis vox, quam sera posteritas haud immeritò stupeat. Panormit. lib. 1. cap. 2. de Rebus gestis eiusdem.

WENCESLAVS BOHEMIÆ REX.

Et is cum toto exercitu fusus fugatusque, dum in manus hostium incidisset, & captiuus detineretur; rogatus, quónam animo esset, *Nunquam*, respondit, *meliori. Dum enim omnibus humanis præsidijs vallatus essem, vix de Deo cogitandi dabatur spatium: nunc omnibus illis exutus, solum Deum cogito, qui me, sat scio, inuocantem exaudiet*. Capnionis hoc dictum erat: *Quando duplicabantur lateres, tunc venit Moyses*. quo Dei auxilium præstò semper esse declararet, cùm aduersæ res potissimùm ingruunt. Æn. Syl. in hist. Bohemicâ.

CATHARINA ARAGONIA.

Ecquis illam hoc loco tacitè prætereundam iudicabit, quæ virili mentis animique constantia, toties Fortunę inconstantiam, humanosque casus superauit? Repudiarat eam Henricus VIII. Angl. Rex, vt Bolenâ (quæ velut altera Helena, tanti excidij, quale postmodum subsecutum, fax & scintilla) potiretur. illa nihil indignata, diuinę se clientelæ submittebat: rogata verò vtrumuis rerum statum eligeret: prosperúmne, an aduersum? *Hunc præ illo se malle*,

malle, respondit. *quia*, inquiebat, *infelicibus rarò deest consolatiò: fortunatis verò plerumque mens ipsa & ratio.* N. Sanderus lib. 1. de schism. Anglic.

Vide Apophth. de AFFLICTIONE *infrà.*

ADVLATIO. ADVLATOR.

IESVS CHRISTVS.

MAgna iam cura studioq. referendum, quantopere ADVLATIONIS seductionisque, quæ fallaci laude fit, stimuli, ab illustrium virorum pectoribus non sine ratione consilioq. summoti sint. Vt autem à veritatis Magistro ordiamur: reprehensi Pharisæi, abeuntes consilium inierunt, vt eum in sermone (secundùm Script. phrasim) caperent; miseruntq. discipulos suos cum vectigalium collectoribus (quos Herodianos, quasi Herodi subiectos nominat Matthæus) qui eum hoc verborum lenocinio demulcerent: Magister, scimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non est tibi cura de aliquo: nō enim respicis personam hominū, *&c.* ad quæ Dominus, cui nihil occultum, cognita eorum nequitia, ait: *Quid me tentatis hypocritæ?* q. d. Cur vestra hypocrisi solicitatis me, vt vobis placentia loquar? vero accommodatoque nomine Adulationem, hypocrisim appellat: cùm per illam ea facere delectet, vt loquitur Augustin. super Psalm. 9. in quibus non solùm non metuitur reprehensor, sed etiam laudatur operator. Matth. cap. 22. Mar. cap. 12. Luc. cap. 20.

HERODES AGRIPPA.

Cùm huius particulatim meminerint Sacrę literæ, vt posteris daretur exemplum, quanta sit Adulationis

lationis pernicies, eum hoc loco prætermittendum non esse, quamuis fortassis à proposito nobis ordine alienum, iudicaui. Cæsareæ itaque dum ludis pro Augusto celebrandis vacaret, in theatrum processit, amictus veste regia, quæ sua maiestate spectantibus horrorem venerationi mixtum incuteret. Assentatores eiusdem magno clamore Deum consalutabant; rogantes, vt faueret propitius. Quam impiam adulationem cùm nec castigaret nec repelleret, diuinam vltionem ocyùs sensit. grauissimis quippe cruciatibus impetitus, oculos quasi iam in morte grauatos ad amicos conuertens; *En ego*, inquit, *vestra appellatione Deus, vitam relinquere iubeor; fatali necessitate vestrum arguente mendacium. Et quem immortalem salutastis, ad mortem rapior.* Act. cap. 12. & Ioseph. lib. 19. Antiq. cap. 7.

S. GREGORIVS.

In tanto apud istum pretio fuere Adulatores, vt, cùm suum de illis iudicium proferret, dixerit: *Adulator scorpio est, qui palpando incedit, sed cauda ferit.* Collig. ex lib. 1. in Ezech cap. 9.

IOAN. DANTISCVS EPISC. VARMIENSIS.

Huius quoque de Parasitis & aulicis Gnatonibus iudicium libet attexere. Ille enim, Actęonis canibus eos comparare solitus, dicebat: *Idem accidit Principibus à Parasitis, quod Acteoni à canibus: vt nempe deuorentur ab iis quos alunt.* Refert Philip. Camer. in operibus succeßiuis. Georg. Sabinus, & alij.

SIGISMVNDVS IMPERATOR.

Ille cùm se Adulatores veluti pestes odisse assereret; Brunenius Neronensis sermonem interrumpens,

pens, Tamen,dixit, nullum genus hominum isto magis amas. Cui Imp. *Vincis sanè*,ait. *Ita enim natura comparatum; vt, cùm vitandos Assentatores dicimus, tum maximè illis adhæreamus: nam neque tu tanto tempore mecum fuisses, nisi meis moribus adblandiri assueuisses.* Æn. Syl. de dictis Sigismundi & Friderici Impp.

IDEM

Vni è Proceribus se supra modum laudanti, & dijs similem asserenti, alapam inflixit: hoc dicto, *Cur me mordes adulator?* Sciebat egregius Imperator, verũ esse quod habet Hugo de S. Victore, Adulatorem amicum in obsequio, hostem in animo, comptum in verbo, turpem in facto, lætum ad prospera, fragilem ad aduersa, inflatum ad obsequia, anxium ad opprobria, immoderatum ad gaudia, facilem ad humana, difficilem verò esse ad honesta. Æn. Syl. lib. 1. Comm. de reb. gest. Alphon.

LADISLAVS POLON. REX.

Clarum Sigismundi exemplum; nec minùs tamen illustre LADISLAI, qui etiam Assentatores colaphis excipere solitus. caussam verò rogatus; *Percutientes*, dicebat, *me, repercutio.* nolebat & ille cum Propheta oleo peccatoris caput suum impinguari. Oleum enim peccatoris, vt exponit Cassiodorus, est dilectio simulata verborum, quæ vocum blandimentis, nostras mentes velut olei pinguedo ingrediens, rigorem veritatis emollit. Collig. ex Prom. mor. Th. Staplut. Serm. 11. Aduentus.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Nulla virtus aut laus, in qua sibi locum nõ vendicet ALPHONSVS: ita vt in eum vnum omnium virtutum laudumque congeries effusa videatur.

Adulatores etiam plus quàm hostili loco habuit; & de illis verba faciens, *Sunt*, aiebat, *Adulatores persimiles lupis.* nec malè. nam veluti lupi titillando & scalpendo asinos vorare soliti: sic & illi ad Principum perniciem, blanditijs simul ac mendacijs intendunt. Ant. Panorm. & Æn. Syl. ille lib. 3. de Gestis, hic de Dictis eiusdem.

CAROLVS V. IMP.

Nec minùs prudenter prudens ille Imperator hanc assentandi pestem fugiebat. Cùm enim Lutetiæ Parisiorum constitutus, graui oratione eiusdem laudes in publicum adduceretur; paucis oratori respondit: *Grata mihi est affinis Regis erga me beneuolentia; sed laudes illæ mihi attributæ, commonefactiones dumtaxat sunt, qualis esse deberem.* In vita eiusdem Cythr. & alij.

PHILIPPVS II. CAROLI FILIVS

Parentis sui vestigijs inhærens, conceptam à teneris agendarum rerum prudentiam rariùs dicto manifestabat: neque, si id præstiterit, literis consignatam, aut æmulæ posteritati transmissam existimauerim. Interrogatus verò aliquando (prout narrantis ore excepi) quo apud eum loco essent Adulatores; *Peiori*, inquiebat, *quàm corui.* & subdens illud Aristippi, vt est apud Bruson. *Malim*, aiebat, *in coruos incidere, quàm in assentatores aut parasitos.* Videbat Rex sapientissimus illos corpus tantùm, at hos animos etiam mentesque corrodere: & verum esse illud Nasonis lib. 2. Trist.

Impia sub dulci melle venena latent.

MAVRICIVS SAXONIÆ DVX.

Hic verò Assentatorem conspicatus, dixisse cõmemoratur: *Stercus domini sui comedit, vt canis.* Notabat

tabat autem, vt habet Seneca, Assentatores non tantùm esse dominorum suorum arrisores, sed & arrosores. Phil. Camer. in locis Manl.

FREDERICVS SAXONIÆ DVX.

Ille vt regni soliq́ue, ita & animi mentisq́ue heres; ab illo hominum genere cauendum ratus, dicebat: *Maximè metuendi sunt ij, qui pedibus proximi sunt, ne calces conculcent.* tacitè insinuans, adulantibus proprium, Regum Principúmve auribus propiùs assistere. Ibidem.

ADVLTERIVM.

IESVS CHRISTVS.

OCcultum olim, & abominabile apud veteres illos Sophos, quod hodie (proh dolor!) Magnatum ferè ludus est, ADVLTERIVM nunc pertractandum. vtpote quod tantum humano generi pudicitiæq́ue incommodum adferat; quantum salutis, coniugalis fides præstat. Habet igitur & hoc, qui velut præsentem perniciem animæ detestentur; habet qui amplectantur. Prioris generis ductor sit vera pudicę castitatis norma ac regula Coęternus DEI FILIVS: qui Pharisæis eius discipulos redarguentibus, quòd illotis manibus manducassent panem, ait post multa: *Non intelligitis, quòd omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. de corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria,* &c. *hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Matth. cap. 15.

S. MARIA MATER CHRISTI.

Quis te Virgo castissima meritis laudibus dignè

 celebret?

celebret? quæ velut lilium inter ſpinas, cùm de filij conceptione Archangeli nuntium accepiſſes, non tam de nuntio incredula, quàm de modo ſolicita; *Quomodo*, inquis, *fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco?* quaſi diceres intra te: Ego meæ virginitatis iacturam facere nolim, & votum de ea in perpetuũ ſeruandâ violare. Maluiſti certè etiam deſponſata, cordis corporiſque integritate ſplendere; quàm dignitatem aliquam quantumuis excellentem cum eius violatione ſubire. Luc. cap. 1.

BALDVINVS FLANDRIÆ COMES.

Tranſeamus nunc ad alios, qui hanc adulterij luem execrati. Inter quos facilè principem obtinet locum BALDVINVS Flandriæ noſtræ Comes, qui & Imperator Byzantinus: hunc enim in tantum ab hoc crimine fuiſſe alienum conſtat; vt publicè per pręconem bis in hebdomada edici curauerit: *Ne quis in palatio meo pernoctato, qui alienam coniugem contigerit.* Nicetas.

OTHOCARVS BOHEMIÆ REX.

Minori cum laude, & infra regiam dignitatem hic. de coniugis enim impudicitia monitus; *Lex*, aiebat, *naturæ eſt, Cornua qui faciunt, ne cornua ferre recuſent.* verum leuitatis incontinentiæq; indicium. inſinuat quippe cõiugi non eſſe illicitũ fidem violare coniugalem, cùm & ipſe idem faciat, alijs feminis abutendo. Cornua quippe facere, communi phraſi idem eſt quod fallere. Æn. Syl. lib. 3. Comm. de geſtis Alphon.

FRANCISCVS BRIANVS EQVES ANGLVS.

En alterum eiuſdem, ſi non maioris, leuitatis impudicitiæque exemplum. Erat enim hic inter perditiſſimos Henrici illius Octaui hæreſiarchæ Anglorum

glorum aſſentatores: à quo cùm Rex, alter ſui ſæculi Heliogabalus & Sardanapalus, poſtquam Annam Bolenam eiuſq. ſororem Mariam ac matrem in adulterinum thalamum traduxiſſet, quæreret; Quale peccatum tibi videtur, matrem primùm, deinde filiam carnaliter cognoſcere? nefarium hoc reſponſum reddidit: *Omnino ô Rex, quale gallinam primùm, deinde pullum eius gallinaceum comedere.* quod verbum cùm Rex magno applauſu accepiſſet, dixiſſe fertur: *Næ, tu meritò meus es Inferni vicarius.* iam enim egregio hoc nomine ob præclara quædam facinora apud omnes paſſim innotuerat. Quis non ter & ampliùs felicem tali vicario Regem dixerit? Guiliel. Raſtellus in vita Thomæ Mori.

HENRICVS VIII. ANGL. REX.

Hic cùm Thomas Bolenus maritus matris illius Annæ, quæ Anglicani excidij fomes, in Gallijs legatione (quo munere eum donarat Henricus, vt tantò liberiùs eiuſdem coniugem in ſuum thorum pelliceret) fungeretur: & intellecto, quod Rex meditabatur, coniugis legitimæ repudio; vt præfatam Annam, quam ex Boleni coniuge abſente illo genuerat, in vxorem duceret; venit quantò ocyùs, Regi ob oculos rem totam ponit, ſceleris inceſtuſque adulterini admonet. at fruſtrà. poſt multa enim hanc dumtaxat improbiſſimæ mentis indicem vocem audiuit: *Tace ô ſtolide. centum ex æquo tua coniuge abuſi: cuiuſcunque illorum tandem filia ſit, certè erit vxor mea.* Quis non hîc elata voce exclamabit, quod olim ille, O tempora, ô mores! Sleidanus lib. 9.

ADVO-

ADVOCATVS.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

SEquitur iusta causarum in iudicio tutela: quæ veluti benè impensa, bona est & salutaris; ita neglecta & contra regulam probitatis vsurpata, ac proprij quæstus sordibus imbuta, portentosa est,& prorsus inepta. Occurrit hoc loco LVDOVICVS XII. Gall. Rex: qui cùm Lutetiæ moraretur, quoties liliatis subsellijs ius dicebatur, de more intererat; & disertos causarum patronos suo quoque patrocinio fouebat. De illis tamen, non secùs ac de alijs, dicebat: *Tales sutorũ artificium sibi vendicant:* causamque subdens, *Quia*, aiebat, *quod sutoris proprium est alutam dentibus producere; hoc etiam illis, in dilatandis Prudentûm responsis,& Cæsarum decretis.* P. Æmil. in Vita.

IDEM

Pragmaticos Forenses varijs cauillis impetebat. vnde quæstione aliquando cum Proceribus mota, quid oculis potissimùm prodesset; illud Auguris illius apud veteres vsurpabat: *Si Pragmaticum, Patronumque rarissimè videris*. Ecquis, ait Augustin. Epist. 36. tandem Aduocatus reperitur, qui dicat suscepto suo: Recipe quod mihi, cũ malè adessem, dedisti; & redde aduersario, quod ei, me iniquè agente, abstulisti? Ibidem. & Annal. Franc.

ADVOCATVS ANONYMVS.

Fuerat hic magnus, at felix causarum patronus: qui eo munere abdicato, religionẽ amplexus, Cœnobio ob dexteritatem in rebus agendis præficitur. verùm rebus sibi non tam dextrè vt priùs succedentibus,

dentibus, mirati fratres, causam inquirunt. ad quos ille: *Dei timor qui mihi ante oculos, facit; quòd tam liberè mentiri non audeam, veluti in sæculo solebam.* implicitè notans, quantum is qui sæcularium rerum patrocinio se dedicauit, veritatis limites trãsgrediatur aliquando, vt propositam susceptamque causam contra fas tueatur. Auctor Sermon. conuiuialium.

MORIO F. SFORTIÆ.

Aliud ad calcem adiungo; conditionem personæ, à qua profectum, non ineptè exprimens. Altercabantur coram Francisco Sfortia Mediolanensium Duce nonnulli: vter esset præferendus; Aduocatus Medico, an è conuerso: quolibet autem suas partes exquisitis argumentis firmare conante, cùm grandis illa difficultas indecisa remaneret; MORIO disputationem interrumpens, sententiam dixit: *Non videtis*, inquiens, *si quando latro suspendendus, quòd præcedat ipse, subsequente tortore?* inurbanâ hac parabolâ, Aduocatum Medico præferendum insinuauit. Corozetus.

CIVIS DIESTENSIS ANONYMVS.

Properanti manus inijcit Diesthemij Brabantiæ opidi olim incola & ciuis. Ille, prout fideli relatu accepi, cùm filium haberet quem ad bonarum artiũ studia educauerat, anxiè secum animo voluebat frequentiùs, cui tandem professioni eum applicaret. aliosque super hac re consulens, hoc modo procedebat: *Si Theologico studio statuique se dedat; vereor ne lubrica illa ætas, crebris animæ periculis exponatur. neque suis etiam caret Medicina incommodis; vtpote cuius praxis plena labore & periculis. Ad Iurisprudentiam itaque confugiat necesse. E tribus*

malis

malis eligatur quod minus est. Quippe satiùs, vt crumenas suis emungat nummis; quàm vitâ corpus proximi: æternâ retributione propriam, & aliorum animam. Verumtamen huic iudicium suum & mens esto. longè aliter Greg. super Ezechielem: Iustus Aduocatus à nullo iniustas caussas accipit; nec verba dare pro iustitia consueuit. Incerti auctoris.

ÆMVLATIO. *vide* INVIDIA.

ÆQVITAS. *vide* IVSTITIA.

ÆTERNITAS. VITA ÆTERNA.

S. EVGENIVS EPISCOP.

NOn exigui ponderis eam sententiam Apostoli 1. Cor. 15. & mortalium mentibus infigendam inserendamque existimo: Magnum momentum, vnde pendet æternitas. verè magnum: quo acerbitatem pœnarum, cum beata gloriæ æternitate, fas est mortali commutare. Meritò itaque ÆTERNITAS nobis proponatur, & quantum eiusdem desiderio exarserint Christianorum plerique: neque enim omnia in hunc locum congerenda, ne sola huius tituli tractatio in immensum opus succrescat. Vt autem ea prætereamus, quæ Æternitatis largitor diuersis in locis de ea dixit & annuntiauit: EVGENIVS ANTISTES raræ virtutis vir, cùm iam in animum induxisset, potiùs pro Catholica fide mortem oppetere, quàm vel ad latum vnguem ab eadem secedere, ac sententiam rogaretur, respondit: *Illud est vita æterna, mori pro Iustitia.* Quàm benè ille cum Regio Psalte annos æternos in mente habuit! quos vt lucrifaceret, momētaneos hos lubens

bens amisit. Gregor. Turonens. histor. Franc. lib. 2. cap. 3.

S. Franciscvs.

Quanto labore hic ad Æternitatis brauium in hac vitæ palæstrâ decurrerit, superuacaneum foret in pręsenti referre. illud tamen non præteribo, quòd, cùm ob assiduas & vbertim fluentes lacrymas oculorum ægritudinem incurrisset, ab ijsq. sibi abstinendum, ni corporei luminis vsu priuari vellet, medici consulerent, suspirans dixerit: *Non est ob amorem luminis, quod nobis cum muscis commune est, visitatio lucis æternæ vel modicũ repellenda: quia non propter carnem spiritus, sed propter spiritum caro lucis beneficium accepit.* Sur. tom. 5. in vita.

Idem

Interrogatus, quî tam tenui amictu hiemalis algoris asperitatem temperaret; respondit: *Si supernæ æternæque patriæ flamma per desiderium contegeremur, facilè nos ab hoc frigore tueremur.* Sur. tom. 5. in vita.

Recaredvs Hispan. Rex.

Non eum sæculares curæ, non intentatæ mortis metus, ab hoc æternitatis desiderio auocarunt. Hispania quippe Ariana labe purgata, auitam complexus est fidem. ac pater ni eam abneget, necem minatur: cui is; *Benè*, inquiebat forti constantique animo, *mecum agis pater: siquidem vt Regnum hoc abs te iugulatus amittam, æternum cum Superis pro caduco hoc consequar.* Regia illa vox, & cedro digna. Egnat. lib. 1. cap. 1.

Thomas Morvs Anglvs.

Non minùs illustre est, quod sequitur. Thoma Moro, cui parem Anglia nunquam vidit, verè tali

ciue

ciue indigna, impiissimis Henrici VIII. decretis carceri mancipato, quòd improbissimis eiusdem dogmatibus subscribere recusaret; cùm ad expugnandam eius constantiam multi Principes nequicquam venissent, vxori tandem imperatum, viro suadeat, ne se, liberos, bona omnia, & famam, vitamq́. quâ frui adhuc posset, pro derelictis haberet: cui ille: Ecquamdiu, inquit, Aloysia mea, potero hac vita frui? Totis viginti, & ampliùs annis, illa respondit; si Deo ita visum. *Vin' ergo*, ait MORVS, *æternitatem viginti annis commutem? Næ tu imperita mercatrix es mea vxor: nam si annorum viginti milia diceres, aliquid tu tamen diceres: sed quid ad æternitatem?* Sanderus de schism. Anglic. lib. 1. Tho. Staplut. in vita eiusd.

AFFABILITAS.

S. IOANNES PATR. QVI ET ELEEMOSYNARIVS.

PRæclara, & non reticenda Magnatum virtus; quibusuis ad eorum patrocinium confugientibus aures patentes præbere, ac Principis maiestatem tempore & loco seruare. Quo in genere non pauci excelluêre. nos ex iis clariores in medium adducemus. Et vt mundi redéptorem CHRISTVM sileam, cuius omnis prædicatio, conuersatioq́ue mirè affabilis; D. IOANNEM ELEEMOSYNARIVM referam, qui Patriarchatus munere insignitus, bis per hebdomadam patentibus porticibus cuiuis aures accommodabat: cumq́ue, vt fit, consessores sui quosdam duriùs increpatos repellerent, eos his verbis compellabat: *Cùm nos ad Deum sine intercessore liberè accedamus, qui tamen homines sumus;*

quomo-

quomodo & non conseruis nostris portas reseramus, & benignam cuiuis aurem præbemus? æquè præclarè ac Vespasianus ille olim; qui neminem à Cæsaris colloquio tristem discedere oportere respondebat: vt auctor est Sueton. Surius tom. 1. in vita.

IDEM

Cùm aliquando præsedisset, omnium alloquio querelisque excipiendis paratus, & nemo pro subsidio accessisset; vesperè subtristis abiit. Causam verò sciscitāti, cur tristior appareret; *Hodie*, dicebat, *nullus à me quicquam accepit: neque minimum quidem piaculum offerre potui Christo pro peccatis meis.* an non ea laude dignus, qua is apud Quirites? qui amicis se diem perdidisse conquerebatur. Ibidem.

PIVS II. PONT. MAX.

Priori haud absimilis. cùm enim ad eum senex verbis supra modum profusus, petendi quippiam gratia accessisset, eumque quia profusiorem quidam de adstantibus moneret; verè pius Pontifex, omnia illum ab exordio repetere imperat: vultuque seueriùs in alterum retorto, *Nescis*, ait, *ex quo Pontificatum inij, alijs viuere me oportere; non mihi*. rarum exemplum humanitatis, quod meritò æmulentur posteri. Ioan. Ant. Camp. in vita.

RVDOLPHVS IMP. AVSTRIACVS.

Ad alios transeo, quorum hîc æqua cum prioribus laus. Quis enim Austriacę stirpis primam quasi radicem RVDOLPHVM sine iniuria sileat? Cùm enim frequentior ad eum foret populi concursus, & per satellitium quosdam tenuioris fortunę ad se affectantes submoueri aduerteret; non sine stomacho edixit: *Per Deum* (ipsa eius verba sunt) *sinite homines ad me venire. Non enim ideò ad Imperium*

vocatus sum, vt in arculâ includar. Meminerat pius Imperator, Regem regum dum inter homines homo degeret, discipulos increpasse, quòd paruulos, id est humiles & abiectos, à se remouerent: talibus inquiebat est regnum cælorum. Refert I. Lipsius lib. 2. Mon. Polit. cap. 7.

HENRICVS IMP. FREDERICI FIL.

Et hic ita in rebus assiduus, vt vix serò cibum caperet. monentibus autem valetudinis curam haberet; *Priuato*, ait, *homini tempus cibi est, cùm id lubet aut solet: at Regi, si nomen suum non abdicat, id solùm, quo vacat.* Ibidem.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Illius quàm similis vox & animus? reprehensus enim quòd erga hostes & subditos se affabilem & mansuetum præberet: *Nihil*, aiebat, *magis aduersariorum animos flectit, quàm placabilitatis & mansuetudinis nomen.* Panorm. lib. 3. de Gestis Alph.

ANONYMVS SENATOR NORIMBERG.

Addamus inclytum hoc & rarum exemplum. Cùm Noribergæ aliquamdiu versaretur Ferdinandus Imp. (alij referunt ad Maxęmil. I.) quendam è primatibus rogat, quomodo tantam multitudinem regerent; qui respondit: *Blandis verbis, & atrocibus pœnis.* sic enim debent imperia esse constituta, vt gubernatores omnibus comiter respondeant, & in pœnis adhibendis grauitatem seruent. Phil. Camer. in locis Manlij pag. 589.

AFFECTVS DOMANDI.

FRANCISCVS BORGIA S. I.

Consonum nunc de humanis affectibus, iisque si mali sunt domandis, pauca dicamus. vt enim

enim affectus, si moribus congruant, nec rectæ rationi aduersentur, fouendi sunt: ita si moribus & rationi difformes, radicitus euellendi. FRANCISCVS BORGIA iteratò se offert: qui dum pręsente se quempiam de vitæ sanctitate innocentiaque laudari audiret, illud vnum insonabat: *Talis erit, qui se vincere norit*. sontis insontisque vitæ causam, in affectus proiiciens. Lib. 4. vitæ eiusdem cap. 5.

IDEM

Cùm intellexisset Carolum V. ætate iam & labore fessum, rebus Imperij feliciter transactis, se in cœnobium recepisse: *O magnũ virum*, inquit *qui cùm de hostibus toties triumpharit, tandem seipsum vicerit.* Ribad. in vita eiusd. lib. 2. cap. 14.

SENEX RELIGIOSVS ANONYMVS.

Et ille non immeritò priori coniungendus: qui hortum cupressis consitum cum discipulis suis obambulare solitus, eis vt teneriores euellerent primùm, tum magis annosas, præcepit. quibus dicto obtemperantibus, ita ad eos senior: *Hoc modo affectus nostri dum tenelli, facilè extirpantur: vbi verò radices egerint, difficillimè.* Doroth. doctrin. XI.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Venerat hic Mediolanum orator ab Apostolica sede missus: rogatusque à Margareta Austriæ Regina (ad cuius triumphalem ingressum plurima erant expressa simulacra) quísnam Regum omnium videretur sibi maximus; *Qui*, respondit, *libentiùs sibi, quàm alijs imperat.* hoc Imperium verè possidet, qui nunquam in alia fortuna est alius. Henric. Farnesius in Apoph. de Principe.

IDEM

Dicebat, *Felicitatis fabrica in temperandis affe-*

ctibus sita est. virtus enim & vitium, ex affectu æstimatur. Ibid.

VENCESLAVS DVX BOHEMIÆ.

Inter Ciuiles non iniuria VENCESLAVS principium faciet. Etenim qui hac animi æquitate etiam Philisophorum moderationem est transgressus. Mortuo namq. patre, in Bohemiæ Ducem electus, cùm sciret Boleslaum fratrem suæ vitæ insidias struere, nunquam nisi verbis eum deterruit à scelere. at frustrà. redeuntem è templo VENCESLAVM frater exspectat, comitatus aliquot nefariis: & impetum in eum facit. irruit è contra VENCESLAVS, & Boleslao ad terram prostrato, gladioque adempto, perfidiam exprobrat; manumque & ensem continet: ac in medijs irarum fluctibus, adfectu superato, eum intactum dimittit. quam egregiam animi moderationem admirantibus qui aderant; *Malim*, dicebat, *vt frater Deo sanguinis reddat rationem, quàm si ego in fratrem manus iniecero, & fraternæ necis causam apud Deum dicere compellerer.* Stupenda animi tranquillitas, & affectuum dominium: cui si Archytæ, aut Platonis, Stasyppíve modestia conferatur; iocus ludibriumque, ac veluti pueriles ludi inter viriles actiones videbuntur. Fulgos. lib. 4.

AFFLICTIO. VEXATIO. TRIBVLATIO.

IESVS CHRISTVS.

AFflictionum modò quis fructus quæve vtilitas, demõstrandum. Neque enim (vt inquit Cyprianus) nisi præcesserit pugna, potest esse victoria. Hoc in seipso exhibuit DOMINVS, ac SAL-

VATOR

VATOR: noſter qui aſſumpto iam immortali ac glorioſo corpore, ſe in alia effigie (vt loquitur Marcus) diſcipulis in Emaus ambulantibus interpoſuit, eoſque ex Sacris literis inſtruens, tandem ſubiunxit: *Nónne oportuit hæc* CHRISTVM *pati, & ita intrare in gloriam ſuam?* Ita enim à Deo decretum, per ſtultitiam Crucis ſaluos facere credentes. Luc. cap. 23.

IDEM

Diſcipulos illos, qui inter alios gloriam & horem affectabant in regno ſuo, rogabat; *Poteſtis bibere calicem, quem ego bibiturus ſum?* vt intelligamus, paſſionis calicem, & tribulationis amaritudinem, eſſe viam gloriæ & ſuperni honoris. Matth. cap. 20.

SS. PAVLVS ET BARNABAS.

Hi Chriſti capitis viua membra, ab eodem nunquam deſciuerunt. lapidibus enim à Iudæis impetiti, & extra ciuitatem eiecti, nihilominùs confirmabant diſcipulorum animos in fide, & dicebant: *Quoniam per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei.* Act. cap. 14.

MACARIVS ALEXANDRIN.

Laſciuientis carnis ſtimulos perſentiens, feriò de illis refrenandis cogitabat. neque præſentius remedium corporis afflictione ratus, ſaccum arena ruderibuſque oppletum humeris per ſiluas defert. cui Theoſebius obuiam factus, cùm rogaſſet quid agis Macari? ille, *Vexatorem*, reſpondit, *meum vexo*. vtinam in hoc incumberet laſciua huius ætatis iuuentus, & ſuæ menti illud Ethnici inſculperet?

Otia ſi tollas, periêre Cupidinis artes.

Pall. in hiſt. Lauſian. 20.

S. BERNARDVS.

Neque ad castitatem continentiamque conseruandam solùm confert Afflictio; verùm etiam ad benè beatéque in hoc sæculo viuendum. Docet id D. BERNARDVS; qui sæculi ludibria abnuens, diuino impulsus spiritu, cùm fratres,& quoscumque poterat, ad religiosam vitam adhortaretur, vnus Gerardus eius germanus, cæteris vt apparebat prudentior, non acquiescebat. cui vir sanctus: *Scio, scio, sola vexatio intellectum dabit auditui.* quod & factum. nam non ita diu pòst grauiter ictu lanceæ sauciatus, mortem præsentem veritus, inclamat: Monachus sum Cistersiensis. Quo BERNARDVS intellecto, *Sciebam*,inquiebat, *quòd durum ei esset contra stimulum calcitrare.* In vita eiusdem cap.3.

S. ÆGIDIVS

Rogatus à quodam sodalium; Quid nobis agendum,frater, si tribulationes ingruant? respondit: *Licet lapides & saxa de cælo pluerit Dominus, non nocebũt nobis, si tales fuerimus,quales nos ille requirit.* insinuans quod in Odis Horatius:

Iustum & tenacem propositi virum,
Non ciuium ardor praua iubentium,
Non vultus instantis Tyranni
Mente quatit solida.——— &c.

Ex sent. aureis eiusdem.

FRANCISCVS BORGIA S. I.

Ad alium non minùs illustrem transgredior, corpus suum variè affligentem, FRANCISCVM BORGIAM. Qui dum à sociis, cur id ageret, rogaretur: *Belluam istam*, inquit (eo nomine corpus honorabat) *plorare iubeo: vt quam delicijs voluptatem cepit palatum, eandem abstinendo amittat, ex-*

pietque.

pietque. Lib. 4. vitæ eius cap. 5. Andr. Schottus.

Idem

Amici nomine appellare ſolitus ea omnia, quæ ad corporis afflictionem conducebant. hinc ſi per ſolis ardores, aut brumæ aſpera frigora, itinerumq. anfractus proficiſcebatur, illud identidem ingeminabat: *Quàm bellè me iuuant amici mei!* mente apprehendens æternam illam coronam, non niſi legitimè decertanti conferendam. Ibidem.

ALTARE.

Bracmanna anonymvs.

QVanta Deus vltione irreuerētiam ſuę Aræ factam, in Iuliano Apoſtatę Iuliani pręfecto, expiarit, vbi de Admonitione egimus, ex Theodoreto in medium attulimus. Subit hîc mentem alia pietatis & reuerentiæ imago, quam ſacratis Aris Bracmannorvm quiſpiam, cuius nomen immeritò apud Auctores reticetur, impendit. Nam cùm in vrbe Meliaparenſi ſacerdos Eccleſiam ingreſſus, literas perantiquas ſaxo cum cruce inſculptas intueretur, Indum interpretem accerſit. qui cùm vix ob altitudinem attingeret; Aram conſcendere iuſſus, in quâ Deo ter maximo iuge ſacrificium offerebatur quotidie, renuit: *Nefarium facinus* dicens, *altare in quo res diuina fieret humanis pedibus cōculcari.* O ſi vel modica huius Pietatis ſcintilla in noſtri æui Nouatoribus! non tot Eccleſiarum ruinas exhiberet Belgium, neque adeò ſancta tua Domine conculcata eſſent & contaminata. Oſor. lib. 3. hiſt. Eman.

ALTIORA NON SCRVTANDA.

IESVS CHRISTVS.

NOn esse curiosè indaganda ea quorum contactu mentis nostræ acies hebescit, documento est nostri generis Redẽptor CHRISTVS IESVS: qui post resurrectionem conuescens cum Apostolis, dum rogaretur ab iisdem; Domine, si in tempore hoc restitues regnum Israel? respondit; *Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate.* non enim humani iudicij acies ad sublimia illa, inconcussa attingit: verùm in ænigmate tantùm ea cõtemplatur, pòst facie ad faciem, pulsa terrenæ molis nube, visura. Act. cap. 1.

F. ÆGIDIVS COMES S. FRANC.

Ille cuidam de inscrutabili Prędestinationis mysterio multa inquirenti; *Sufficit*, inquiebat, *ripa maris ad lauandum pedes, manus, & totum corpus: stultus est qui altum petit. Sufficit scientia benè beateque viuendi.* Ex sent. eiusd.

AMBITIO.

IESVS CHRISTVS.

NOn minùs rescindenda est regnandi ac carnis fœda libido, quã AMBITIONEM vocamus: quę successionis legitimæ iura per vim violat sæpè, & sceptra ad indignos defert, homini Christiano indigna, atque radicitus exstirpanda: prout eam etiam primus discipulorũ animis exstirpauit vnigenitus DEI FILIVS. Persoluto enim statêre, discipulos ad se vocatos, quid in via tractassent, rogat. qui

dum

dum confitentur inter se ventilatum, quísnam eorum futurus esset maior in regno cælorum; aduocans paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis*, videlicet ab hac stulta contentione, *& efficiamini sicut paruulus iste*, (quem putant fuisse Martialem Petri discipulum & Germanię Apostolum) *non intrabitis in regnum cælorum*. Insinuat humiliter de se sentiendum per virtutem, velut paruuli faciunt per ætatem. Matth. cap. 18. Marc. 9. Luc. 9.

IDEM

Cùm audita mortuorum resurrectione, mater filiorum Zebedæi peteret, Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo, id est, vt primarias circa te dignitates obtineant; tam inordinatam & ambitiosam postulationem arguens, dixit: *Nescitis, quid petatis*: & paulò pòst: *Sedere ad dextram meam & sinistram, non est meum dare vobis: sed quibus datum est à Patre meo* q.d. Non vt homo, veluti vos existimatis, aut ex humano adfectu, ratione cognationis hoc dare possum: sed diuino iudicio illud dabitur his, quibus ob virtutem paratum est. Matth. cap. 20. Mar. 10.

IDEM

Indignantibus decem Apostolis, quòd filij Zebedæi per matrem primarias post resurrectionem dignitates postulassent, ad se vocatis, ait: *Scitis, quia Reges gentium dominantur eorum; & qui potestatem habent super eos, benefici vocãtur?* Dominari hoc loco contemptum inducit & coactionem: vnde significatũ vult DOMINVS, Prælatos ac Principes Christiani populi, non debere vt Gentiles, dominari subditos deprimendo, & ex mera regnandi libidine

præesse. vnde subdit: *Vos autem non sic. Sed qui maior est in vobis, fiat sicut minor : & qui præcessor, sicut ministrator.* quibus omnem fastum & inordinatam ambitionem vetuit. Matth.cap. 20. Luc. cap. 22.

ANONYMVS ORATOR.

At parum Dominici præcepti consilijque memores illi, quos hîc ordine in scenam adducam. Prologum agat Granatensis regni Orator quondam celeberrimus. Illi nihil prius, quàm, debitum (vt iactabat) suis virtutibus, honoris regnique fastigium. vnde oratione habita, dum è cathedrâ descendenti, quidam non parui nominis, auxiliarem dexteram porrigeret; suam ad se traxit, inquiens: *Nolo mihi dextram abs te porrigi vt descendam; porrige, si quicquam vales, vt ascendam.* at, vt benè Plautus in Amph.

Virtute ambire oportet, non fautoribus.
Sat habet fautorum semper, qui rectè facit.

Foresta de Dict. memorabil.

BARDAS PRÆFECTVS MILITVM.

Iungat se illi comitem BARDAS militum sub Basilio Imperat. Præfectus. Qui dum per decretum Imperatoris sibi ablatam non exiguam potestatis, quâ antè præfulgebat, portionem cerneret; euestigio imperium ipsum ambit, militem & vires colligit. Mittitur intereà Stephanus Nicomediæ Antistes, suasurus bello abstineat, Imperatori suum regnum cedat, & illi pristina facultas. at is eum vix responso dignatus, dextroque pede protenso, quem coccinei coloris calceus, Imperij insigne, decorabat; *Fieri nequit*, ait, *vt qui hunc semel in conspectu multitudinis induit, eum temerè exuat. Quare vel me suâ sponte Imperatorem agnoscant, vel inuitis ipsis Impe-*

Imperium mihimet vendicabo. Ita feruebat animus cupiditate dominij, & implicitè dicebat, quod ille apud Persium olim:

Occupet extremum scabies, mihi turpe relinqui.

Cedren. In Basilio.

ALPHONSVS REX ARAG.

Quære Apophth. de ADVERSITATE.

ADOLPHVS EGMONDANVS.

Veniam nunc ad aliud sæculi nostri, imò etiam soli, priore crudelius. illo enim in Principem, hoc in patrem sæuitum. ADOLPHVS EGMONDANVS, dum patris sui Arnoldi Geldriæ Ducis & dynastæ diuturnum imperium molestiùs ferret, per factiones quosdam in suas partes trahit, patrique palàm bellum facit. Cumque re sopita, per Carolum Audacem pro sententia diceretur; Arnoldus pater solùm titulo Geldriæ Ducis vtatur, at filio opida vrbesque ac arces cedat, Grauia dumtaxat sibi exempta: accipiat quoque in alimoniam de manu filij tria quotannis aureorum milia. arroganti ac effrenato vultu voceque ADOLPHVS: *Quid malum? Pater alibi imperet, qui totos quadraginta annos omnibus præfuit. Aequum est ad nos recurrant regnandi vices: nec aliud admisero, quàm de annuâ pensione; sic vt pater Geldria tota excedat, nunquam in eam pedem relaturus. aliàs malim præcipitem dare parentem in puteum, & me superinijcere, quàm vt in has conditiones paciscar.* En responsum, non tam impium (quale & tunc omnibus visum) quàm insanum. Refert I. Lipsi. Monit. Pol. lib. 2. cap. 5.

CHAN TARTARORVM.

Claudam hoc virorum agmen iocoso, licet alterius ordinis exemplo: vt vel eo etiam liquidò cõstet, non

non ſolùm quàm crudelis, ſed & impia ſit ac irreligioſa Ambitio. CHAN TARTARORVM (eorum Princeps ſic dicitur) cùm Stephanus haud ita nuper optimus fortiſſimusque Poloniæ Rex obiiſſet, in comitiis de rege creando, ipſe quoque per legagatos interuenit, dixitque: *Potentem ſe eſſe, & poſſe myriades equitum educere è ſuis terris, Poloniæ tuendæ vel augendæ. Item frugalem ſe eſſe ac continentem, & ſine vllis ciborum delicijs, ſolâ equinâ in fame contentum. Tertiò, quod ad religionem attinet: Tuus,* inquiebat, *Pontifex, meus Pontifex eſto: tuus Lutherus, meus Lutherus eſto.* Ecce hominem paratum omnia ſacra Deosque deſerere regnandi cauſa. Ita etiam hoc æuo videas, quod olim Ennij;

Omnis cura viris vter eſſet Induperator.

Ibidem num. 11.

CHROTILDIS FRANCIÆ REGINA.

Hæc quoque, ſui ſexus intemperatam libidinem dominandi, in promouendis ſuis nepotibus ad legitimam regni ſucceſſionem, adhibuit. Cùm enim proprijs filijs reiectis, alios ex fratre nepotes adoptaret, eorumque capillitium more illius æui ſumma cura enutriret; fratres legationem ad eam mittunt, & cum illa nudatum enſem & forcipẽ, optionem facientes, vtrum malit nepotum capiti adhiberi. at illa plus æquo commota, & ambitionis ſtimulis agitata; *Satius,* exclamat, *mihi eſt, ſi ad regnum non eriguntur; mortuos eos videre, quàm tonſos.* Ita de Seiano memorat Iuuenalis, quòd, cùm

——— *nimios optabat honores,*
Et nimias poſcebat opes, numeroſa parabat
Excelſæ turris tabulata, vnde altior eſſet

Caſus,

Casus, & impulsæ præceps immane ruinæ.
Fanc. Hottoman. de Franco-Gallia cap. 19.

AMICITIA, & AMICVM BONVM.

Item, AMARE, & AMOR.

CHRISTVS DOMINVS.

COntemplemur AMICITIÆ vinculum, potens & præualidum: cuius præsidio ni cincta sit humana vita, deserta erit, & vix vitæ imaginem referens. Eius autem vim & virtutem insignem suo exemplo demonstrauit nostri generis REDEMPTOR. cui, dum nuntiatum esset, Lazarus quem amas, infirmatur; post biduum ad discipulos conuersus, *Eamus*, ait, *in Iudæam iterùm*. Mirantibus verò illis ac dicentibus: Rabbi nunc te quærebant Iudæi lapidare, & iterùm vadis illuc? respondit, paucis interiectis: *Lazarus amicus noster dormit; sed vado vt à somno excitem eum*. Vera quippe amicitia foras mittit timorem. omni enim tempore, vt dicitur Prouerb. 17. diligit, qui amicus est: & frater in angustijs comprobatur. Ioan. cap. 11.

IVDÆI ANONYMI.

Egregium hi amicæ pietatis exemplar. Missi enim (vt refert Lucas) à Centurione quodam ad Christum vt eum pro seruo illius deprecarētur, solicitè orabant, vtq. magis beneuolū redderēt; *Quia dignus est, vt hoc illi præstes*, inquiunt, *diligit enim gentem nostram*, &c. Egregius locus, amici bonum vbique promouendum edocens. Luc. cap. 7.

Vide titulum de BENEFICENTIA, CHARITATE ERGA HOMINES, *&c.*

LVDO-

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Ad Ciuilis ordinis benefacta transeo,& narrare incipiam quanto apud quosdam in pretio hoc Amicitiæ vinculum semper fuerit. Prodeat in medium, suoque id testimonio primus confirmet, Galliarum Rex LVDOVICVS,eius nominis duodecimus. Qui parta de hoste victoria, postquam Feuxeum inter suos cecidisse percepit, dissimulato omni plausu quem victoria exigebat, ad amicos conuersus: *Vtinam*, ait, *ego Italia exclusus essem, viueret verò Feuxeus,reliqui superessent proceres. Hostibus tales eueniãt victoriæ: si sic iterùm vincimus,victi sumus.* Quàm appositè hoc loco vetus illud inclamari posset: Flere victum; at victorem perdi ab ipsa victoria. Ita pius Rex amicorum vitam proprijs commodis anteferebat. Æmil.in vita.

HENRICVS II. DVX BRABANTIÆ.

Consimilis beneuolentiæ est domesticum hoc, quod subiungo. HENRICVS II. Brabantiæ nostræ Dux, cùm venisset ad Villariense cœnobium, rogatus, templi limina subiret, inuisurus Sanctorum reliquias isthîc in pace sepultas, respondit: *Sufficiat mihi nunc videre ossa Fratrum demus in monte sepultorũ: ibi enim latent reliquiæ mihi charæ.* En,quos viuos fuerat prosecutus, etiam mortuos viuus complectitur. verum namque amorem mors non soluit; quod eleganti Emblemate depingens Alciatus, ita canit:

Arentem senio,nudam quoque frondibus vlmum,
Complexa est viridi vitis opaca comâ:
Agnoscitque vices naturæ,& grata parenti
Officij reddit mutua iura suo.

Exem-

Exemploque monet, tales nos quærere amicos,
Quos neque disiungat fœdere summa dies.

Ex Chron. monast. Villariens. manuscr.

TRIVMPARA REX COCINI,

Rarum amicæ fidei exemplum. Fauebat hic Lusitanis, eosque fouebat, ac graue ob id bellum ei mouit Zamerinus Calecutanus Rex. Lusitanis autem dimitti postulantibus, ne eorum causa ea belli tempestas exoriretur: *Bono animo*, inquit TRIVMPARA, *Diuinæ prouidentiæ fidite; quæ bonas causas, dum in potissimum discrimen adductæ, subleuare consueuit. Neque enim permittam; vt ij quos semel in tutelam atque amicitiam recepi, me viuo & consentiente, ad alienam opem supplices ac vagi confugiant.* I. P. Maff. hist. Ind. lib. 2.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Æqualis benignitatis ille. Cùm enim Neapolitani ad perpetuam sui Regis memoriam arcum triumphalem communibus impensis exstruere, ac nominis eius famam posteritati consecrare in animum induxissent; quo requisitum spatium vndequaque haberet, Nicolai Mariæ Buzurij equitis clarissimi domum demoliri contendunt. Res ad Regem per occasionem defertur: qui eam improbans, *Non tanti*, aiebat, *facio ædificia ventorum & aëris iniuriæ exposita, vt ob id amici mei veteris dirutam domum velim.* pluris faciens amicum, quàm sui nominis æuiternum monumentum. Panorm. lib. 1. de Gestis Alphonsi.

IDEM

Audiens illud Vespasiani dictum, Amici diem perdidi: *Gratiæ Deo*, ait, *quòd eam ob rem nullum diem perdidi.* Ibidem.

EQVES

EQVES ANONYMVS GARSIÆ REG. NAVARRI.

Æquè hoc in genere nobilis ac clarus EQVES GARSIÆ Regis, ille enim Ferdinando & Garsia in Hispanijs bello decertantibus, Garsiam quem puerum educauerat, bello atque prælio abstinere monet: sibi constare asserens, eum à suis relinquendũ: (malè enim audiebat apud suos Garsias.) contemnit hic monita, & se prælio parat. Quid faceret amicus EQVES? instat, vrget, perurget, at frustrà. tandemque in hoc verbum prorupit: *Eheu! statutum video vt interficiaris: cui rei cùm nihil opis adferre queam, id enitar saltem, ne te vel mortuum vel victum videam*. Ita galeam atque thoracem exutus, solo ense hastaque in hostium turmam ingruit, non rediturus. maluit quippe cum amico mortem oppetere, quàm superstes eum mortuum videre, aut victum. Bap. Fulgos. lib. 4.

THOMAS PONTANVS.

Et hic prudentia ac rerum experientia clarissimus, dicere solebat: *Amorem nunquam fecisse stipendium*. Innuebat autem, Amoris eam esse vim, vt vbiuis terrarum facilè locum inueniat, etiam sine pecunia. Iac. Spieg. in lib. 2. Æn. Syl. de Dictis & Factis Alph.

THOMAS MORVS.

Magnus item iste Amicorum & Amicitię cultor, etiã in extremis angustijs constitutus. Accepta quippe mortis sententia, eaque qualis in latrones ferri solet; cùm eam clementer (vt dicebant) Rex mitigasset, eò quòd benigniùs cum eo agere decreuisset: *Hanc*, aiebat, *Regiam benignitatem ab amicis meis omnibus auertat Deus*. Thom. Staplut. in vita cap. 18.

AMOR DEI. *vide* DEI AMOR, & CVLTVS.

AMOR PROXIMI. *vide* CHARITAS ERGA HOMINES.

AMARI A SVBDITIS.

SIGISMVNDVS IMPERATOR.

SVbditos habere parum admodum est, ab iisdem timeri minus, amari autem plurimum. illud enim crudelitatis, hoc candoris beneuolentiæque symbolum. Hinc ęternâ memoriâ celebrandus SIGISMVNDVS, qui dum in controuersiam adduci intellexisset, Præstarétne amari Regem Principémve à subditis, an timeri? respondit: *Superi amari volunt & timeri, ita & Reges; neque enim ames, nisi timeas.* eo videlicet timore, quem filialem siue reuerentialem vocamus. Regibus itaque competit à suis amari & timeri, si ita moderentur vitam, vt nec inferioribus terrori, nec superioribus sint despectui. Æn. Syl. lib. 4. Comm. in Res gestas Alphonsi.

FREDERICVS IMP.

Percontanti quos præ cæteris amaret ardentiùs, respondit: *Qui me minùs metuunt, quàm Deum.* Pręclara atque imperatoria vox: timeri vult; at moderatè. Qui enim non timet, contemnit. Æn. Syl. lib. 4. Comment. in Res gestas Alph.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Neque fuit ab hac mente alienus ALPHONSVS: qui rogatus, quos è popularibus percaros haberet; *Illos*, inquiebat, *qui non magis me, quàm pro me metuunt.* Sentiebat autem illos verè amicos, qui

Principem magis amant, quàm metuunt. Panor. lib. 4.

THOMAS PONTANVS.

Ille identidem Amoris penetralia ingressus, frequenter in ore habebat, & corde: *Amorem inermem incedere, dormire tamen loricatum.* Acutè notabat, amorem subditorum erga Principem tanti fieri; vt Princeps, cui suorum beneuolentia satis supérque perspecta est, non sibi timeat, licet solus interdiu obambulet: noctu tamen suo corpori custodes adhibet. Iac. Spieg. in lib. 2. Æn. Syl. De dictis factisque Alph.

D. LVDOVICVS GALL. R.

Claudat hoc agmen LVDOVICVS, qui letali morbo correptus, accersito Philippo filio regni herede; *Rogo te,* aiebat, *fili; cura vt à subditis ameris. malim enim Scotum, aut aliquem ex vltima Barbarie, ad Francos sapienter & piè regendos accersiri; quam te cum infamia tam illustre sceptrum tenere.* Ionuil. in vita eiusd. cap. 98.

ANGELORVM CVSTODIA.

IESVS CHRISTVS.

MAgna animarum, inquit Hieron. fidelium dignitas, vt vnaquæque ab ortu suæ natiuitatis habeat in sui custodiam Angelum deputatum. quod etiam ex SALVATORIS nostri responso non obscurè elicitur. Rogantibus enim discipulis, Quis putas maior est in regno cælorum? aduocato paruulo, eum in medio illorum statuit, eiusque innocentiam illis commendans, & contemptum vetans, subdit: *Videte ne contemnatis vnum de pusillis istis: dico*

dico enim vobis, quia Angeli eorum, ſ. cuſtodiæ deputati, *in cælis ſemper vident faciem Patris mei, qui in cælis eſt.* apud quem nempe vos accuſabunt, ſi vnum ex iſtis contemnatis. Quàm benè exclamat hoc loco D. Bernardus! Benignus es Domine, qui non es contentus noſtra fragilitate murorum; ſed ipſis hominum cuſtodibus angelicam cuſtodiam ſupponis. Matth. cap. 18.

ABBAS ISODORVS.

Beatum Abbatem Moyſem tam vehementer impugnabat fornicationis ſpiritus, vt ſui compos in cella remanere vix poſſet. Solatium quæritat apud ISODORVM: qui cùm fruſtrà, ad cellulam rediret, hortaretur; tandem eum ad ſuperiora domus ducit, & ad Occidentem reſpiciat, mandat. paret: vidétque innumerabilem dæmonum copiam inter ſe turmatim concertantium. Dein' iubet ad Orientem ſe vertat: hîc conſpicatus ſplendentem Angelorum exercitum. Tum iteratò ad eum ISODORVS: *Quos*, inquit, *in Occidente vidiſti, ipſi ſunt qui etiam iuſtos impugnant: quos verò verſus Orientem, hi quos in adiutorium mittit ſeruis ſuis Dominus exercituum. Cognoſce igitur, quòd plures nobiſcum ſunt, quàm cum illis, vt dixit Eliſæus Propheta.* In vitis Patrum.

S. CÆCILIA VIRGO & MARTYR.

At iniuriam pateretur fæmineus ſexus, ſi eum ſilentio præterirem. veniat ergo in medium CÆCILIA Romana, genere, patriâ, & virtute nobilis virgo, & ſuum de Seraphici ordinis ſpiritibus iudicium depromat. A prima ætate Chriſtianæ fidei præceptis inſtituta, Deo virginitatem conſecrat. Sed quid? inuitam parentes Valeriano in coniu-

gem locant: ad quem illa, primâ nuptiarum nocte, hunc ſermonem habuit: *Ego Valeriane in Angeli tutela ſum, qui virginitatem meam cuſtodit: quare ne quid in me committas, quo ira Dei in te concitetur.* quo dicto commotus Valerianus, Chriſti ſponſam contingere non eſt auſus: quin addidit, ſe etiam in Chriſtum crediturum, ſi Angelum videret. Breuiar. Rom. 12. Nouemb. ex vita.

S. AGNES VIRGO & MARTYR.

Quid te dignum loquemur tenella VIRGO? quæ, dum Semphronius tuæ vrbis Præfectus, concepta furoris flamma, optionem daret, vt vel Veſtæ impuræ deæ ſacrificium faceres, aut meretricium contubernium ingredereris inuita; hac eum voce compellas: *O os impudens! ſi Dei mei tibi virtus innotuiſſet, non in tam impias voces prorumperes. Illi ea cura eſt corporis mei, vt Angelum ſuum mihi aſſociet, qui corpus iſtud ab omni iniuria vindicet.* Nos etiam qui Angelorum præſidio in his fluctibus gaudemus,

Dicimus grates tibi ſumme rerum
Conditor, Verbo tua quòd miniſtros
Flammeos finxit manus, Angelorum
Agmina pura.
Quos iubes nobis comites adeſſe,
Et pios cœtus hominum tueri,
Atque graſſantis premere incruenta
Arma leonis.

In vita eiuſdem apud Surium, ex diuo Ambroſio.

ANGLI POPVLI.

S. GREGORIVS.

NEc erit à proposito nostro alienum, si quod de ANGLIS præclarè dixit Pontifex, & vitæ sanctitate & doctrina Maximus, suo hîc ordine subiungamus. Anglo-Saxonibus regnum Angliæ occupantibus, indigenæ passim cum fide expulsi & extincti: donec Ecclesiam administrante Gregorio Papa tam hæc quàm illi rursus exsurgerent. Hic autem cùm fortè Anglorum liberos Romæ venales exponi conspicaretur, alludens ad patriæ vocabulum, *Benè*, inquit, *Angeli dicuntur, quia vultu nitent angelico. oportet eis iter æternæ salutis pandere.* & affectum pio effectu comprobauit. Sebastianus Munst. lib. 2. de Institut. Britan. cap. 12.

ANIMÆ IMMORTALITAS, ET CVLTVS.

IESVS CHRISTVS.

POtissimum in hac vitæ palæstra laboris solatium est, quòd absoluta hac viuendi periodo aliam vitam exspectemus, longè beatiorem, ac nullo fine terminandam. Hinc immortalitatis largitor CHRISTVS, muniens suorum corda ad fortiter tolerandas persecutiones; *Nolite*, ait, *timere eos qui corpus occidunt, animam verò non possunt occidere.* illa vtpote immortalitatis dono prædita, etiam cum corpore immortalem retributionem accipiet. Lucæ 12. Matth. 16. Marc. 8.

IDEM

Vt animæ immortalitatem explicatiùs proponat, exemplo villici iniquitatis adducto, qui sibi compararat amicos de bonis Domini sui; tandem concludit: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis* (diuitias intelligit, quæ ordinariè ab iniquitate descendunt, aut per eam acquiruntur, vt notauit Ianssenius) *vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.* quod verum non esset, nisi anima post mortem corporis aliud haberet receptaculū, numquam cum eâ interiturum. Luc. c. 16.

S. STEPHANVS PROTOMARTYR.

Calamus manúsque scribentem deficeret, si omnes in hunc locum referre voluero, qui de hac vita exeuntes, in Domino mortui, hanc immortalitatis spem etiam in medijs angustijs præclarè protestati sunt. Sit instar omnium vnus STEPHANVS: qui à persecutoribus saxis obrutus, læto animo exspectans sempiternam illam mercedem, positis genibus; *Domine Iesu*, inquit, *accipe spiritum meum.* Act. cap. 7.

IOANN. SHERTVS ANGLVS.

At dignum etiam foret recensere, quàm multi nostro æuo huius immortalitatis desiderio apud Anglo-Caluinistas mortem oppetierint. Ex his IOANNES SHERTVS, reus crimine læsæ Maiestatis, quòd Reginam Angliæ, caput Ecclesiæ negaret; cùm moneretur veniam delicti petere, & sententiam mutare: *Quid?* inquit, *pro vili hoc cadauere conseruando, animam meam perdam? absit.* Ex martyr. eiusdem.

ALPHON-

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Satis multa de illis: Ciuilia etiam adijciamus. Maximum sibi immortalitatis argumentum videri asserebat ALPHONSVS: *Quòd corpora in hac vita decrescant, suosque terminos habeant: animi verò, quantò ampliùs ad annos accederent, tantò magis sapientia, virtute & intelligentia crescerent.* Panorm. lib 4. de Gestis eiusdem.

IDEM

Reuoluens opera Senecæ Philosophi rogabatur, cur animus hominis ita esset insatiabilis. qui ait: *Animus hominis à Deo profectus, non priùs conquiescit, quàm eò redeat, vnde profectus est.* Ita olim Lucretius:

Cedit enim retrò de terra, quod fuit antè
In terra: sed quod missum est ex ætheris oris,
Id rursum cæli fulgentia templa receptat.

Panorm. lib. 1. de Gest. eiusdem.

FREDERICVS IMP.

Æquali prudentia hic. Dum enim in Austria vita functus esset è primoribus suis vnus, annum agens 93. cui omnia viuenti ex animi sententia euenerant: *Et hinc*, ait IMPERATOR, *immortales animas censere licet. Nam si Deus est, vt verè est, qui hunc mundum gubernat; eumque iustum nemo nisi iniustus negat; alia profectò loca sunt, ad quæ post mortem animæ commigrant, vbi pro meritis demeritisve, mercedem pœnámve consequantur: hic enim neque bonis sua præmia, neque malis pœnas reddi videmus.* Æn. Syluius, de Dictis Alphonsi.

IOANNES DE CANIS MEDICVS.

Ad alia properantem, tenet me IOANNES DE CANIS Medicus Florentinus, multi quidem nomi-

nis, at modicæ pietatis. Hic enim cùm ex Matæosophiæ principijs, animam mortalem esse sibi certò constare semper affirmasset; morti proximus, dubitare cœpit: animamque agens, *Sit*, exclamat, *nec ne, mox sciam*. Ioan. Bapt. Gellus, Dialog. 2. Chimærico.

CAROLVS V. IMP.

Et hic cæteris meritò adiungendus, qui Philippo filio occupato circa corporis ac capillitij potissimùm cultum, *Non corpus*, inquiebat, *sed animus excolendus, quo veros tibi concilies amicos*. Significabat prouidus IMPERATOR, mores animi esse verè amicos fideles, qui nunquam etiam in aduersis destituunt possidentem. Hinc satis appositè Iac. Bill.

Ancillæ inseruit domina quicunque relicta,
Ecquis eum sani pectoris esse feret?
Non sani magis est animi, qui mollia quærens
Carni, animam lenta tabe perire sinit.

Ex vita Caroli V.

ANIMI PROMPTITVDO. *vide* OBEDIENTIA.

ANIMI FORTITVDO.

S. VINCENTIVS.

ANimosum nunc & apertum niuei pectoris robur pertractandum. cuius dum exempla persequor, se primùm offert B. VINCENTIVS. qui Daciano grauia tormenta minitanti, ni idolis litaret; *Hæc*, ait, *sunt quæ omnibus votis mihi cupio offerri. Frustrà fatigaris Daciane; non poteris tam crudelia parare tormenta, quàm ipse paratus non sum sustinere.* August. Serm. 12, & 13. de SS. item Surius in vita.

IDEM.

IDEM.

Vide ARGVTE DICTA.

S. LAVRENTIVS.

Quis te martyrum clariſſime LAVRENTI hoc loco prętereat? qui craticulæ ſuperimpoſitus,ac penè toſtus, Tyrannum illudis, &, *Verſa*, inquis, *& manduca.* O ſtupendam, & nullis ſæculis auditam fortitudinem! In vita apud Sulpitium.

S. DIONYSIVS EPISC. ALEXANDR.

Hic etiam,dum impijſſimorum hominum inſultus fortiter pro Chriſto ſuſtineret, ad tortores conuerſus; *Quid*, inquit, *inſpectando laboratis? Caput meum, pro quo tantoperè fatigamini, auulſum ceruice, tyranno veſtro dono mittite.* Euſeb. lib. 6. Hiſt. Eccl. cap. 30.

MACEDONIVS, ET THEODVLVS, E TATIANIS.

Et hi eodem igne cum prioribus accenſi, dum noctu in delubrum irruunt, & ſimulacra confringunt, iuſſu Amachij, Iuliani præfecti, cratibus ferreis impoſiti, lento igne torrentur. Toſti aliquantulum, non ſecùs ac B. Laurentius, tyrannum compellant: *Amachi, aſſum deſideras? Conuertito nos in alia latera, ne ſemiaſſati palato tuo minùs ſapidi videamur.* & ita vrbanè iocantes, Chriſti martyres efficiuntur. Suidas.

S. IGNATIVS MARTYR.

Vide ARGVTE DICTA.

IOAN. FISCHERVS EPISC. ROFF.

Illa prioris ætatis, hoc noſtræ. IOAN. FISCHERVS vir eruditione & pietate vix vlli par, quòd Henrici VIII. primatum Eccleſiaſticum nollet confiteri, morte mulctatus; cùm ſupplicij locum intueretur, abiecto cui ſenex innitebatur baculo, *Eia*, inquit,

pedes officium facite, parum itineris iam restat. N. Sand. de Schiſm. Anglic. lib. 1.

S. CHRISTINA.

Proſequamur etiam infirmioris ſexus fortitudinem animi & robur. CHRISTINA, pietate non minùs quàm genere nobilis, cuius tolerantiam mirabor faciliùs, quàm laudabo; patris, qui Tyri Italiæ opidi Præfectus, idola confregerat. Qui eam dum blandimentis minisque à vera fide remouere conatur, & ſcopulo videret immobiliorem, vngulis diſcerpi imperat. at illa, laceri corporis partem in os patris inijciens: *Satiare miſer,* aiebat, *carnibus, quas genuiſti: filiam comedere potes; at certè impietati tuæ conſentiat, facere non potes.* Vinc. Spec. lib. 2. cap. 82. Sur. tom. 3. in vita.

S. AGATHA.

Et hæc, dum Quintiano iubente in mammilla diſtorqueretur, ad illum conuerſa, exclamabat: *Impie, crudelis, dire Tyranne: non te pudet in me amputare, quod in matre ſuxiſti? at nihil proficis: habeo quas auellere non potes interioris fidei ſpeique mammillas: quarum alimento in me reparatur ſuſtinendi virtus.* Sur. tom. 1.

S. AGNES VIRGO & MARTYR.

Quis hunc virginitatis & martyrij florem pro dignitate explicet? fulgebat in tenellis annis cana virtutum omnium effigies; in puerili pectore plus quàm virilis animus delitescebat. Nam cùm multa in Idolorum contemptum coram Symphronio Pręſide ſapienter dixiſſet, & ille; Patior te, diceret, deos blaſphemantem, quia tuos annos infra ſenſum adſpicio: *Fides,* aiebat, *non in annis, ſed in ſenſibus inuenitur:*

nitur: & Deus magis mentes comprobat, quàm ætates. Sur. tom. 1. in vita.

EADEM.

Non sic ad thalamum nupta properaret; vt ad supplicij locum, læta successu, gradu festina, hæc VIRGO processit. Quo non terrore egit carnifex, vt timeretur; quibus blanditijs, vt suaderet: quantorum vota, vt sibi ad nuptias proueniret? At illa, *Et hæc sponsi iniuria est*, inquit, *exspectare placituram. Qui me sibi prior elegit, accipiet. quid percussor moraris? Pereat corpus quod amari potest oculis, quibus nolo.* Stetit, orauit, ceruicem inflexit. & ita vna hostia duplex martyrium subijt, pudoris & religionis. Ambros. de Virginib. lib. 1.

S. DOROTHÆA VIRGO & MARTYR.

Vide DEI DILECTIO, CVLTVS, *&c.*

S. THEODORA VIRGO & MARTYR.

De huius etiam fortitudine dixisse, detraxisse est. quis enim à memoria sæculorum similem huic audiuit aut legit aliquando? Trahitur ad lupanar VIRGO, à milite imminuenda, & ecce de martyrio contēdit vterque. Iudicatur miles vt reus pro VIRGINE, at illa ad locum supplicij accurrens, inclamare cœpit: *Non ego te mortis vadem elegi, sed prædem pudoris optaui. In me lata est ista sententia, quæ pro me lata est. Moriar certè innocens, ne moriar nocens. Nihil hîc medium: hodie ero aut rea tui sanguinis, aut martyr mei.* S. Ambros. in vita, lib. 2. de Virgin.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Admirationis etiam plena exempla habet Ciuilis ordo. In quo principatum obtinet LVDOVICVS XII. Gall. Rex. monitus quippe Mediolanensi bello tormentorum ictus vitare. *Ecquem*, ait, *Galliarum Regem,*

Regem, vnquam pilâ necatum accepistis? Qui metuit, me clypei loco vtatur. Corozet.

CAROLVS V. IMP.

Paris fortitudinis CAROLVS V. cùm enim in Germania ad Ingolstadium copias haberet, cinxissentque eum ingenti exercitu fœderati hostes, & æneorum tormentorum copiâ ferream grandinem in castra ipsa non sine graui pernicie immitterent; monentibus sibi prospiceret, immutato vultu & loco, arridens dixisse fertur: *Confidite, nullus vnquam Imperator tormenti ictu interijt.* Dignum memoriâ ac laude sæculorum. I. Lips. Monit. Polit. lib. 1. cap.7.num.10.

IDEM

Cùm in Hispaniam profecturo, sedatis iam fluctibus, pestem in locis maritimis magis inualescere nuntiaretur; quasi nihil ducens, *Eundum*, ait, *nec prætermittenda tam bona tempestas: pestis Augustum, pestis Cæsarem, pestis Carolum vllum nunquam attigit.* Franc.Robertel.in Orat. sua funebri.

LVDOVICVS BAVARVS.

Detinebat hunc in vinculis Albertus Marchio Brandeburgensis, cumque multa ab eo peteret, & nihil impetraret, minas adiecit; ni pareat, tradendum in manus sui hostis. cui LVDOVICVS: *Quæ poteris ex me libero impetrare, eadem modò ex capto petito. Si amplius quid voles, corpus meum in tua potestate est; animum verò mihi, non tibi obnoxium inuenies.* Æn. Syl.lib.3.Comm.de Gestis Alph.

THOMAS MORVS.

Egregium quoque fortitudinis decus THOMAS MORVS. Ille namque ad locum supplicij, certaminis gloriosi palæstram, deductus, recitato Psalmo 50.

ac

ac finita prece, dum veniam Carnifex de more peteret, ei osculum & Angelotum aureum porrexit, dicens: *Tu mihi hodie id beneficij præstiturus es, quod hactenus nemo mortalium aut præstitit, aut præstare potuit.* quídnam illud? hoc sanè, quòd ad auctorem suum anhelans properaret spiritus ex hoc mundi carcere, ad lucidas illas sedes,

Ver vbi æternum, tepidasque præbet
Iuppiter brumas.———

Thom. Staplet. cap. 20. in vita.

MVLIER ANONYMA.

Digna hæc, quæ cum prioribus sui sexus decertet. Otho IIII. Imp. equitem, qui falsò fuerat accusatus, nomine tentatæ pudicitiæ Imperatricis, capite plecti iussit. Vxor mariti caput gremio gestans, Imperatorem adit, &, Qua pœna iniustus Iudex mulctandus? rogat: Morte, ait Imperator. Illa subintulit: *Tu ergo Imperator morere, qui maritum meum innocentem occidisti. Innocentem fuisse, ferro ignito quod innoxiè manibus meis contrecto, probabo.* animosè profectò, & supra sexum fæmineum. Bern. Corius in vita Othonis.

AQVA LVSTRALIS.

MACEDONIVS MONACHVS.

NEque hîc reticendum, quàm mirabilis Deus in operibus suis, ac ijs potissimùm, quæ Rom. Ecclesia S. Spiritus instinctu gubernata, mysticè ad sanctificationem nostram vsurpat. Quod de AQVA LVSTRALI, cuius non infrequens & inutilis vsus, adstruit MACEDONII Monachi exemplum. Nam dum adhuc in vtero gestaretur Theodoretus, ac matri grauidæ aborsus immineret, eam inuisendi gratia

gratia accersitus, aduenit MACEDONIVS (eius quippe precibus priùs sterilis conceperat) & aquam per orationes Ecclesiæ expiat. tum, *Bibe*, inquit, *hanc aquam, & diuinum tibi præstò aderit auxilium.* paret, & abortionis periculo liberata, tam pretiosam margaritam, nempe Theodoretum, orbi dedit. Theodoret. hist. P. C. 13.

ARGVTE DICTA ET RESPONSA.

S. VINCENTIVS.

PAuca in hanc rem alio in loco diximus, vbi de acutè Dictis particulatim egimus: quorum pleraque huc reuocari, & ex his nonnulla eodem reduci possunt. B. VINCENTIVS, vt ab eo sumamus initium; in equuleum à Daciano sublatus, ac per ludibrium roganti, Vbinam es? *In sublimi*, magno animo respondit, *vnde te terrena potestate tumentem, altior despicio.* Aug. Serm. 12. & 13. de SS. & in vita eius.

S. IGNATIVS.

Vincentio meritò adiungetur, qui eiusdem etiam certaminis victor, IGNATIVS. Romæ quippe ad bestias damnatus, dum in Theatrum productus rugitum perciperet leonum; alacri vultu vocéque; *Frumentum*, ait, *Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar.* Verus IGNATIVS, qui diuini amoris igne succensus, cupiebat cum Apostolo dissolui, & esse cum Christo. Euseb. lib. 3. hist. Eccles. cap. 30.

S. ANASTASIVS MARTYR.

E custodia eductus, cùm Idolis immolare compelleretur, rogat tyrannum, Quibus? eóque dicente,

te, Igni, Soli, & Lunæ; dixit ſubridens, *Ergo etiam montibus, collibus, & pecoribus, omniq́ue ſeruituti hominum: quibus imperare iuſſi à conditore, non parêre.* Sur. tom. 1. in vita.

S. Ephraem.

Claudet hunc ordinem Ephraem. qui cùm Edeſſæ ageret, ac cibum ſibi pararet, à meretrice per feneſtram patentem deſpectus eſt. quæ cùm impudentiùs inclamaret, Benedic Abba: & indecoro cum riſu interrogaret, Quid deeſt cibo tuo? argutè, at modeſtè reſpondit: *Tres lateres, & parum luti, vt hæc feneſtra obſtruatur.* Sur. tom. 1. in vita.

Abbas anonymvs.

Sed inſerit ſe etiam iſte. de quo memoriæ proditum, quòd priuſquam ab Abbatis munus eueheretur, demiſſo in terram vultu, miram humilitatem & benignitatem præ ſe ferret. at in demortui Abbatis locum communi ſuffragio conſtitutus, vt dignitate, ita & animo vultúque factus elatior. miranti autem cuidam tam ſubitam morum mutationem, reſpondit: *Quòd priùs demiſſo vultu incederem, erat, quòd cœnobij claues quærerem: quibus nunc inuentis, quin me erigo, & ceruicem attollo?* Greg. Richterus axiom. Polit.

S. Agatha.

Ad fæminas digrediamur: æquè illę cum viris in hac laude illuſtres. Cùm multa de ſuperſtitioſo falſorum deorum cultu præclarè in medium adduxiſſet Chriſti Martyr Agatha, eámque Quintianus Præfectus à ſententia reducere conaretur, dicebat: *Sit ſicut Venus dea tua, vxor tua: & tu ſicut Iupiter deus tuus.* inſinuans illud Pſal. Similes illis fiant, qui faciunt ea, &c. Sur. tom. 1. in vita.

S. Mar-

S. MARCELLA VIDVA.

Dum eam vir conſularis coniugem peteret, & illa coniugium abnuens, diceret; Si vellem nubere, maritum quærerem ætate magis florentem, non verò hæreditatem, &c. & ille intuliſſet, poſſe ſenes diu viuere, & iuuenes citò mori; eleganter & argutè luſit: *Iuuenis quidem poteſt citò mori, & diu viuere: ſenex diu viuere non poteſt.* Sur. tom. 1. in vita.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Ad alia feſtinat calamus. properanti autem ſe obijcit ALPHONSVS ARAGONIVS: qui Virgiliana lectione occupatus, & quidem vbi de Didonis interitu agit, cùm terræ motus concitaretur, & rem improuiſam admirarentur omnes; *An mirum*, inquit, *vobis videatur, ſi in morte tam celebris Reginæ, terra intremiſcit?* appoſitè & argutè ad rei nouę turbationem leniendam. Panormit. lib. de Geſt. eius.

RVDOLPHVS IMP. AVST. *vide* CVRIOSITAS.

CARNIFEX HORNANVS.

Videbat hic ciues Hornanos (opidi nomen in Batauia) acriùs in eos ſæuire, quos ob Romanæ fidei conſtantiam neci adiudicatos ipſe ad ſupplicijs deſtinatum locum deducebat; ac gentium more, illo rerum ſtatu, varia quemlibet tormentorum genera, quibus rei afficiendi, ſuggerere: non ſine acri ſale, *Malum!* inquit, *haudquaquam deinceps mea opera indiget Senatus Hornanus, cuius ciues tam accuratè tortorum officio perfunguntur.* Ex manuſcrip. Martyr. Holl. P. Opmeri.

Vide infrà ARTIVM CONCERTATIO.

ARROGANTIA. *vide* SVPERBIA.

ARS

ARS EIVSQVE DIGNITAS.

PIVS II. PONT. MAX.

QVanta res ſit ingenuas pectus coluiſſe per artes, vt canit Ouidius, clarius eſt, quàm vt multis confirmemus: ne tamen ab inſtituto noſtro diuertamus, quanto in pretio apud viros magnos Artes ingenuæ habitæ, paucis comprobabimus. PIO II. Pontifici tanto in honore erant artium omnium moderatrices Bonæ literæ; vt cùm de illis mentio incidiſſet, crebriùs in hanc vocem eruperit: *Plebeis argenti, Nobilibus auri, Principibus gemmarum loco literæ eſſe deberent.* Sciebat prudentiſſimus PONTIFEX, iis ingenium molliri, & ſolas eripi à nullo poſſe. Platin. in vita.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Queri mecum etiam ALPHONSVS videtur, & ne prætereatur metuere. Ad ſummam quippe eius laudem facit, quantus bonarum artium exſtiterit indagator, recenſere. Interrogatus aliquando, librí ſne, an armis maiorem gratiam deberet; *Ex libris*, ait, *arma, & armorum iura didici.* inſinuans ſe libris, & quæ in iis doctrinæ, acceptum referre, quidquid haberet induſtrię: ac vero verius eſſe illud Naſonis:

Artibus ingenuis quæſita eſt gloria multis.

Panorm. lib. 4 de Geſtis eiuſd.

LADISLAVS.

Quo tempore Fredericus Imperialibus infulis à Nicolao V. Pontifice Romę cingebatur, LADISLAVS ætate non mente puer, clamitabat ſæpiùs: *Homines mihi non videntur, qui bonas literas ignorant.* Iudicabat, & id rectè, tum demum homines

à brutis animantibus differre, quando animũ honestarum disciplinarum vomere excoluissent. Æn. Syl. lib. 3. Com. de Gestis Alph.

Vide APOPH. *de* DOCTRINA & ANIMI CVLTV. *Item de* DOCTRINA IN PRETIO HABITA & LIBRIS.

ARTIVM CONCERTATIO.

LEO X. PONT. MAX.

NOn tantùm liberalium Artium scientiam habuisse quibusdam gloriæ & laudi datur; sed & eam tempore & loco depromsisse. Exemplo sit LEO X. PONT. verus Musarum patronus, qui serijs & grauissimis suis negotiis gaudia quandoque & ludicra interponens, versibus ex tempore cum Camillo Querno, qui se Archipoëtam iactabat, certare poterat. Dum namque mensæ LEONIS de more adstanti, pensum persoluere duorum carminum, foret imperatum; ilicò in hoc erupit:

Archipoëta facit versus pro mille poëtis.

cúmque ad secundum hæsitaret, inexspectatò LEO hoc pentametrum subiunxit:

Et pro mille alijs Archipoëta bibit.

Quernus verò dum se recolligens subijceret:

Porrige quod faciat mihi carmina docta Falernum.

LEO repentè à Virgilio mutuatus, Quernum, quòd præ nimio potu podagricus esset, illudẽs, conclusit:

Hoc etiam eneruat debilitátque pedes.

Iouius in Elog. & Theatrum vitæ hum.

EOBANVS HESSVS POETA.

Ille etiám cum Sinapio certamen inijt, vter distichon plurium pedum ex tempore depromeret; Sinapio

Sinapio hexametron proferente, EOBANVS ita orsus:

Mille boues pascunt, vitulorum millia mille,
Musca super vitulum quemlibet vna sedet.

&, *En victor abeo,* inquit : *nihil enim refert metricine pedes essent, an verò ζωτικοὶ intelligerentur.* Theat. vit. hum.

GEORGIVS SABINVS & STIGELIVS POETÆ,

Ad conuiuium vocati, ab accumbentibus vt versibus concertarent impulsi. SABINVS ætate & dignitate prior, cœpit:

Carmina conscribant alij dictante Lyæo,
Multa sit in versu cura labórque meo.

quod STIGELIVS citè excipiens, ac carmen inuertens, ait:

Carmina conscribant alij dictante cerebro,
Nulla sit in versu cura labórque meo.

quis non vtrumque vitulâ dignum iudicauerit? Ibidem.

ANONYMVS GERMANVS.

Addam & aliud non minùs ingeniosum quàm facetum. Orta erat contentio inter quosdam, an equestre studium literario cederet; an verò è conuerso. Equites mira in suum fauorem adducunt: quę resumens, qui fors aderat, homo literarum non expers; *Quid,* inquit, *vos ipsi agnoscitis equestre studium inferius studio literarum. ideò enim abiectis caudis equinis, quas olim equites gestare soliti, pennas vobis imponitis; eásque in vertice aliàs inglorio, tamquã trophæum à literatis positum, statuitis.* Pennas enim, scribendi artificium, ioco interpretabatur.

Georg. Sab. lib. 13. Metamorph.

ASSENTATIO. *vide* ADVLATIO.

ASSIDVITAS. *vide* INDVSTRIA, & LABOR.

ASTROLOGIA.

ANONYMVS EX ALPHONSI COMITATV.

NOn pauci hanc artem meritò despexerunt, cùm quòd incerta sit, & coniecturis dumtaxat habeatur eius certitudo; tum quòd inutilis & vana. Senserat hoc Alphonsus Rex, quem sæpiùs in testem adduximus. de eo enim cùm inter nonnullos quæsitum esset, cur præter morem (erat enim in omne hominum genus munificus & liberalis) solos Astrologos præteriret: neque enim tales vnquam in Curia eiusdem visi: quidam adstantium quo Rex familiariter vtebatur; *Sidera*, aiebat, *stultos regunt, impelluntque: sapiens astris imperat.* Stultos ergo Principes, Astrologos honorare consequens est; non verò sapientes, inter quos nomen Alphonsus obtinet. Æn. Syl. lib. 4. Com. de Gestis Alph.

ANONYMVS, & ASTROLOGVS CANDIDVS.

CANDIDVS dum se plurima ex siderum adspectibus cognouisse iactaret, & de multis rerū euentibus admonitum diceret, quidam non illepidè; *Certè*, inquit, *miror, quòd astra cùm sciant & videant vxorem tuam non satis pudicam, te tamen de eo non commonefaciant*. facetè eum redarguens, quòd astrorum cursus & ordinem sectans, vitæ suæ & coniugij ordinem negligeret. quo sensu dicebat aliquando Bias, ridiculos esse Astronomos, cùm non videant pisces iuxta se in litore nantes, illos qui in cælo sunt, videre se dicant. CANDIDVM autem

tem hoc Epigrammate deſcripſit Thomas Morus, quod his ſubnectere non erit à propoſito alienum:

Sæpè ſuam inſpectis vxorem Candidvs *aſtris,*
Prædicat en vates omnibus eſſe bonam.
Inſpectis iterùm, poſtquam vxor adultera fugit,
Prædicit vates omnibus eſſe malam.
Omnibus ergo vxor quòd ſe tua publicat; id te
Aſtra licet videant omnia, nulla monent.

Anonyma mvlier.

Nec aliter iudicauit; exigui aliàs iudicij mentiſque, muliebris ſexus. Nam cùm Aſtronomi cuiuſdam ancilla, dominum ſuum aſtris nimium curioſè intentum in cloacam cœno refertam incidiſſe aduertiſſet, in cachinnum ſoluta, tantum abeſt vt de extrahendo cogitaret, vt diceret: *Meritò ac iure illud tibi euênit: qui cùm iuxta pedes poſita ignores, cæleſtibus contemplandis animum adijcis.* Hoc ipſum Thaleti accidiſſe, auctor eſt Stobæus. Cautè ergo Alciatus in Emblematibus, adducta Icari fabula, monet:

Aſtrologus caueat quicquam prædicere: præceps
Nam cadet impoſtor dum ſuper aſtra volat.

Auct. Serm. conuiual.

ASTVTIA BONA AC MERITORIA.

Evsebivs Vercellensis Episc.

Qvemadmodũ Astvtia fraudis doliq́ue cõſcia, improbanda eſt; ita ea ſummoperè probanda, quam prudentia & pietas comitatur. Talem exhibuit Evsebivs Vercellenſium Antiſtes, cùm Arianos à Dionyſio Albanenſi Epiſcopo ſubſcriptio-

ſcriptionem ſui dogmatis per fraudem extorſiſſe accepiſſet. Ille etenim artem arte deluſit, dolúmque fraudulentum prudenti aſtutiâ compenſauit. Finxit autem ſe quoque eiuſdem opinionis cum Dionyſio. hinc ab Arrianis ſubſcriptionum indicem accipit, vt & ipſe illi ſua ſignatura adſtipuletur. verùm vt vidit Dionyſij nomen inter primos; quaſi ad rem nouam ſtomachatus, *Vos*, ait, *Patrem in diuinis Filio maiorem dicitis, & cur iuuenis ille, meus quandoque diſcipulus, hîc me præcedet? non id decet, aliam itaque ſchedulã conficite, in qua ſuo ordine quiuis ſubſignet.* Dixerat: cùm Arriani hæc bona fide & ad mentem eorum ita dici autumantes, chartam lacerant, & aliam ad EVSEBIVM deferunt à nouo ſignandam. Quibus ille ſubridens, *Nec ego*, inquit, *nec filius meus Dionyſius, veſtris impietatibus ſubſcribemus.* Ex quo facto ita concludit Ambroſius: Cùm dicat Euangelium in hac generatione prudentiores filios tenebrarum filijs lucis, ecce hic ipſis tenebris prudentior filius lucis inuentus eſt. Ambr. Serm. 69.

TIMOTHEVS PRESBYTER ALEX. & MERETRIX.

Accuſatus Athanaſius quòd mulierem conſtupraſſet, vocatur cum illa ad concilium Epiſcoporum. cúmque ab Arrianis ſubornata impudenter Athanaſio concubitum obiiceret, TIMOTHEVS presbyter Alexandrinus (ita enim cum Athanaſio conuenerat) mulierem affatus, *Egon'* inquit, *te compreſſi mulier?* cui illa; *Tu ipſe: numquid tali loco & tempore?* ita exploſa meretrice, & accuſatio ridicula apparuit, & Athanaſij innocentia comprobata eſt. Quâm ſcitè Comicus:

Falla-

Fallacia alia aliam trudit,
Astutum fallere difficile est.

Sozomen. lib. 2. cap. 24.

CONSTANTINVS IMPERATOR.

Celebre etiam illud quod sequitur. hic enim sub Imperij sui exordium, periculum facturus quinam è domesticis orthodoxam fidem amplecterentur, qui verò ab eadem desciscerent; conuocatis omnibus, *Qui*, inquit, *dijs sacrificare voluerint, summo apud me honore mansuri sunt: qui verò id recusauerint, ilicò aula mea abscedant.* Quibusdam itaque Catholicorum aulâ exeuntibus, alijs verò dijs thura ponentibus; hos à se reiecit, illos velut domesticos suos summo honore est prosecutus. Ecquis hîc rursus in Ambrosij sententiam, quam superiori exemplo recensuimus, non descendat? Euseb. lib. 1. cap. 11.

AVARITIA.

IESVS CHRISTVS.

INnatũ humano generi AVARITIÆ malũ, quam omnis improbitatis Metropolim dicebat Bion, feram pessimam Diogenes, nostro etiam operi inserimus, vt eiusdem perniciem euidentibus exemplis demõstremus. Magnoperè autem eam cauendã prouidè nos docuit DEI FILIVS: quem dum de rebus grauibus disserentem, importunè quidam è turba compellaret, fratrem moneret vt secum hereditatem diuideret; respondit: *Videte & cauete ab omni auaritia: quia nõ in abundantia cuiusquam vita eius.* rerum quippe affluentia, non causat in homine vitam, at sæpiùs mortem. Luc. cap. 12.

S. ÆGIDIVS.

Ille quoque insignis Auaritiæ impugnator, cùm de auaris mentio incidisset, roganti, cui eos assimilari arbitraretur; *Talpæ*, respondit: *hic enim nullum thesaurum credit, nisi in terra, quam excauat & inhabitat.* Ex aureis Sent. Ægidij.

PIVS II. PONT. MAX.

Nec minùs ille Auaritię vitium insectatus. cùm enim adstantium quispiam auaros nemini prodesse dixisset; ille, *Verè nulli nisi post mortem prosunt*, adiecit. Hinc benè à SS. Patribus per porcũ hieroglyphicè Auaritia designatur; qui dum viuit, eo quòd lanam non proferat, ad nihil vtilis: ita etiam auarus munificentiæ lanam non producens, amicos, imò & seipsum nescit; nec illis, nisi mortuus, benefacit: vt est apud Salomonem in Prou. Ex lib. Rerum memor.

THOMAS MORVS.

Vt ad Ciuilem ordinem transeamus. primus in eo THOMAS MORVS, qui rogatus aliquando, cui similem diceret auarum; *Cani*, respondit, *in præsepi.* Ille enim nec fœno vescitur, nec vt equus eo vescatur sinit: ita etiam auarus congestas opes seruat, nec ijs vti alium patitur. Idem Apophthegma hoc Epigrammate pręfatus Auctor complectitur:

In præsepe canis fœno nec vescitur ipse,
Nec sinit, vt fœnum qui cupit, edat equus.
Seruat Auarus opes, opibus non vtitur ipse:
Atque alios vti qui cupiunt, prohibet.

Epigramm. Mori.

IDEM

Rogatus, cui Auaritiam aptissimè compararet; *Igni*, respondit: *qui quantò plus lignorum depascit,*

tantò

tantò feruentior fit ad plura depaſcenda. Auaritia namque hydropis inſtar, ſibi indulgens creſcit.

——— *multa petentibus Deſunt multa.*

&: *Curtæ neſcio quid ſemper abeſt rei.*

Thomas Staplet. in vita.

HIERON. STRIDONENSIS.

Huius etiam non minùs celebre dictum. de Auaris namque verba faciens, *Auaro*, inquiebat, *æquè illa quæ habet, quàm quæ non habet, deſunt.* anxiè enim ſuas opes requirit, quæſitis verò abſtinet, & vti timet. Fulgoſ. lib. 7.

IOAN. BVGHENHAGIVS.

Hic autem verus impoſtor non immeritò ad calcem adiectus. abdicata namque Religione & Fide, Apoſtata Lutheri veneno imbutus, colubri inſtar, miſerorum ſanguinem ſitiebat. Ad Daniam ergo ſe conferens vt zizania in medio tritici ſeminaret; auri cupidus, falſitatis & impietatis ſuæ dogmata Sycophanta pecunijs vendidit. vnde emenſo Baltici maris ſinu, dum Cherſonenſe littus attigiſſet, conceptam animo improbitatem peperit. dicebat enim: *Tu meum habeas Dania Euangelium, ego tuos nummos. vale.* En nouos Pſeudoprophetas, etiam Deũ ipſum cõmutare pecunijs paratos. Inc. auct.

Vide titulum de PECVNIARVM CONTEMPTV.

AVLICA VITA. AVLICI. AVLA.

CONSTANTINVS IMPERATOR.

HEliotropium cum ſole circumagi quocumque ſe ille mouerit, teſtis eſt Plinius. ad eundem modũ Proceres aulicos ad Regis Principiſve

 ingenium,

ingenium, etiam contra rectam rationem propendere, quotidiana testis est experientia. Hinc illi Principum abusus, & Reipub. defectus, quòd ita quosuis in suam Curiam, imò & ad aures admittant. Videbat id CONSTANTINVS IMPERATOR, qui Principum aulas improbis hominibus refertas intuitus, *Apagite*, inquiebat, *tineæ & sorices Palatij* Quid prudentius à prudenti Imperatore dici potuit aut debuit? Niceph. interp. & Scholiast. lib. 8. Eccl. hist. cap. 14.

ALEXANDER SEVERVS.

Hunc, grauium scriptorum vestigijs inhærens, Catholicorum cœtui annecto; licet plures eum inter Ethnicos referant. vt vt est, plura certè Christiano homine digna, sub vitæ finem & fecit & dixit. Inter alia, vrbem & domum suam hominibus non necessarijs purgabat, inter quos Aulicorum plures recensebat. dicebat autem: *Malus pupillus est Imperator, qui ex visceribus prouincialium, homines Reipub. inutiles aleret.* Ælius Lampridius in Alex. Seuero.

ANONYMVS.

Quidam Aulę sectator assiduus, iniuriarum Palatinarum patientissimus, cùm rogaretur, quomodo rarissimam rem in aula consecutus esset; *Iniurias*, respondit, *accipiendo, & gratias agendo.* Dixit fortassis in hunc sensum aliquando Persius:

——Vide sis, ne maiorum tibi fortè
Limina frigescant: sonat hîc de nare canina
Littera.

Bruson. lib. 1. cap. 5.

ALPHONSVS ARAGONIVS.

Sentiebat etiam hic, quanta esset in aulis Principum,

pum, aſſentatorum aulicorúmque pernicies. Ex Sicilia namque nauem ſoluens, vbi in altum proceſſiſſet, vidit garrias aues circum triremem natantes, & bolos à nauigantibus proiectos accipientes, ac ilicò auolantes. has cùm amicis digito monſtraſſet; *Perſimiles*, ait, *ſunt garrijs iſtis aulici aliquot mei, qui ſimulac concertantes à me beneficium accipiunt, ſtatim aufugiunt.* Notauit veros aulicorum mores, qui fideles ſe Principibus præſtant, quoad doloſi ſpes affulſerit nummi. Panorm. lib. 1. de Geſtis Alph.

FREDERICVS KHVN GERMANVS.

Vnicam autem gratiam in Principum aulis dormire, ſuo dicto confirmauit iſte: videbat aſſiduitatem & diligentiam cuiuſdam Cancellarij Imperatoriȩ Maieſtatis; & ſubridens, *Quid*, inquit, *domine Cancellarie, tam ſtrenuus & aſsiduus es rebus aulicis componendis? Eadem eſt gratia cacanti in medium conclaue, & euerrenti.* notans lentas aularum gratias; quodque verus ſit hic rithmus:

Κύεια, *qui ſenuêre, canunt*, ἐλέησον, *in aula.*

Philip. Camer. in Poſtil.

THOMAS MORVS CANCEL. ANGL.

Hinc benè & doctè ille. cùm Epiſc. Roffenſis ei ſtatum & ordinem in aulâ gratulatus eſſet, *In aulam*, ait, *inuitus veni: & in eadem non minùs malè hæreo, quàm quiſquam equitandi inſolens hæret in cella.* Meminerat, vt erat lectionis magnæ, illius Lucani: ——— *Exeat aula,*

Qui volet eſſe pius. Virtus & ſumma poteſtas
Non coëunt.

Th. Staplut. in vita, cap. 7.

BAPTI-

BAPTISMVS.

IESVS CHRISTVS.

SAlutiferæ curationis auxilium, quod reuelante gratiæ tempore (vt loquitur Beda in Lucam) contra peccati vulnus BAPTISMVS præſtat, hoc loco referamus, huius operis ordo poſtulat. Cuius quidem dignitatem ac ſupremam neceſſitatẽ eiuſdem primus auctor & inſtitutor CHRISTVS IESVS, paucis inſinuauit: dum Nicodemo, qui ad ſe nocte venerat, inquiſiturus, quomodo homo denuò naſci poſſet, eo quòd Chriſtus neceſſarium docuerat ad ſalutem renaſci; reſpondet: *Niſi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei.* quibus & Baptiſmi vtilitatem, atque abſolutam neceſſitatem, quoad omnes omnino, non eam quam præcepti vocant Theologi, ſed quam medij, explicatè inſinuat. Ioan. c. 3.

IDEM.

Quia tanta futura erat ad ſalutem eius neceſſitas, hinc poſt reſurrectionem ad Patrem tranſiturus, cùm diſcipulos ſuos per vniuerſum orbem mitteret, vnicum hoc mandatum dedit; *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti.* quo dicto & Sacramenti neceſſitatem docuit, & formam eſſentialem, ac Sacramenti neceſſitate (vt habet phraſis Theologorum) neceſſariam, expreſſit. Matth. cap. vlt.

S. PETRVS APOST.

Ille etiam poſt acceptum Spiritum ſanctũ cùm habita inſigni illa oratione de Chriſto, eiuſq; reſurrectione, quidã de circumſtantibus dicerent, Quid facie-

faciemus viri fratres? respondit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrûm in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum; & accipietis donum Spiritus sancti.* en geminus Baptismi effectus: peccatorum remissio, & gratiæ infusio. Act. cap. 11.

EVNVCHVS CANDACIS REGINÆ ÆTHIOPVM.

Quàm prudenter & prouidè iste Ierosolymis in patriam rediturus Philippum in suum currum exceperat! Et edoctus ab eo Christum, dum ad riuum quendam venissent; *Ecce aqua*, inquit Philippo, *quis prohibet me baptizari?* Cui ille: *Si credis ex toto corde, licet.* insinuans, adultis vt Baptismi effectũ consequãtur, opus esse vera fide. Act. c. 8.

S. SYLVESTER.

Neque hunc latuit diuina illa, quam per BAPTISMVM consequimur, ritè eum suscipientes, virtus. Constantinum namque Imperatorem sacro fonte expiaturus, ipsum Lauacrum manu ostendens, & Sacramenti veram significationem exponens; *En hanc aquam*, inquit, *Imperator: hæc diuina virtute per viuificæ Trinitatis inuocationem concepta, quemadmodum extrà, corpus hominis abluit; ita etiam animam intrà, à sordibus & inquinamentis mundanis, splendidiorem radijs solaribus efficit.* quod esse verissimum in se optimus Princeps expertus est. Niceph. lib. 7. Hist. cap. 33.

VICTOR PROCONSVL CARTHAG.

Tempus viresque deficerent Diuina narrantem. Ciuilis ordinis, & quidem vtriusque sexus, exempla adducantur. Quid autem de VICTORE ciue & Proconsule Carthaginensi dicam? ille ad negandam fidem Orthodoxam à Carthaginensi Dominatore solici-

folicitatus., memor eius quod in Baptiſmo ſeruare ſpoponderat, indignabundus, *Me*, ait, *omni tormentorum genere Rex diſcrutiet: ſi conſentio, fruſtrà Chriſti Baptiſmate initiatus ſum.* Vict. lib. 3. Hiſt. Vandal.

CLODOVÆVS REX FRANC.

Hunc Clotildis vxor crebriùs, at in vanum, de Baptiſmo ſuſcipiendo, adhuc Gentilium erroribus imbutum, adhortabatur. Tandem cum Sueuis & Alemannis ſigna conferens, cùm ſibi totique exercitui ſummum diſcrimen imminere videret, ac deorum ſuorum numen nequicquam imploraret; profuſis lachrymis, & oculis in cælum elatis, *Ieſu Chriſte*, ait, *quem Clotildis vxor mea colit, ac Dei Filium prædicat, ad te confugio. Tu mihi ſi adfueris propitius, & ſentiam reipſa eam virtutem quam tibi deuoti de te prædicant; me totum tibi tradam, tuumque Baptiſmum ſuſcipiam.* Orationem & votum Deo acceptum fuiſſe & probatum, memoranda ac celebris victoria declarauit. Hincmarus in vita S.Remigij.

S. DIONYSIA.

Agite & fæminei generis prudentiam viri æmulamini. Habuit ſuas easq; memorabiles vetus Lex; ſed quid illæ ad noſtram DIONYSIAM? Quam nullis cruciatibus potuerunt Arriani Vandali in ſuum pertrahere errorem. at inter plagarum ictus, dum vnicum filium, cui Maioricus nomen, ætatis tenellæ, pœnarum timore trepidantem cerneret, eum confortabat confirmabatque, dicens: *Memento fili, quòd in nomine SS. Trinitatis, in matre Catholica baptizati ſumus. Ne perdamus indumẽtum noſtræ ſalutis, ne veniens inuitator veſtem non inueniat nuptialem.*

ptialem. Quis non hanc vocem meritò exoſculetur? quis non rem ipſam ſedulò imitetur? Monet itaque Hymno 6. Cathemer. Prudentius:

Cultor Dei memento,
Te fontis & lauacri
Rorem ſubiſſe ſanctum,
Te Chriſmate innouatum.

Vict. Vticen. lib. 3.

BARBA.

FRANCISCVS BORBONIVS.

OCcurrit nunc de corporis ornatu, qui in BARBA etiam conſiſtit, breuibus agamus. Cùm pro Rege Galliarum contra Carolum V. bello pręeſſet FRANCISCVS BORBONIVS, iuuenis adhuc & imberbis: Marchio Guaſtanus ei illudens nuntiauit, quòd nimis exigua barba veſtiret mentum, vt cum eo congrederetur. cui BORBONIVS: *Non barbis pugnandum, ſed enſibus.* Corozetus.

ANONYMVS.

Haud ſecùs alius quidam hoc noſtro æuo, cuius nomen de induſtria non addimus, vir alioquin non paruæ eruditionis; cùm in re ſeria ſuam mentem explicaret, reprehenſus à cauillatore ſibi aſſidente, ea de re iudicaret, vbi barba excreuiſſet promiſſior, reſpondit: *Hem homo barbate; non barba iudicium fert, ſed mentis ſagacitas: neque barbis cauſa defenditur, ſed linguis & rationibus.*

LEGATI ANONYMI.

Ferunt LEGATOS quoſdam à Venetorũ Senatu miſſos olim ad Henricum Franciæ Regẽ: qui, quòd eos parùm adultos barbatoſque conſpicaretur, vix reſpon-

responſo dignatus eſt: adijciẽs etiam, *Maturius hac de re iudicium feretis, vbi barba veſtra maturior fuerit.* Verùm alter illorum ſe à Rege exceptos intelligens, in hunc ferè modum, ſcomma in eum retorſit:

Si promiſſa facit ſapientem barba, quid obſtat
Barbatus poſſet quin caper eſſe Plato?

Ex lib. Rerum memorab.

ÇAROLVS V. IMP.

Quod Alexandro Macedonio attribuit Plutarchus, idipſum noſtri ſæculi, imò & fortaſſis futuri Alexandro, CAROLO V. adſcribunt, qui eiuſdem Facta Dictaque memoranda poſteritati conſecrarunt. Hic igitur dum graue illud bellum gereret cum Franciſco Rege, & iam omnibus ad prælium ineundum paratis, ab Equitatus primario ductore rogaretur, an aliud fieri imperaret; *Nihil,* inquit, *quàm vt enſes aptetis radendis Gallorum barbis.* Inſinuabat autem cominus, non eminus pugnandum: quo in genere pugnæ barbæ impedimento ſunt, ne illa hoſtis hoſtem apprehendat. Ex vita eiuſdem.

CIVIS BASILIENSIS ANONYMVS

Percontanti, cur tam protenſam barbam enutriret, reſpondit: *Vt intuens hos meos pilos, me non mulierem, ſed virum intelligam.* Barba quippe virum ornat, monetque, non niſi virilia aggrediatur. Hinc benè in Metamorph. Ouid.

Turpis equus niſi colla iubæ pendentia velent,
Pluma tegit volucres, ouibus ſua lana decori eſt,
Barba viros hirtæque decent in corpore ſetæ.

Conr. Lycoſth. in Apophth.

BARBA-

BARBARIES.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

ATtingimus BARBARIEM: sed quantum eam execrati viri sapientes! Certè ALPHONSVS ARAGONVM REX, intuitus Syracusanum equitem agrestibus moribus, Barbarum eum nuncupabat. at is Barbari nomen ægriùs tulit. cui Rex: *Ego non à genere, sed moribus Barbarum soleo definire.* Nobilem existimabat illum, quem nobilitat sua virtus. Panorm. lib. 1 de Gestis eiusdem.

SIGISMVNDVS IMP.

In Constantiensi Concilio reprehensus à Cardinale Placentino, quòd contra Grammaticorum præscripta verba quædam pronuntiasset, non minùs scitè quàm festiuè, *Placentine,* ait, *si supra leges sumus, quare supra Grammaticam esse non possumus? Placentine, Placentine, quibus places, placeas; mihi certè non places.* Auctor Serm. conuiual. & Chronica Germ.

BARTOLVS IVRISCONS.

Ille Iureconsultorum neotericorum princeps, vti cętera benè, ita hoc malè, cum summo tamē applausu, dixit: *De verbis non curat Iurisconsultus.* Lud. Viues lib. 1. Corrupt. discipl.

BEATITVDO. *vide* GLORIA CÆLESTIS.

BELLI STVDIVM.

IESVS CHRISTVS.

BELLI commodum perniciemque aggredimur. neque enim semper suo fructu caret MILITIA, cum moderatione & legitima auctoritate susce-

pta, ſine quibus tamen non attingenda. Quod Redemptor mundi CHRISTVS breui compendio inſinuauit, quando ad montem Olïueti, à Iudæis apprehenſum, Simon Petrus educto gladio vindicare de vi illata nitebatur; aiebat enim: *Conuerte gladium tuum in locum ſuum: omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt*. Qui nimirum ſine legitima poteſtate eum acceperint, ſed propria auctoritate, ac quaſi à ſeipſis: neque ad cōſeruandam iuſtitiam, ſed in vindictam: exigit enim iuſtitiæ ratio, vt tales ſimiliter gladio pereant; iuxta præceptum Dei, Geneſ. cap. 9. Matth. c. 26.

RVDOLPHVS IMP. AVSTRIACVS.

Ciuiles attingimus, & quid illi ex Bello commodi retulerint. Ad gloriam quippe conſequendam non parum facere Armorum decus, exemplo eſt RVDOLPHVS IMP. Auſtriacus: qui dum victum à ſe Bohemiæ Regem excepturus, fidemque ab eo accepturus eſſet, monitus ſe regio cultu trabeaque adornaret, eò quòd Bohemus ſe ſplendida veſte foret exhibiturus; renidens, *Abſit*, inquit, *Rex Bohemiæ toties meam gryſeam togam exploſit; nunc illa ipſummet explodet*. & ad ſuos conuerſus; *Vos*, inquit. *arma & equos expedite, accinctique & inſtructi, vt ad pugnam ſtate. Decus Teutonicorum armorum, non veſtium, aduenis iſtis oſtendite. hoc me vobiſque dignum.* Refert I. Lipſius Monit. Polit. lib. 2. cap. 17.

ANTONIVS A PRATO CANCELL.

Senſerat identidem iſte, belli incommodo ſuum etiam adeſſe commodum. Nam Franciſco I. Gallis imperante, quidam Mediolanum funditus diruendum ſuadebant. ad quod Cancellarius; *Minimè vero*

verò rectè illud, inquit: *quin potiùs vt vitiosi humores è corpore pharmaco pelluntur, ita bello Mediolanensi Gallia ab improborum fæce purgabitur.* Ægid. Corroz.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Iustissimas ob causas Bellum geri posse, pietatis & iustitiæ amans REX ALPHONSVS declarauit. Piceno etenim sedi Romanæ rebellanti, pro Eugenio Pontifice bellum fecit, & ad pristinum iugum Picenum reduxit. Quid rependeret Pontifex? vrbes aliquot offert. Renuit ille: &, *Non*, inquit, *prædæ aut quæstus, sed Ecclesiæ gratia hanc expeditionem suscepi.* Significabat autem, non nisi pro aris & focis, patriæ ac religionis defensione, bellandum. Panormit. lib. 3. de Gestis eiusdem.

ANONYMVS.

Cùm autem pacatis tranquillisque temporibus maximè à domesticis turbetur Ecclesia, nō ita malè sensisse dicendus est is, cui frequens in ore: *Bellum Turcicum pax est Ecclesiæ.* Insinuabat plerosque Principes, præsertim Germaniæ, nisi eo occuparentur, in Ecclesiam insurrecturos. Gregor. Richt. in Axiom. sacris.

BELLICA FORTITVDO,
vide FORTITVDO BELLICA.

BENEFICENTIA.

ALEXANDER SEVERVS IMP.

BENEFICENTIÆ nunc commemorationi aliquantum vacemus. illius enim gratus inter homines vsus, quippe quę eos Deo (cui proprium be-

nefacere) reddit maximè similes. ALEXANDER SEVERVS, quem probabili coniectura inter Christianos annumerari posse suprà diximus, vsque adeò in omnes beneficus exstitit, vt etiam de se nihil meritos ad petendum quippiam inuitaret, diceretque: *Quid est quod nihil petis? An me tibi vis fieri debitorem? Pete, ne priuatus de me querare.* agnoscebat Principes viros maximè præ alijs decere beneficentiam. Pont.cap.11. de Liberal. Æl. Lampr.

IDEM

Percontanti, quísnam videretur sibi Rex optimus; *Qui*, ait, *amicos muneribus retinet, & inimicos sibi beneficijs conciliat.* Max.Serm.9.de Magistrat.

ALPHONSVS REX.

Nec defuit huic isto in genere sua laus. Intelligebat quosdam acceptis à se beneficijs ingratos esse: &, *Esto*, inquit, *nequaquam tamen effecturi, quo minus ipse & humanus sim & beneficus.* Considerabat non esse prudentis, ob malorum ingratitudinem, bonis desinere esse beneficum. Panormit. lib.1.de Gestis eiusdem.

IDEM.

Quinimò, venientibus ad se Ioannæ Neapoleos Reginæ oratoribus, vt eam contra Martinum V. Pont. Max. qui indignam quę feudatarium Ecclesię regnum obtineret iudicabat, defenderet, acquieuit. dissuadentibus verò consiliarijs, vt qui durum & anceps fore bellum indicarent, respondit: *Hercules etiam non rogatus laborantibus subuenire consueuit. dignum igitur vt & ego fœminæ assistam, & tantoperè roganti opem feram.* Ibidem.

Vide de eodem Apophth. de AMICITIA.

IDEM

IDEM

Progredi volenti cursum rursus sistit: iniquum enim futurum existimo, aliquam eius laudem silentio præterijsse. Cumque (vt constat) naturæ fuerit admodum beneficæ, quod mente retinebat, crebriùs verbis exprimebat, dicens; *Oblatrantibus canibus & rebellantibus, offula obijcienda.* Intelligebat autem maleuolos homines beneficiis vincendos. Pontan. cap. 30. de Liberal.

LVDOVICVS XI. FRANC. REX.

Ille item, præsertim in eos qui vitæ aut operum sanctitate præfulgerent, admodum beneficus & liberalis. causam verò rogatus; *Quia*, inquiebat, *horum precibus, vitæ diuturnitatem conciliari mihi posse confido.* Claud. Seissellius.

Vide titulum de LIBERALITATE.

BENEFICIVM ECCLESIASTICVM.

CLEMENS IIII. PONT.

QVâ moderatione ac circumspectione in Beneficiorum Ecclesiasticorum collatione vsi sint plerique, paucis videndum: vt exemplum præbeamus iis, qui illa contra primæuam eorundem institutionem, hac ætate, non sine graui scandalo, & bonorum iniuria, in quoscumque tandem conferunt; affectu humano supra rectam rationis regulam dominante. Vix dici potest, quantum in hoc genere splendoris assecutus sit CLEMENS QVARTVS. Instabant apud eum consanguinei, vt nepoti qui tria Beneficia obtinuerat etiam alterum adiiceret. At ille, tantum abest vt insulsæ petitioni

acquiesceret ; quin statim bina ei eripuit, & meritis de iisdem prouidit; clarè in hanc vocem erumpens: *Non est dignus Petri successor, qui plus cognationi quàm pietati largitur.* Rarum, & cui nescias an par exemplum. In vita.

CALIXTVS III. PONT.

Eiusdem hic dignitatis & mentis. Pluralitatem beneficiorum aspernatus, priusquam ad sacrum Pontificatus culmē attigisset, vnico dumtaxat contentus, benè illi & piè deseruiebat. rogatus autem, cur, cùm posset plura accipere, recusaret; *Quia*, inquit, *vnicam eamque virginem in vxorem peto.* Ex lib. Rer. memor.

ADRIANVS VI. PONT.

De prioribus Italia, de isto nostrum hoc Belgium se extollet. Ex infimo quippe gradu per solam virtutem in id euectus supra quod ascendi nō potest, rarissimè, & non nisi difficulter cognatos propinquosque ad Beneficia promouebat. Non quidem, quòd si idonei essent, eis non faueret; sed quia (vt dicebat) *ædificare Sion ex sanguinibus nolebat.* docens, sacris in rebus necessitudines sanguinis & naturæ non esse spectandas. Onuphrius Panuinus in vita eiusd.

LVDOVICVS XII. FRANC. REX.

Neque hunc latebat sui tēporis abusus ex Beneficiis indignè collatis exurgēs. vnde, vt erat ingenio faceto, cū intellexisset indoctos, & ob id inidoneos, ad Ecclesiasticas Pręfecturas euectos; ita cauillabatur: *Quàm est potior conditio asinorum, quàm equorum! Quippe equi cursu defatigantur, vt asinis Præfecturas Ecclesiasticas & Prebendas deferant.* meritò indignè ferens, vix vllo habito delectu, quādoque

tam

tam leuiter de Ecclesiasticis dignitatibus sine vllo fructu disponi. Hinc laudanda (& vtinam vbiuis locorum in praxi obtineret!) illa Trid. Synodi constitutio, Sess. 22. cap. 4. qua irrita decernitur omnis prouisio, facta ei, qui habilitates ad eam requisitas integrè non habuerit. P. Æmil. in vita.

BLASPHEMIA.
Et quomodo punita?

Iesvs Christvs.

IRreligiosa se modò offert conuitiorum iaculatrix Blasphemia: quam dijs Gentium inuisam docent historiæ: quid ni etiam vero Deo ingrata & abominabilis? Scripturarum seriem percurramus, vbi non ea repressa & punita? Quin Dominvs Iesvs sæpiùs, ac præsertim calumniantibus Pharisæis, Hic non eijcit dæmones, sed in Beelzebub principe dæmoniorũ: postquam eos falsitatis cõuicisset, subiecit. *Ideò*, scilicet vt intelligatis quantũ peccetis, *dico vobis: omne peccatũ*, videlicet aliud, *& blasphemia remittetur hominibus*, id est, facilè potest remitti per pœnitentiam: *Spiritus autem blasphemia non*, id est, difficulter, *remittetur*. Blasphemiam Spiritus vocans eam, quæ cõtra manifestam Dei operationem committitur. Hinc addit: Qui autem dixerit contra Spiritum sanctum, &c. id est, qui manifesta Spiritus sancti opera dæmoni attribuit, &c. Matth. c. 12. Marc. 3. Luc. 12.

Latro Bonvs.

Suspenso vtrimq; cum Christo Latrone, cùm populus spectans Christo illuderet; vnus de his qui pendebant latronibus, eius etiam dignitati per

blaſphemiam derogabat, dicens: *Si tu es Chriſtus, ſaluum fac teipſum, & nos.* quem alter increpans, reſpondit: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?* inſinuans Blaſphemiam, initio ſapientiæ quod eſt timor Domini, aduerſari. Luc. cap. 23.

CLERICVS ANONYMVS.

Repreſſum per illos; at ab his impiè non impunè tamen vſurpatum Blaſphemię portentum. CLERICVS quidam multa per vim prætendebat, cúmque inſtante prælio, Miſſæ ſacrificio intereſſet, ac fortè illud Euangelium occurriſſet in quo de humilitate diſſerens Dominus concludit: Omnis qui ſe exaltat humiliabitur, &c. ad circumſtantes; vt erat ambitioſus; *Falſa*, ait, *eſt hæcce ſententia. Nam ſi ego me aduerſarijs meis humiliter inclinaſſem; non tot hodie poſſeſsionum ac clientum copias haberem.* Vah impurum tympanotribam, quem ſecundæ res nimium ſupra ſe extulerant. Petrus Damian. Epiſt. 14. ad Deſid. Abbat. cap. 6.

SACERDOS ANONYMVS.

Æquè, at alio in genere impius ille. Aurelium obſidentibus Gothis, Anianus eiuſdem Epiſcopus vnà cum clero Sanctorum Litanias per vrbis muros decantabat: vidēs id SACERDOS è captiuis vnus (quem ne captiuitatis iugum ab oris procacitate coërcebat) cùm in acie vrbi vicina verſaretur, vocem intendens; *Caſſa ſpę*, clamat, *duceris Aniane, ſi verbis abigi aduerſarios poſſe credis: eædem precationes validis vrbibus nihil profuerunt.* Audiūt Sancti, & ilicò blaſphemum vita ſpoliant. Greg. Turonenſ. lib. 2. hiſt. cap. 7. Sidonius lib. 8. Epiſt. penult.

IVLIA-

Ivlianvs Imp. Apostata.

Venio nunc ad Ivlianvm Apostatam, cuius insignes blasphemias horret animus meminisse. Ex Christiano factus Christi persecutor, ex Rege tyrannus, cùm suscepto aduersus Persas bello, in ipso prælio diuinitus (vt putatur) lethale vulnus inter costas lanceâ acciperet, sanguine è vulnere in manum recepto, eóque in cęlum eiaculato, in hæc verba impiè erupit: *Exple iram tuam Galilæe* (ita enim Christum per contemptum appellabat) *fateor, vicisti.* & ita infelicem animam non diu pòst exhalauit. Sozomenus, Ruffinus, Eutropius, Fulgos.

Fredericvs II. Imp.

Quanta & illius intemperies in vita & lingua fuerit, non inquiret curiosiùs, qui considerabit vulgare illud, quod frequẽs ei in ore. dicebat enim: *Tres fuêre insignes impostores, qui humanum genus seduxerunt; Moyses, Christus, Mahumetes.* non veritus sentire, quod (vt auctor est Arnob. lib. 1. contra Gent.) olim nonnemo improbus: Christũ magum fuisse, & ex Ægyptiorum adytis, potentiũ Angelorũ nomina habuisse. Refert I. Lips. Mon. Polit. lib. 1. cap. 4.

Alphonsvs X. Hispaniæ Rex.

Mitior quidem huius, sed parum melior vox aut sensus. Solitus Prouidentiam identidem culpare, parum sapienter ac prouidè, *Si principio mundi*, aiebat, *Deo adfuissem, multa meliùs ordinatiúsque condita fuissent.* Miselle, quò linguâ & mente abis? at notabile, & hunc regno & priorem imperio priuatos, in publico odio & infamia obijsse. Ibidem.

ANONYMI.

Relatu non indignum, quod Bononię adſcribunt probati Scriptores. Cùm in conuiuio gallus mira arte aſſatus diſſecaretur, vnus conuiuarum, *D. Petro*, inquiebat, *hunc gallum redintegrare impoſſibile foret.* alius autem, *Quin nec ipſe Chriſtus id poſſet*, ſubiungebat. Ad has voces, res mira! gallus proſilit, & colliſis alis iuſculum quo erat perfuſus in diſcumbentium ora diffudit. Blaſphemi verò leprâ hereditariâ puniti. Vincent. lib. 25. cap. 64. Spec. exempl. recèns editum.

IOANNES ZVVICKIVS.

Iſta alterius, hæc noſtri æui & ſoli: quorum relatione hanc chartam adhuc maculo. Oliuerio Tempelio Hallenſis Hannoniæ opidi expugnationem cogitante, IOANNES ZVVICKIVS homo non religionis ſolùm & vitæ improbus, ſed & linguæ, canere triumphum re infectâ, & palàm inclamare cœpit: *Ego meis manibus Hallenſi mulierculæ* (ſtatuam B. Virginis crebris miraculis illuſtrem appellans) *naſum abſcindam.* Audit Diua, & quaſi talionis pœnam machinata, procurat mox vbi ad vrbis muros peruentum, illi ipſi ſcurræ plumbeâ glande naſum auferri. en vindictam: quam perpetuus ſubſecutus eſt ſarcaſmus, iocoſus tamen, inter commilitones, qui hominem identidem ad naſum recipiendum Hallas mittebant.

I. Lipſ. de Diua virg. Hallenſ. cap. 7.

IOANNES RYSSELMANNVS.

Eadem expeditione iſte ſacrilego ore profuderat; *Statuam illam Hallenſis Mariæ, Bruxellam faxo vt deferam* (agebat enim iſthîc præſidiarium) *& igne ſubiecto palàm concremabo.* Audijt & hunc Virgi-

Virginis filius, atque impio illi blaſphemum in ſuam matrem os, mentúmque & mentem, tormenti ictu abſtulit. Ibidem.

BONA FORTVNÆ.

Alphonsvs magnanimvs Arag. Rex xvii.

Fortvnæ bona, exteriore ſpecie delectabilia, in ſe tamen fucata & mundanam fragilitatem præ ſe ferentia, attingimus: & te, inclyte Alphonse, eadem deſpicientem. qui rogatus, quémnam felicem diceres; *Eum*, inquis, *qui, cùm hæc bona fucata ſibi maximè arriſerint, eadem deſerit.* Legerat quandoq; illud Senecæ in Agamemnone:

—— Quicquid in altum
Fortuna tulit; ruitura leuat.
Modicis rebus longius æuum eſt.

Lucius Marinęus Siculus, lib. 11. de Rebus Arrag.

Carolvs v. Imp.

Iam ætate maturus, ac bello fractus, in Cœnobium regulariũ D. Hieronymi ſeceſſerat. ad quem viſendum cùm veniſſet Franciſcus Borgia, ac poſt triduum receſſum pararet, ducentos aureos ab eo dono accepit. qui & dixit: *Exiguum id munus teſtor: ſed iam bonis exutus, priuatam perſonam gero. cuius ſi ſtatum conſideres, numquam à me maius beneficium accepiſſe cognoſces.* Ribadin. in vita Borgiæ lib. 2. cap. 12.

Vide Apophtheg. de Contemptv mvnervm *&* pecvniarvm neglectv.

BONVM.

BONVM.

LVDOVICVS BAVARVS.

De vero BONO acturis præſentem ſe exhibet LVDOVICVS BAVARVS: qui inquirenti, quænam bonorum nomine intelligenda cenſeret, ait; *Sola bona, quæ honeſta.* Ita ante eum in Paradoxis Cicero. Heu quàm multi ab hoc ſcopo declinant, quibus in ore & corde:

> ——— *Quærenda pecunia primùm,*
> *Virtus poſt nummos.* ———

ANONYMVS.

At difficilis inter homines veri BONI cognitio. vnde rogatus vir prudens & diſertus, cur homo faciliùs ad aliarum rerum quàm veri BONI cognitionem deueniret; *Defectu*, inquiebat, *recti iudicij. velut enim apud Plutarchum, Scytha iurauit, ſe malle audire hinnientem equum, quàm canentem cytharœdum; ita paucis ineſt veri* BONI *ſenſus.* quod venuſtè admodum & doctè ſuo æuo etiam expreſſit Iuuen. Sat. x. cùm ait:

> *Omnibus in terris, quæ ſunt à Gadibus vſque*
> *Auroram & Gangem, pauci dignoſcere poſſunt*
> *Vera Bona, atque illis multùm diuerſa, remota*
> *Erroris nebula. Quid enim ratione timemus,*
> *Aut cupimus? quid tam dextro pede concipis, vt te*
> *Conatus non pœniteat votique peracti?*

Ioan. Cuſpin.

BONVS VIR.

CLEMENS ALEXANDRINVS.

Raram auem in terris producimus in mediũ, VIRVM BONVM: de quo rogatus aliquando CLEMENS

CLEMENS ALEXANDRINVS, quid ſentiret; *Eum, inquiebat, hoc nomine appellari poſſe exiſtimo, qui pauciſsima deſiderat.* Semper enim inops quicunque cupit. Theat. vitæ humanæ.

PETRVS ALDOBRANDINVS CAR.

Hic ſciſcitanti, quodnam in terris potiſſimum referant mortales ex virtute præmiũ; *Vt viri fiant,* inquit. Præclara vox! vir enim à virtute, & eſt & dicitur. Henric. Farneſ. in Apoph. de Principe.

IDEM

Frequentiùs dicebat: *Bonis viris leges ſcriptæ non ſunt, quia vltrò quod honeſtum eſt ſequuntur.* quia *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Ibid.

EVGENIA PHILIPPI FILIA.

Huic ſola ea cura, vt viro bono deſponſaretur. Cùm itaque eam pater in coniugem tradere deſtinaſſet filio Præſidis Aquileæ, iuueni moribus & forma corporis inſigni, non tamen Religione orthodoxa imbuto; ita eum affatur: *Pater, maritus moribus non natalibus eligendus: illo enim, non parentibus eius vtimur.* quod pulchrè expreſſit Poëta:

Aliena laudat, qui genus laudat ſuum:
At ſua laudat, mores qui probat ſuos.

Theat. vit. hum.

Vide titulum de PRINCIPE BONO.

BREVILOQVENTIA.

PAPIAS S. IOAN. EVANG. DISCIP.

QVàm verum ſit illud Auſonij,

Nemo ſilens placuit, multi breuitate loquẽdi;

in præſenti dicendum. PAPIAS D. Ioannis Euangeliſtæ diſcipulus, videbat multùm ſermonis procacitate & copia Dei veritatem lacerari, & ad populum

lum conuersus; *Non*, inquit, *multa dicentibus, sed pauca & vera tradentibus auscultandum.* Euseb. hist. Eccles. lib. 3. cap. 39.

PAMBO ABBAS

Præclarus hac in re vir. Theophilo namque Episcopo se aliquando adeunti, & spiritualem refectionem postulanti; *Si*, inquiebat, *taciturnitate mea & verborum raritate non reficeris, neque sermonibus meis reficieris.* Hist. Tripart. lib. 8. cap. 1.

S. ANTONIVS EREMITA.

Non minor hic Eremi quàm Breuiloquij cultor exstitit. Reuersus quippe ad discipulos, cùm multa de Paulo Eremita intricatè diceret, eò quòd eidem Athanasij pallium laturus, reditum pararet; discipulis multa inquirẽtibus, solum hoc responsum præbuit: *Tempus loquendi, tempus tacendi.* Breuis vox, si literas & syllabas spectes; si sensum mentemque dicentis, perampla. Hieron. in vita Pauli primi Erem.

ANONYMVS.

Iurisconsulto pluribus verbis rem exiguam per ambages deducẽte, ait non illepidè quidã illud Pythagorę; *Haud est artis multis pauca, sed paucis multa dicere: si enim prius ex arte reputetur, quis eo in genere superabit hirundines aut picas?* Hinc benè monet in arte Poëticâ Horat.

Quicquid præcipies, esto breuis: vt citò dicta
Percipiant animi dociles, teneantque fideles.

Ex lib. Rer. memorab.

FERDINANDVS IMP. & MILES.

Fideli relatu ad me peruenit, FERDINANDO Cæsare orbis habenas moderante, quendam, quòd multis annis eius obsequio se deuouisset, ac vitam

non

non ſemel ancipiti periculo expoſuiſſet, ſolutionem efflagitaſſe. Inſinuatur IMPERATORI, adeſſe veteranum militem qui ſe præſtoletur. at ille, In aliud, magisq; opportunũ tempus redeat oportet, inquit. MILES, quid ageret? inſtat, vociferatur: *Ecquid*, inquit, *tantúmne itineris fruſtrà confecero? tribus tantùm verbis omne exequemur negotium: neque res magna eſt, Imperatorem tribus dumtaxat verbis præbere aures.* Defertur iteratò ad FERDINANDVM: qui importunitate hominis victus, Veniat, inquit, ea lege, vt non plura quàm terna verba depromat. paret alter, & ad Imperatorem ingreſſus, cùm rogaretur, quid peteret. ita effatur: *Solutionem vel dimiſsionem.* cui FERDINANDVS replicãdo, *Non dimiſsionem*, ait, *ſed ſolutionem.* Incerti auct.

CÆCITAS.

PYGMENIVS PRESB. ROMANVS.

QVàm grata nonnullis, ex ſe alioquin formidabilis, & perpetuæ noctis imaginem referẽs CÆCITAS; monent illi ipſi, ex ordine proſequamur. Principatum inter eos obtineat PYGMENIVS: qui nihil æquius in vita tulit, quàm ſe luminibus priuatum, ne Eccleſiæ hoſtes vel inuitus deberet intueri. Quare Iuliano Apoſtatæ factus obuius; qui ironicõs dicebat, Gratias dijs ago PYGMENI, quòd te videam; conſtanter reſpondit: *Et ego gratias ago Deo meo, quòd te non videam.* Tanto animo cæcitatem tulit, quanto tyrannum deſpexit.
Beda in Martyr. Sabell. lib. 5 Euſeb. & alij.

INARIVS CHALCEDONENS. EPISC.

Conſimilem expertus fortunam, non diſſimilem

etiam

etiam constantiam exhibuit. Nam cùm ei crebriùs insonaret præfatus Apostata, Galilæum suum (ita Christum familiari voce per contemptum vocabat) pro visu recipiendo, quem ei senium & vigiliæ ademerant, deprecaretur: animosè in eum debacchatus; *Gratias*, aiebat, *ago Deo, qui mihi visum ademit, ne te hominem tam impium aliquando vel inuitus videre cogerer.* Fulgos. lib. 6. cap. 2. ex hist. Ecclesiast.

ANTONIVS EREMITA.

Intellexerat & hic Didymum ægriùs ferre oculorum & luminis orbitatem. Quare ad eum properans; *Nihil*, inquit, *ô Didyme te offendat, quòd carnalibus oculis tibi orbatus videris: desunt quidem tibi oculi animales; sed lætare, quòd eos habeas, quibus Deum videas.* parum esse reputans oculis corporis priuari, modò mentis lumen in nobis retineamus. Hist. Eccles. Euseb. & Tripart.

IDEM

Iteratò Didymum affatus, rogabat, vtrùm se oculis captum doleret; eòque subticente, vrgebat responsum, ac tandem mœrorem fateretur, compellit. quo cōfitente, rursus ANTONIVS: *Miror virum prudentem eius rei dolere damno, quam formicæ & culices habent; & non lætari illius possessione, quam Sancti soli & Apostoli meruerunt.* Insinuans, oculos mentis potiores corporeis luminibus. Socrat. lib. 4. Hist. c. 20.

PETRVS ABBAS CLARÆVALL.

Hic quoque oculorum lumine orbatus, dicebat: *Quàm gaudeo, me è duobus inimicis, alterius molestia liberatum.* Marull. lib. 5. cap. 4. Sabell. lib. 3. cap. 7.

THEOTIMVS ANONYMVS.

Ad alios transeo, qui magnum & præclarum illud oculorum donum, exiguæ voluptatis pretio, imprudenter non minùs quàm impiè commutarunt. Quis hoc loco B. Ambrosium sileat? qui de THEOTIMO quodam refert, quòd cùm grauiter ex oculis laboraret, eique à medicis coëundi cum vxore interdiceretur facultas, nisi oculis omnino priuari mallet; libidinis impatiens, ac parêre recusans, cùm in ipso æstu se iam oculis orbari sentiret, clamarit: *Vale amicum lumen*. Quàm benè ille, & meritò cum Ethnico illo Rege exclamaret, Hei quantum bonum breuis voluptatis causa perdidi! Amb. sup. Luc. cap. 4.

POTOR ANONYMVS.

Eiusdem farinæ iste. oculorum lippitudine afflictus, medicum vitiato lumini medelam flagitat. ille, Facilis ea erit, inquit, modò fomitem & mali huius causam tollas, potationem. ad quod ira pænè succensus noster Bacchicola, *Quid*, inquit, *potationem? non fecero, vt quoad vino delicias meas oculis postponam.* Ergo, subinfert medicus, omni lumine priuandus. *Esto*, ait POTOR; *malim certè cum iucunditate oculos perdere, quàm cum dolore eos vermibus in escam conseruare.* Auct. Serm. conuiual.

CALLIDE DICTA.

INNOCENTIVS VII. PONT. MAX.

NOn acumen solùm dicendi suam habet venerem; sed magis si in eo aliquod calliditatis, non malitiosæ tamen, specimen concurrerit. probat dicto factóque INNOCENTIVS VII. Huius

enim mandato, cùm Andreas Mantineas pictor egregius Sacellum in Palatio Vaticano adornasset, Sacerdotium aliquod siue munus, Latino vocabulo Beneficium, filio suo per Pontificem dandum frustrà sperabat. Iubente itaque eo septem vitia capitalia pingere, de industria fecit vt vacaret locus in quo ingratitudinem exprimeret. Interrogatus autem à Pontifice, cùm septem tantùm vitia sint, cur octauum addiderit; Tum, inquiebat, quòd locus vacaret, tum quòd nullum vitium ingratitudine magis inuisum. At INNOCENTIVS re intellecta; *Rectè tu sanè*, ait: *at quoniam ex hoc latere octo vitia apparent, quamuis septem tantùm sint; ita è regione, septem illis virtutibus, extra ordinem adiunge Patientiam.* Bern. Scardeonus, lib. 3. Hist. Pat.

EPISCOPVS ANONYMVS

Meritò priori adiiciendus. Burgundi nobiles dum opiparo instructo conuiuio loci Antistitem aduocassent, virum doctum & facetum; vt fit inter sermocinandum, quidam mirari se dixerunt, suum Episcopum parum si annos spectent maturum, tantam caluitiem gerere, pilósque ante determinatam à natura ætatem decidere. cumque eius rei diuersum motiuum causamq; diuersi proponerent, quin & medicinæ peritos consulendos dicerent; *Minimè*, inquit ille, *medicorum consilio mihi opus: non enim naturæ defectum incuso, sed vos ipsos, qui me depilatis.* Callidè insinuabat suos nobiles admodum in id intendere, vt Ecclesiasticorum Prælatorum possessiones imminuant, & quilibet pilum aliquem suo capiti ex aliena cęsarie reportet. Auct. Serm. conuiual.

SIGI-

Sigismvndi Imperat. Asseсla.

Ciuiles nunc producimus, & inter eos primùm virum nobilem è familia Sigiſmundi. Ille etenim, cùm Sigiſmundo fluentum equo traiiciente, fortè equum in medijs aquis vrinam reddere conſpicaretur, facetè & callidè, *Quàm hic equus perſimilis*, ait, *eſt domino ſuo?* Eius autem rei cauſam requirenti Cæſari, eadem qua priùs libertate, *Hic enim equus*, inquit, *huius fluminis abundantiam ſua vrina augere ampliùs enititur: ita etiam tua Maieſtas erga eos ſe exhibet liberalem, quibus eſt omnium rerum vbertas*. Callidè licet iucundè inſinuabat, Imperatorem debere eſſe erga quoſuis beneficum, qui benè de ſe meriti. Matth. Caſtrit. de Hero. virt.

Franc. Sfortia.

Facetè ille, hic grauiter. Cùm enim inſidijs armiſque Pauli Vrſini exterritus profugiſſet vrbe Roma, & in Algido caſtra metatus eſſet, miſſus ad eum S. Angeli Cardinalis legatus; qui inter alia, *An*, inquiebat, Sfortia *Vrſum timebis, cùm ſis ſub columna tutiſsimus?* cui ille extemplò: *An non tibi Pater inſanus videbor, ſi dum fruſtrà à ſurdo marmore opem imploro, bellua ingens, dente ac vnguibus ferox, & humano ſæpè greſſu incedens, mihi minimè ſit formidanda?* Non illepidè remota Columniorum auxilia deſignans, & Pauli Vrſini ingenium depingens. P. Iouius.

Anonymvs

Interfuerat orationi admodum inſulſę, & nullius veneris. cúmque eum de re feliciter acta Orator exſultãs rogaret, Numquid benè mea oratione miſericordiam moui? *Magnam, imò maximam*, re-

ſpondebat ; *neminem namque fuiſſe exiſtimo tam durum, cui oratio tua admodũ miſeranda non ſit viſa.* Auct. Serm. conuiual.

HYRVS DVX MILITIÆ.

Adiungit ſe cæteris HYRVS Caroli VII. Franc. Regis auſpicijs aduerſus Britannos Dux. Hic enim, dum Rex cunctaretur vt meliùs voluptati operam daret, vrget, exercitui de neceſſarijs prouideatur. cúmque eadem à Rege exſpectaret, voluptatum apparatus, ludos & puellas ei exhibuit, petijtque quid de illis ſentiret; Cui HYRVS: *Nunquam alium Regem, qui lætiùs ſua perderet, me vidiſſe.* Cuius dicti aculeo tactus Carolus, reſipuit. Fulgoſ. lib. 6. cap. 2.

HISPANVS ANONYMVS.

In aliena cauſa iſte, hic in propria. poſtulabat ab Alphonſo Caſtulonenſi rege Præfecturam Toletanam. Quem cùm Rex prima fronte reiiceret, quòd iunior eſſet: indignabundus, *Et tu*, ait, *Princeps, cùm adhuc lacte te infantem nutrix aleret, iam Rex eras: & quàm multi magnis officijs perfuncti, qui pueri tecum luſère. Me ergo, quòd tecum nunquam luſerim, ætate ingenioque parum valere exiſtimas?* Mouit Alphonſum ea libertas, votique compotem eum fecit. Fulgoſ. lib. 6. cap. 2.

CALVMNIA.

IESVS CHRISTVS.

Ad CALVMNIAM pergimus: quæ vti cum iniuria prolata, vitioſa eſt; ita ſæpiùs iuſtæ caſtigationi permixta, reprehenſione caret. Quo modo ea non ſemel vſus aduerſus Phariſæorũ improbita-

probitatem Salvator : & quidem venientibus ab Ierosolymis Scribis & Pharisæis, & rogantibus; Quare discipuli tui transgrediuntur traditionem Seniorum? non enim lauant manus, &c. grauissimum in eos crimen retorquet, dicens : *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?* id est, meliùs obseruatis ea, quæ vos præcipitis, quàm quæ à Deo profecta. Matth. cap. 15.

Idem

Accedentibus Sadducæis, & signum de cælo postulantibus, respondit non sine indignatione; *Generatio mala & adultera signum quærit : & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ.* Ibid. cap. 16. Marc. 8. Luc. 12.

Agapetvs Rom. Episc.

At quia longum foret persequi quoties idem Dominvs eiaculatas in se calumnias retorserit, offert se mihi Christo in hoc genere proximus Agapetvs. Qui à Theodato Gothorum per Italiam rege Constantinopolim Iustinianũ placaturus missus, cùm eum Eutychianæ hæresis labe infectum deprehendisset, magno eoque libero animo dicebat : *Ad Iustinianum Christianissimum Imperatorem venisse me arbitrabar : sed, quantum intueor, ad Diocletianum veni.* Iusta, licet calumniosa reprehensio, nec minori idcirco laude digna. Hist. Eccles.

Antiocheni.

Nec malè illi. contendentes frequentiùs cum Apostata Iuliano, multa in eum iactabant: cumque rerum omnium pretia imminuisset, ac barbam prolixiorem aleret; *Tondeatur*, clamitabant, *eius*

barba, vt ad funes conficiendos prosit. Et quoniam superstitionis suæ causa, taurum idolis immolare assueuerat, tauri imaginem in solido suo formari præcepit; quam videntes ANTIOCHENI, rursus eum proscindentes, iactitabant: *Iste taurus euertet mundum.* Hist. Tripart.

S. THEOPHILVS.

Impius iste aliquando, at postmodum iuxta sui nominis etymon, Sanctorum catalogo adscriptus; cùm Dorotheam virginem iudicis Prætorium egredientem, Deo gratias agere, quòd ad Paradisum hinc euocaretur, audiuisset: in eam hoc modo (erat quippe Sapritij Præsidis aduersus Christianos causidicus) calumniabatur: *Eia tu, quæ dicis te sponsam Christi, mitte ad me de Paradiso sponsi tui mala & rosas.* quod eam fecisse, & suum calumniatorem in martyrij societatem traxisse, subsecutus euentus docuit. Sur. tom. 1. in vita.

FREDERICVS III. IMP.

Vide CONTVMELIA.

DVX SAXONIÆ FREDERICVS.

Claudam hoc agmen inclyto FREDERICI Ducis inclyti exemplo. Ille, (quod vtinam in omnibus nostri sæculi Principibus foret) aures calumniantibus obturare solitus: &, si qui fortè ex ea hominum fęce molestiores essent, *Accipiam*, inquiebat, *delationes vestras, si coram præsentibus in faciem dicturos spondeatis, quæ de absentibus defertis.* assentiuntur namque aliquando delatoribus Principes, re non explorata in præiudicium innocentis. Peucerus in Lect. Chron. An. 1572.

Vide Apoph de MALEDICENTIA, *&* CONVITIIS, *item* LIBERE DICTIS.

CAN-

CANTOR.

BRYSÆVS PRÆSES PARISIENS.

CAntandi peritiam & vſum, non admodum vtilem & decentem Principibus viris, ſuo dicto explicauit BRYSÆVS Conc. Pariſienſ. Præſes. qui, cùm à Rege Anglorum ad Ludouicum XI. Franc. Regem Oratores mitterētur, & ille quo munere eos donaret (meditabatur enim munus aliquod exigui pretij) inquireret; reſpondit: *Turba cantorum tibi eſt, quorum melodijs parum oblectaris, eos tamen magnis impenſis alis: quos, quia facilè carebis, Oratoribus vniuerſos dandos cenſeo.* Gaguinus in vita Ludouici.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Quid verò ARAGONIVM ALPHONSVM memorem? Obſtrepebant (vt in Principum aulis) tibicines, & varijs clangoribus eius aures obtundebant: ille arrepto, quod fortè ad manum, Ciceronis volumine, clara voce intonare cœpit: *Apagite Muſici, apagite. adeſt qui mecum dulciora miſceat,*
Princeps Romani Tullius eloquij.
Panorm. & Æn. Syl. de Dict. & Fact. eiuſd.

ANONYMVS.

Alîus mentis iſte. Filium quem vnicū ex coniuge ſuſcitauerat, bonarū artium diſciplinis cùm inſtituiſſet; Muſices artem & cantandi peritiā tandem addiſcere eum imperauit. dicebat enim: *Per hæc* (Cantum videlicet & Muſicam) *ingenium mollitur: nihilque poſt exantlatos labores homini gratius euenire poteſt.* Quàm ſcitè & benè Horat. in Arte Poët.
Dictus & Amphion Thebanæ conditor arcis,

Saxa mouere ſono teſtudinis, & prece blanda
Ducere quò vellet. ———
Auct. Rer. memorab.

CASTIGATIO. CORREPTIO. REPREHENSIO.

IESVS CHRISTVS.

QVantum boni iuſta CASTIGATIO correptioque ſecum adferat, ſubſtitutis clariſſimorum virorum imaginibus proſequemur. Primus huius aciei ductor ipſa Veritas CHRISTVS: qui, ſanata ipſo Sabbato muliere, quæ duodeuiginti annis infirmata fuerat, ob id reprehenſus ab Archiſynagogo & Phariſæis; *Hypocritæ*, aiebat, *vnuſquiſque veſtrûm non ſoluit bouem aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit ſatanas decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die Sabbati?* additque Euangeliſta: Cùm hoc diceret, erubeſcebant omnes. Optima illa & vera Apophthegmatis natura. Luc. cap. 13. & ſimile habes Matth. cap. 12. & Marc. 3.

S. FRANCISCVS

Sui Domini ac Magiſtri egregius imitator. Petenti cuidam ad Ordinem à ſe inſtitutum recipi, cùm dixiſſet pauperibus ſua diſtribueret, ſi pauperum conſortio iungi vellet; & is parum memor monitorum, in amicos omnia ſua tranſtuliſſet, redeunti ad ſe, dixit verus pauperum Patriarcha, dura eum feriens increpatione: *Vade viam tuam frater muſca: nondũ exiſti de domo & cognatione tua: à carne incepiſti, & rimoſum ſpirituali fabricæ fundamentum collocaſti.* Indignum enim pauperũ ſocietate eum reputabat,

bat, qui pauperes defraudasset. Sur. tom. 5. in vita.

Pavlvs Pontifex.

Hic quoque, cùm Iudæum quendam, qui quæstus gratia varijs in locis Baptismum susceperat, baptizare vellet: & subitò è baptisterio aqua euanuisset, dixit: *O homo, aut veteratoris partes agis, aut Baptismum ignorans suscepisti.* Socr. lib. 7. Hist. Eccl. cap. 17.

Edovardvs Angliæ Rex,
& Philippvs Valesivs Rex Franc.

Illa exempla inter sacros. quis nunc carpet vnũ aut alterum ex Ciuili ordine inseri? Cùm regalibus Angliæ insignibus (videlicet Leopardis) etiam Franciæ Lilia coaptasset Edovardvs, & ob id à Philippo Francorum Rege redargueretur, quattuor hos versus, barbariei illius ætatis indices, ad eum remisit:

Rex sum regnorum bina ratione duorum:
Anglorum regno sum Rex ego iure paterno;
Matris iure quidem Francorum nuncupor idem.
Hinc est armorum variatio facta meorum.

quibus Philippvs illicò alios hos eiusdem valoris & ponderis replicauit:

Prædo regnorum qui diceris esse duorum,
Francorum regno priuaberis atque paterno.
Matris vbique proles ius semper non habet vllũ.
Succedunt mares huic regno, non mulieres.
Hinc est armorum variatio stulta tuorum.

Corozetus.

Lvdovicvs XI.

Subtilis hic & industrius. cùm fortè ad eum venisset quidam ex Ducibus, lætum expeditionis ante Cameracum factæ nuntium deferens, qui &

ponderoſum torquem (quem ex reliquijs ſpoliorum Eccleſiæ Cameracenſis conflatum Rex ſuſpicabatur) circum collum geſtabat, & alius eum manu contingere niteretur; clamabat Rex : *Caue, ne te ſacrilegio commacules; eſt enim res ſacra.* Subtiliter taxãs ſuum Ducem, quòd etiam rebus ſacratis manus commaculaſſet. Corozetus.

SANGVINEVS LVCRETII CVIVSDAM FILIVS.

En quanti mali ſcintilla, neglecta caſtigatio. Narrat Boëtius de SANGVINEO illo, quòd, cùm nimium in caſtigando corripiendóque remiſſum ſe geſſiſſet pater, ille ob delicta laqueo adiudicatus, patri extremum vale daturus, naſum dentibus præſciderit, dicens: *Si me à teneris corripuiſſes, huc non deueniſſem.* Verè ille & benè:

Blanda patrum ſegnes facit indulgentia natos.
Boët. de Diſciplina Scholar.

Vide Apoph. ſequentia, & de REPREHENSIONE.

CASTIGATIO MODESTA.

IESVS CHRISTVS.

QVemadmodum verbum bonum (vt eſt in Prouerbio) multiplicat amicos, ita & modeſta caſtigatio. Teſtis erit DOMINVS noſter, qui Nicodemo, quem ſecum diſſerentem audiuerat, percontanti, Quomodo homo iterùm naſci poſſet? nõ quidem de ſe incredulo, ſed de modo dubitãti; modeſtè reſpondit: *Tu es magiſter in Iſraël, & hæc ignoras?* q. d. Tu legem quam doces, ignoras? Redarguit ergo eum, quòd de modo huius regenerationis tanquam dubius inquireret, qui tamen eum ex le-

ex lege, vt doctor, ſcire deberet. Ioan.cap.3.

IDEM

Ætate adhuc tenellus, repertus à parentibus in templo, cum Legiſperitis diſſerens; dicentibusque illis, Fili, quid feciſti nobis ſic? magna animi modeſtia, *Quid eſt*, inquit, *quòd me quærebatis? neſciebatis, quòd in his quæ Patris mei ſunt, oportet me eſſe?* Luc.cap.2.

BENIAMIN DIACONVS

Cùm in carcerem miſſus ab Iſdigerde Perſarum Rege fidem negare iuberetur; eam iuſſionem corripiens, *Quo*, inquit, *ô Rex, honore dignus, qui ſuum relinquens regnum, inuadere nititur alienum?* dicente autem illo, *Mortis ſupplicio.* ſapientiſſimus DIACONVS reſpondit: *Quid ergo non iuſtè patiatur homo, qui Mũdi creatorem deſerens, vnum conſeruorum ſuorum deificare voluerit, & illi debitum cultum, alteri exhibuerit?* Theodor. hiſt. Tripart. cap. 33. lib. 10.

S. EPHRÆM.

Suprà de ADMONITIONE.
Item vide Apophth. de ÆTERNITATE.

CASTIGATIO DVRA, ET SEVERA.

S. BASILIVS.

DVriùs quidem ille, non tamen extra omnes modeſtiæ terminos. Cùm enim eum Valentis Imperatoris coquus primarius, Demoſthenes nomine, audacter reprehendiſſet, ſermonem barbariſmo inficiens; ſubridens aiebat: *Hem! vidimus Demoſthenem ſine literis.* Illo verò ſtomachando progrediente, *Tuum eſt*, ſubdebat BASILIVS, *ſolerter inſpicere,*

ſpicere, quomodo fercula condiantur: noſtrum, quâ ratione ſacra myſteria tractentur. Theod. lib. 4. cap. 17.

PAMBO ABBAS.

Non minùs hic ſapienrer ac ſeuerè illo altero. Nam cùm ad eum B. Nelania vaſa argentea trecentarum librarum detuliſſet, rogans vt rerum ſuarum eſſet particeps; dixit: Deus tibi mercedem rependat. cumque illa benedictionem exſpectaret, Domine, inquit, vt ſcias quantum ſit, ſunt 300. libræ argenti. cumque is ne ad hoc quidem annueret, tandem ſilentij clauſtrum abrumpens, *Ea,* inquit, *à te attuliſti filia, non eſt quòd ſciam quantitatem ponderis. Qui enim montes & ſyluas appendit ſtaterâ, multò magis nouit quantitatem tui argenti. Si autem mihi hæc dares, rectè pondus diceres: ſi Deo qui ne obolos duos deſpexit, tace.* Seuerè caſtigabat promicantes in bono illo opere inanis gloriæ ſtimulos. Pallad. in vita.

S. ANASTASIA MARTYR.

Emicuit quoque nobilis hæc Seueritas in fæmineis pectoribus. ANASTASIA namq. à Pōtifice idolorum rogata interpretationem ſermonis cuiuſdam à ſe prolati; *Tu,* aiebat, *non es, qui hoc diſcas. Nemo enim qui ſapit, commiſcuit vnguentum vaſi putri.* Meminerat illius Sponſi ſui, non oportere margaritas effundi ante porcos. Sur. tom. 6. in vita.

CASTIGATIO LIBERA.

IESVS CHRISTVS.

FRequens liberæ caſtigationis apud eum vſus: quod vel tunc potiſſimùm comprobauit, cùm iam

iam manibus traditus nocentium, crebriùs in eos insultaret, diceretque: *Tanquam ad latronem existis cum gladijs & fustibus comprehendere me? Quotidie apud vos sedebam docens in templo, & non me tenuistis.* Matth. cap. 26.

S. PAVLVS APOST.

Non minori libertate Vas electionis PAVLVS: productus enim in Concilium, cùm Princeps Sacerdotum Ananias os eius percuti iussisset, insurgens, *Percutiet te Deus, Paries dealbate,* inquit; *& tu sedens iudicas me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti.* Verè animosa & constantiæ index reprehensio. Act. cap. 25.

S. REMIGIVS.

Dum Clodouæum cum tribus Cathecumenorũ milibus ad baptisterium procedẽtem, & inter candidatos magnificè apparentem, altos & Christianæ humilitati dissentaneos præ se ferentem spiritus intueretur Antistes REMIGIVS; *Mitis*, inquit, *depone colla Sicamber: adora quod incendisti, incende quod adorasti,* hoc est, inanibus deorum simulachris exustis, deinceps Deum verum in basilicis quas igne priùs vastabas, agnosce & venerare. Grauis & efficax castigatio, non sine fructu prolata. Hincmarus in vita. & Greg. Turon.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS.

Et hic personam cuiusuis respicere nescius, dum statuam Eudoxiæ Augustæ, quæ non procul ab Ecclesia sua erecta, loco deturbare vellet; iniquè ferẽs Augusta, aduersus eum Synodum conuocare parat. quod ille suspicatus, notissimam illam in Ecclesia protulit Homiliam, cui exordium: *Rursus Herodias insanit, rursusque turbatur: denuò saltat, denuò ca-*

nuò caput Ioannis in disco concupiscit accipere. Socrates Tripart. hist. lib. 10. c. 15.

S. ELEVTHERIVS.

Illum etiam dum multis blanditijs aggrederetur tyrannus, vt à cõstantia mentem repelleret, probra hæc ab eodem remunerationis loco accepit: *O lupe Arabice, qui Christi ouibus insidiaris: nunquam mihi persuadebis, vt ab hac pia constantia desistam.* Metaphr. Lippom. tom. 2.

SERGIVS II. PONT.

Vide CHRISTIANISMVS.

CASTITAS.

IESVS CHRISTVS.

VNde te, virorum pariter ac fœminarum decus, & præcipuum firmamentum, inuocem? Tu illa es, quæ sub iugo rationis, impetum fœdæ libidinis refrænas, per edomitas vitiorum furias (Augustini verba refero) munda & honesta totius corporis habitudo. Ades igitur & cognosce, quàm præclarè de te sentiant omnes boni. Et quidem illibatæ pudicitiæ fons CHRISTVS IESVS, multis ad se concurrentibus, cùm multa præclarè in parabolis dixisset, mirum in modum hanc virtutum omnium altricem commendauit, vbi ait: *Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris.* Ecquando enim lumbos præcingimus? nisi (vt exponit Gregorius Homil. 13. in Euangel.) dum carnis luxuriam per continentiam coarctamus. Luc. cap. 12.

B. VIRGO MARIA.

Vide titulum de ADVLTERIO.

S. PETRVS

S. PETRVS APOSTOLVS.

Quid autem de Apostolorum Principe dicemus, qui huius virtutis amore coniugem repudiauit? Hinc pro se alijsque confidenter loquitur: *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis?* quibus verbis se vxori quoque renuntiasse, vel ex eo constabit, quòd CHRISTVS ilicò hoc responsum subnectat: Amen dico vobis, nemo est qui reliquit domum, aut parentes, aut fratres, aut vxorem, aut filios, propter regnum Dei, &c. Quin Ethnicus Poëta Tibullus in Epistolis inquit;

Vos quoque abesse procul iubeo, discedat ab aris
Cui tulit hesternâ gaudia nocte Venus.

S. IVLIANVS ANTIOCHENVS MARTYR.

Hoc etiam in eo mirabile, quòd nuptijs cum Basilissa virgine celebratis, susceperit perpetuæ castitatis votum; quo factum, vt brumæ tempore, rosarum ac liliorum fragrantiam in cubili senserit: stupescentique puellæ ac roganti, *Quis hic odor?* ille, *Virginalis munditiæ*, respondit. cuius quidem suauitate capta, à virginitatis seruandæ proposito nunquam recessit. Sur. tom. 1. Marul. lib. 4. c. 7.

S. VANDO ABBAS.

Non minor casti propositi constantia Abbatis VANDONIS fuit. Pipini enim nepos, à Dagoberto regni successore ducere vxorem compulsus: neque tamen vt castitatem violaret, potuit compelli. Nuptam itaque hoc modo alloquitur: *Quæso, Deo potiùs, quàm Mundo seruiamus.* itaque matrimonio nondum consummato, vterque monasticam vitam amplectitur; & dum in Spiritu seminant, de spiritu vitam æternam metunt. M. Marulus ibid.

THEO-

THEONAS SCHYTIOTICI MON. ABBAS.

Et ipſe non ſibi, ſed parentibus obſecutus, coniugij iugum tulit. cæterùm quinquennium coniugij emenſus, de continentia ſeruanda deinceps cogitat. quod cùm vxori fruſtrà ſuadere etiam nititur, tandem ait: *Ego te ô mulier abſtrahere à morte non poſſum, nec tu me ſeparabis à Chriſto. Melius eſt mihi cum homine, quàm cum Deo habere diuortium.* Verè inſignis animi index vox. Caſſianus Coll. 21. cap. 9.

S. ÆGIDIVS.

Deus bone! quantus caſtitatis ſectator cultorque ÆGIDIVS? cui in ore aliquando: *Quid nos Deo magis commendat, eique charos reddit, niſi illa mentis caſtitas, quæ ſenſus omnes cuſtodit.* cumque in laudanda caſtitate progrederetur, quidam matrimoniali vinculo conſtrictus, Ego, inquit, vxore mea contentus, alijs fæminis abſtineo. Cui ÆGIDIVS: *Putas non poſſe hominem ex proprio vino inebriari?* Sur. in vita, tom. 2.

S. BERNARDVS.

Inſignis etiam Pudicitię cuſtos hic exſtitit. cùm enim tertiò ad eum intempeſta nocte veniſſet forma eiuſdem capta, impudica mulier, vt ad flagitium eum pelliceret, manu ac voce, Fures, inclamat, & latrones. Arguunt primo manè ſocij, quòd ſomniando immoderatiùs clamaſſet, Latrones. quibus, *Verè*, inquit ille, *& extra iocum ſomniumque latrones aderant: nam mulier quædam pretioſiſſimum pudicitiæ meæ theſaurum ablatura, tertiò venit.* Auct. vitæ ipſius lib. 1. cap. 3. Sur. tom. 1.

THOMAS II. EBORAC. EPISCOPVS.

Dignus quoque memoria ſæculorum iſte. Cui ægrotan-

ægrotanti dum medici ſolum fœminæ vſum morbo remedium adferre poſſe iudicarent, eaſque adhiberet vrgerent incunctanter, cùm illi, tum conſanguinei; & iam fœminā decentis formæ adduxiſſent, noluit eam contingere; inquiens: *Propter ſalutem carnis tādem moritura, immortale Pudicitiæ decus nō amittam.* Pręclarè de illo dici poteſt, quod de Michaële Verino poſteritati conſecratum reperimus:

Sola Venus poterat lento ſuccurrere morbo;
Ne ſe pollueret, maluit ipſe mori.

Polyd. lib. 1. cap. 3.

S. IPHIGENIA VIRGO.

Sed vt fœminis quoque ſuas hîc partes demus, res ipſa poſtulat: ne, ſi ijs contenti tantùm erimus quæ iam diximus, ipſæ dedignentur ſequi ſexum alienum. Adducamus huc igitur ſponſas Chriſti, & inter eas primam ſtatuamus poſt Virginem matrem, (cuius pudicitiam laudaſſe, detraxiſſe foret,) IPHIGENIAM Ægippi Æthiopum Regis filiam. Hæc Matthæi Apoſtoli prædicatione, vera fide illuminata, Virginitatem vouit: & alijs quæ eam vouerant, præerat ſedula gubernatrix. ſed quid? paterni regni ſucceſſorem Hirtacum in maritum accipiat, ab eodem impellitur. quo ſpreto, *Æterni*, ait, *Regis ſponſa ſum, nec mihi eo relicto alteri nubere fas.* neque minis, neque inſtantibus iam flammarum periculis, à ſententia amoueri potuit. Abdias in vita Matthæi.

S. LVCIA VIRGO.

Et hæc Pudicitiam vitâ habuit chariorem. Iuueni enim iungi noluit, vt iungeretur Chriſto: & ad idololatriam compulſa, manſit immota in fide rupes. Quare minitanti Paſchaſio, Ego te faciam

ad lupanar trahi, vt cùm fueris ſcortata, fugiat à te Spiritus ſanctus: *Nunquam*, inquiebat, *inquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis: ſi namque me inuitam feceris violari, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam.* Sur.tom.6.in vita.

S. AGNES VIRGO ET MARTYR.

Neque tu, fidiſſima Pudicitiæ tutela AGNES, ſilebere. quæ, dum te deperiret Præfecti tuæ vrbis filius, nondum pubertatis annos egreſſa, eum animosè deſpexiſti; dicens: *Recede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: iam ab alio amatore præuenta ſum, qui annulo fidei ſuæ ſubarrauit me.* O ſenectutem infantilis mentis! ô iuuenilis animi canitiem! Sur.tom.6.in vita.

S. EVPHRAXIA VIRGO.

Et hanc etiam Antigoni filiam, quia Romano patricij generis iuueni à parentibus antè pacta, quàm Religioni ſe daret, fuerat, cùm eidem nubere per Theodoſij Imp. literas cogeretur, reſpondiſſe tradunt: *Sponſum habeo in cælis, non in terra: & certum mihi extrema omnia perpeti, quàm fallere fidem illi datam.* Quid priùs miremur, neſcio: an ſenilem teneræ ætatis in reſpondendo ſapientiam, an verò puellaris animi in propoſito conſtantiam? In vitis PP. Sur.tom.2.

GVNZONIS DVCIS FILIA.

Neque hanc pudere debeat, ſi primis illis iungatur: cuius virginitatis flos etiam ſuum odorem per vniuerſam Galliam diffudit. Vt enim erat Arbonæ Ducis filia, à Segeberto Galliarum Rege in coniugem petita. at quid ſponſa Chriſti? *Æterno Regi deſponſata ſum*, ait. Cui & nunc meritò in cæleſti illo ſolio iuncta, quæ dum hîc viueret, pluris fecit Ca-

ſtitatis

ſtitatis quàm Franciæ regnum. In vita S. Galli lib. 1. cap. 21. Sur. tom. 5.

VIRGO ANONYMA.

Sentiebat item illa, vbi diuerſus ſexus eſt, diuerſarum cogitationum pugnas incidere neceſſarium: cùm namque B. Martinus eam inuiſere cogitaret, aditu negato, dixit: *Pater ſancte ora pro me, quia à viro nunquam ſum viſitata.* Rarum etiam Pudicitiæ exemplum. Hieron. Epiſt. ad Oceanum.

ELIZABETH VIDVA.

Eſt etiam viduis ſua caſtitas. vnde & eas honorare præcepit Apoſtolus, quæ verè viduæ ſunt. Talis indubiè erat ELIZABETHA Lantgrauio tradita: quæ, mortuo coniuge, dum ab Epiſcopo Bambergenſi ad nuptias incitaretur, reſpondit: *Si id coneris, fixum mihi truncatis naribus, vel lacerata facie me ita deformare, vt qui me ducere velit, futurus ſit nemo.* Itaque oblatam fortunæ felicitatem reſpuit, ſola caſtitate gaudens. Conrad. Concion.

MVLIER AQVILEENSIS.

Satis de illis, quæ Deo ſuam caſtitatem voto obſtrinxêre, hoc loco dictum: neque enim is animus omnia perſequi. ad alias tranſeo: quæ licet alterius ordinis, eiuſdem tamen propoſiti & mentis. Iactet ſuam Lucretiam Roma, habet etiam ſuam Aquilea quam proferat. cuius virilis animus maligno errore fortunæ muliebre corpus ſortitus eſt. Hæc enim vt erat ingenua, à Barbaro hoſte capta, ad ſtuprum rapiebatur. Quid ageret? ad preces conuertitur, & vix tandem impetrat, vt in ſuperiorem domus partem ſibi liber aditus fiat. quo facto, ea parte occupata quæ flumini imminebat, ad Hunnum conuerſa, *Vis me,* ait, *potiri? me ſequere.* & ex

alto præcipitem ſe in flumen dedit: magis de corporis, quàm ſalute animæ prouida. Sabell. lib. 5.

GVALDRATA PVELLA.

Hanc ad calcem adiicimus. quæ cùm eſſet formâ & corporis habitu admodum decoro, ab Othone IIII. qui tum Florentiæ, vt ſe deoſculandi copiam faceret, expetita. at illa: *Nullius mehercule, quàm eius quem maritum habitura ſum, ſuauium accipiam.* Placuit, & meritò, ea vox Principi, ac quæ illam protulerat, Guidoni Germano, viro armis inclito, in matrimonium data eſt. vſque adeò Deo & hominibus grata caſtitas. Bapt. Fulgoſ. lib. 6. cap. 1.

CENSVS. TRIBVTVM.

IESVS CHRISTVS.

NOn minore apud Deum loco exiſtimandum eſt eſſe eum, qui debito tributo, quod in poteſtatis recognitionem ſubditus pendit, quàm qui requiſito obſequio, ſuperiorem ſuum defraudat. Hinc Phariſæis cum Herodianis ad CHRISTVM tentandum accedentibus, dum quærunt, Licétne cenſum dare Cæſari, an non? CHRISTVS non quod liceat tantùm, ſed quid fieri debeat, imperans; viſa numiſmatis quod exhibebant inſcriptione & imagine, *Reddite*, inquit, *quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ Dei, Deo.* quod alio in loco, his verbis Apoſtolus: Cui honorem, honorem: cui tributum, tributum. Matth. cap. 22.

IDEM

Dum venientem Capharnaum pro didragmate (erat

(erat is nummus fortaſſis valoris trium ſolidorum) interpellant, Petrum in domo præuertens, *Quid tibi videtur*, inquit, *Simon? Reges terræ à quibus accipiunt tributum vel cenſum? à filijs, an ab alienis?* & illo dicente, *Ab alienis*; ſubinfert Christvs: *Ergo filij ſunt liberi*. declarans naturales filios non ſolere parentibus pendere tributum aut cenſum. Ibid. cap. 17.

Constantinvs Imp.

Mitis admodum & temperatus, vt in alijs omnibus, circa hanc Cenſuum exactionem fuit Constantinvs: ab cuius ore ſæpè ſæpiùs audita eſt memoranda illa vox: *Communes regni opes ſecuriùs à communitate aſſeruantur, quàm ſi eas nos ipſi recondamus*. Verè prudens Imperator, qui ſuam potentiam in ciuium potentia collocabat. Euſeb. hiſt. Eccleſ. lib. 1. cap. 10.

Petrvs Sabavdiæ Comes.

Forti animo, licet parum æquo hic. Monitus namque apud Othonem IIII. per Cancellarium eiuſdem, feudales literas nonnullarũ vrbium quas pridem acquiſiuerat, exhiberet; euaginatum enſem protendit, &, *Hæ*, inquit, *literæ, quibus eas acquiſiui*. Camerar. Meditat. hiſt. cap. VI.

Charitas erga Devm.

Vide Dei Amor & Honor.

CHARITAS ERGA PROXIMVM.

Iesvs Christvs.

SAnctorum exemplis dictiſque nunc inueſtigandum, quo animi adfectu proximus (ſub quo

omnem hominem comprehendimus; omniũ enim vnus est pater Deus) prosequendus à nobis sit. Et quidem roganti se DOMINVS, Magister quod est mandatum magnum in lege? respondit: *Diliges Dominum Deum tuum*, &c. *& proximum sicut teipsum.* Tunc vtiq. proximum sicut teipsum diligis, si quod tibi non vis fieri (vt explicat Scriptura) nec illi feceris. Matth. cap. 22. Marc. 12.

S. PAVLVS APOST.

At subit aliud non minùs illustre charitatis exemplar, Gentium doctor: qui anathema voluit esse pro fratribus. cùm autem multa coram Agrippa Rege de sua conuersione ac mortuorum resurrectione in medium adduxisset, & is diceret, In modico suades me Christianum fieri; subiecit: *Opto apud Deum & in modico & in magno, non tantùm te, sed & omnes qui audiunt, hodie fieri tales, qualis & ego, exceptis his vinculis.* Act. cap. 26.

S. IOANN. EVANGELISTA.

Amicum quoq; erga omnes se ostendit IOANNES EVANGELISTA, qui cùm Ephesi moraretur plenus dierũ, ita vt vix inter manus discipulorũ ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura verba vocẽ contexere, nihil aliud proferebat, quàm, *Filioli, diligite alterutrum.* at cùm discipuli tædio affecti, quòd eadẽ semper audirent, rogarẽt, Magister, quare hoc semper loqueris? dignam IOANNE sententiã respondit: *Quia præceptũ Domini est, & si solùm fiat, sufficit.* Hieron. in Cõm. Epist. ad Galatas; & Breuiar. Rom.

S. IOANNES CHRYSOST.

Ille amicum suum Basilium per industriam ad Episcopatum induxerat, eo quòd se in iudicio periclitantem magnis periculis liberasset. alijs autem

hoc

hoc factum improbantibus; *Ego*, inquit, *aliter amare non didici*. Coniecturam enim ſumebat CHRYSOSTOMVS, eum non ſecùs Christi oues amaturum, quàm amicum dilexerat. Chryſoſt. lib.2.de Sacerd.

S. GREGOR. NAZIANSENVS.

Cùm omnia ei ex animi voto ſuccederent,& ob id plurium in ſe inuidiam concitaret, iamque in eius locum alius ſubſtitueretur Epiſcopus: ipſe, quid fieret ſentiens, *Abſit*, inquiebat, *vt mei cauſa ſimultas aliqua in Dei ſacerdotibus oriatur. ſi propter me eſt iſta tempeſtas; tollite, & mittite in mare, & deſinet à vobis quaſſatio*. En virum ſanctiſſimum, etiã paratum quæuis perpeti, vt cum proximo pacem concordiamque conſeruet. In vita eiuſd.

S. DOMINICVS.

Hic quoque mirus charitatis cultor, hanc frequenter vſurpabat vocem: *Plus in charitatis codice didici, quàm in vniuerſa Scriptura*. Nec malè; quia plenitudo legis, eſt dilectio. In vita eiuſd.

S. MARTINVS.

Egregium item charitatis fraternæ exemplar is fuit. Moriturus enim, dum quererentur diſcipuli, quòd ſe ſine ſolatio relinqueret, ad preces cõuerſus; *Domine*, inquit, *ſi adhuc populo tuo ſum neceſſarius, non recuſo laborem: fiat voluntas tua*. O virum ineffabilem! nec labore victum, nec morte vincendum, qui nec mori timuit, nec viuere recuſauit! Sulpit. in vita.

B. IGNATIVS LOIOLA.

Nec minùs ille hoc in genere illuſtris. Cùm enim Lutetiæ quidam nefario pellicis amore teneretur, cumque omni via & modo ab eadem auellere ne-

quicquam tentaret; tandem opido egressus, in lacum, itineri, per quod alter ad turpes suas delicias iturus erat, conterminum, se ceruice tenus immergit, venientem exspectat, præsentemque è longinquo ita compellat: *Perge miser ad fœdissimas tuas voluptates: impendentem tuo capiti ruinam non vides? hîc ego me tui causa tamdiu macerabo, donec iustissimum Dei furorem in te paratum auertam*. Perculsus homo tam insigni charitatis exemplo, stat, pedem refert, & mentem. Ribad. in vita.

B. FRANCISCVS XAVERIVS.

Vt vitæ genere cum priori, ita & in charitatis huius vinculo par. Amicis namq; ne in Chinam pergeret ob præsens periculum dissuadentibus; *Non aliud*, respondit, *mihi in votis, quàm vel morte mea Chinarum salutem repræsentare*. Sciebat certè spei metum cedere, vbi maiora periculis proposita sunt præmia. Hor. Tursell. lib. 3. cap. 15. in vita eiusdem.

CIVILIA

Require in Apophthegm. de AFFECTV, *&* AMICITIA.

CHRISTI HONOR, AMOR, ET LAVS.

IESVS CHRISTVS.

NVnc ad salutis nostrę Auctorem confugimus: qui si huic etiam operi, ad cuius honorem id aggressi sumus, benignus adspiret; illæsa (vt aiunt) rate in portum incolumes deueniemus. Et quis non merito honore eum prosequatur, cuius opera omnia ineffabilia, humani ingenij captum longè

gè excedunt? Immeritò ergo Principes Sacerdotum & Scribæ, audientes pueros in templo clamãtes Hoſanna filio Dauid, indignati; & iure per CHRISTVM repreſſi, qui rogantibus, Audis quid iſti dicunt? *Vtique*, inquit: *numquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Matth. cap. 21.

IDEM.

Dum in ingreſſu Ieruſalem acclamaret populus, Benedictus qui venit Rex in nomine Domini; ac quidam Phariſæorum dicerent, Magiſter, increpa Diſcipulos tuos; ait: *Dico vobis, quia ſi hi tacuerint, lapides clamabunt.* inſinuans gloriam & potentiam ſuam prædicandam ab irrationalibus creaturis, ſi rationales conticuerint. Luc. c. 19.

S. PETRVS APOST.

Mirum, quantum hic ſui magiſtri deſiderio flagrarit. poſt cuius in cælum aſcenſum, vbertim lachrymas effudiſſe memoriæ proditum. rogatus autem, cur tantùm lachrymaretur; reſpondit: *Deſiderio Domini.* qua etiam de cauſa Gentium Doctor Paulus, cupiebat diſſolui & eſſe cum Chriſto. Ex vita eiuſdem.

S. THEODORVS MARTYR.

Et vt alios tacitus prætercam, quid de THEODORO Martyre dicam? cui dum tormenta ob oculos poneret Publius, rogaretque, Mauíſne eſſe cum tuo Chriſto, an verò nobiſcum? inquit: *Cum Chriſto meo, & ſum, & fui, & ero: ideoque non timeo tormenta tua.* Conſiderabat certè cum Apoſtolo, non eſſe condignas paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam in nobis reuelandã. Sur. tom. 6. in vita.

P. BORGIA SOC. IESV

Meritò prioribus annumerandus: vt qui oblitus (vt habet Psalmista) populi sui, & domus paternæ, insonaret hanc vocem crebriùs; *Pereat ille amor, vt viuat in me, quem quæro, Christi.* Nónne & illi viuere Christus dicendus est fuisse, & mori lucrum? In vita lib. 4. cap. 6.

CAROLVS V.

Erat hic animi magnitudine par, at pietate superior, & melior magno illo Iulio. Cùm enim Saxonum & aliorum ingentes ac numerosas copias exigua manu fudisset, ad summum Pontificem de rei euentu scribens, *Veni,* inquiebat, *& vidi, sed Christus vicit.* non sibi, vt Cæsar ille olim; at victoriæ largitori, eius quoque laudem adscribens. Sur. in Hist.

IDEM.

Neque hîc prætereundũ quod sequitur. vt enim erat vitæ sanctimonia in nobili illo genere clarissimus, in eodem prælio quod cum Saxonibus commisit, obseruauit imaginem Christi in cruce affixi, plumbea glande ab impio milite recenter traiectã. Stetit, & ingemuit; atque elata voce ad Deum clamauit: *Domine si vis iniuriam hanc vlcisci, potes: ecce autem me vindicem tuum paratum iuua.* Certè audiuit, & iuuit: prout subsecuta mox hostium dissipatio declarauit. Iust. Lips. Mon. Polit. lib. I. cap. 2.

CHRISTIANISMVS ET CHRISTIANVS.

S. DIACONVS.

TE te, mundi vinculum & firmamentum, CHRISTIANA RELIGIO, pennato vomere ingredi-

gredimur: & quantum tui ſtudium cùm obſeruandæ, tum amplificandæ fuerit, paucis dicendum ſuſcipimus. ſi enim omnia quæ in Sanctorum glorioſa morte de te dicta ſunt recenſere voluero; nullum ſcribēdi finem inueniam. Ex multis igitur S. DIACONVM adducimus, qui de genere, domo, patria, fide percontanti tyranno, in medijs tormentis nihil aliud reſpondit, quàm, *Chriſtianus ſum. hoc mihi nomen, genus, patria, doctrina. aliud nihil ſum.* quomodo etiam hic omnia reputauit vt ſtercora, ſolùm vt Chriſtum lucrifaceret. Euſeb. Hiſt. Eccleſ. lib. 5. cap. 1.

S. NICEPHORVS MARTYR.

Conſimilis fortitudinis hic. cùm Sapritiū preſbyterum, ob ſupplicij quod iam iam imminebat horrorem, à fidei conſtantia deficientem videret; in lachrymas ſolutus, vt perſiſteret rogauit. quo renuente; *Ego igitur*, ait, *pro ipſo feriar : Chriſtianus ſum.* & lubens ceruicem tyranni gladio ſubmiſit. Sur. tom. 1. in vita.

PACIANVS EPISCOPVS.

Pręclarum etiam iſte ſuæ fidei teſtimonium reddidit, dum ad Sempronianum ſcribens ita loquitur : *Catholicum iſtud nomen, nec Marcionem, nec Apellem, nec Montanum ſonat : nec hæreticos ſumit auctores. Chriſtianus mihi nomen eſt, Catholicus cognomen. Illud me nuncupat, hoc oſtendit : hoc probor, inde ſignificor.* Collig. ex Epiſt. prima.

S. CHRISTOPHORVS MARTYR.

Curſum ſiſtere volenti, non minori virtutis quàm corporis ſui mole obſiſtit CHRISTOPHORVS. Ille namque accepto à Sami Præfecto colapho, *Repercuſſiſſem*, inquit, *niſi Chriſtianus fuiſſem.*

Re & nomine ſe Chriſtianum teſtatus; vtpote cui proprium, pati. Sur. tom. 4.

SERGIVS II. PONT. MAX.

Illius ſe lateri comitem adiungit SERGIVS, qui Lotharij Imperatoris filio de patris mandato Italiam populanti ac Romam cogitanti, ad Portas argenteas obuiam procedens, eum his verbis aggreditur: *Si pacato magis, quàm hoſtili animo ad nos veniſti; ſique ad Chriſtiani nominis vtilitatem magis reſpicis, quàm ad ſæuiendi voluptatem; meo iuſſu ingredere: ſin aliter armatus es, fores ne tetigeris: nam ſuper caput enſem habes ſcelerum omnium vltorem.* Vide quàm perfecta Chriſtianæ religionis charitas omnem expellat timorem. Platina in vita.

PIVS II. PONTIFEX.

Hunc Sergio velut in officio, ita & in hac laude ſucceſſorem annectimus. qui *omnem ſectam humana auctoritate firmatam ratione carere* aſſerebat. dicebat autem; *Chriſtiana religio, etiamſi miraculis nõ eſſet confirmata, honeſtate ſua recipi debuiſſet.* Plat.

IOVINIANVS IMPER.

Ad alios feſtino, qui in Ciuili ordine ſua laude & gloria hîc carere non debent, aut poſſunt: cùm, ſi nos ſubticuerimus, ipſamet per ſe facta dictaque loquantur. Quis enim non meritò IOVINIANVM celebret? qui dum Imperij habenas ſuſcipere inuitus cogeretur, eam conditionem electoribus propoſuit: *Nolim Imperij adminiſtrationem accipere, niſi omnes quibus impero, Chriſtiani eſſe velint.* O memorandam boni Principis vocem! Theod. lib. 4. cap. 7.

TERENTIVS DVX.

Vide ZELVS ERGA DEVM.

LADIS-

LADISLAVS HVNGARIÆ REX.

Vultis & aliud non minùs illuſtre? LADISLAVS Rex, vbi Hungaros, qui ex deuaſtata Tranſiluania magnam prædam auexerant, prælio fuſos conſpiceretur, ſuumque militem acriter in eos ſæuire; *Parcite*, clamabat, *milites, parcite humano ſanguini, ſat cruoris hoſtilis effuſum: fugientem capite multitudinem, vt ſi forſan Orthodoxam fidem amplectantur, Dei populũ multiplicemus.* Digna Chriſtiano Principe oratio. Bonfinius lib. 4. Dec. 2.

IVGO DVX CARINTHIÆ.

Magnum item illius deſiderium Chriſtianam fidem propagandi: vnde cùm aliquando magnifico apparatu plebeios & agricolas in conuiuium excepiſſet, aulicos ſuos admodum tenui in menſa ab eis amouit. Mirantibus, cur (videbatur enim præter decorum) hos tam tenui, illos verò vtpote agreſtes, tàm nobili conuiuio exciperet; reſpondit: *Pro animarum qualitate conuiuiũ inſtruxi. Non enim tam puri ſunt illi, qui alta palatia incolentes, fœdo ſimulachrorum cultui ſe dedunt; quàm hi, qui humiles caſas habitantes, ac Chriſti Euãgelio credentes, vnda Baptiſmatis expiati ſunt.* Re verbiſque caſtigati nobiles, paulò pòſt ſe Vergilio & Annoni Epiſcopo, vt Chriſti ſacris initiarẽtur, inſtituendos præbuerunt. Sabell. lib. 3. Æn. 10. ex Æn. Syl. lib. 20. Europæ.

NORVEGIÆ INCOLÆ.

Hac gente nulla ante Chriſtum agnitũ in tuenda ſuperſtitione pertinacior: poſt ſuſceptum verò, nulla conſtantior. ferunt enim olim quauis ex cauſa eos peregrinatos; cùm autem primùm reduces terram ſuam attigiſſent, pronos cadere in terram, & fa-

& facto Crucis ſigno, eam exoſculari ſolitos, & exclamare: *O terra Chriſtiana ante omnes*. vſque adeò ſui generis cultum præ ceteris extollebant. Cranz. lib. Noruegiæ cap. 11.

IAPONII INCOLÆ ANONYMI.

Hos etiam longè à nobis remotos terrarum ſpatio, nunc verò Chriſto propinquos, annumerare præſentibus viſum: qui interrogati, quid de Chriſtiana fide ſentirent; hoc reſpondebant: *Nemo, noſtra quidem ſententia, rationis particeps, qui non auditis Chriſtianæ diſciplinæ decretis protinus aſſentiatur, ac pareat.* Ita de illis Maffeius lib. 1. Epiſt. ex Epiſt. Xauerij.

CHRISTIANORVM AMOR, ET ODIVM.

S. LVDOVICVS PIVS FRANC. REX.

NEque id ſatis viſum quibuſdam, vt Chriſtiani dicerentur: quin & ſummo apud eoſdem in pretio Chriſtianorum nomen erat, & ſalus. quorum vtrumque alij minùs piè aſpernati. Priorem aciem ducat LVDOVICVS, qui ob inſignia & præclara geſta PIVS dictus. ille enim dum in Syria cum exercitu ageret, rogabatur, nobilem quemdam Saracenum, qui Sultanum interfecerat, militari balteo donaret. at ille: *Abſit à me, vt vel pro ſeruanda vita, vel morte declinanda, à Chriſtiana religione alienum balteo donem.* Sentiebat ſolis Chriſtianis illud honoris competere. Gaufred. de Belloloco, in vita eiuſdem.

CAROLVS V. IMP.

Ætate, at non facti gloria poſterior, noſtri ſæculi Cæſar CAROLVS. qui cùm in Africa conſtitutus,

aduerteret prælium, quod ocyùs committendum, non ex animi voto successurum; receptui canerent, imperauit: adiiciens nobilem illam vocem; *Malim vnum Christianum seruare, quàm mille Mauros, Turcas, Pœnósve interimere.* O clementiam! ô mãsuetudinẽ! ô religionem! Zenocarus in vita, lib. 3.

IVLIANVS APOSTATA.

Ille iam dictis vt ætate, ita & impietate prior; nõ in Christum modò, sed & membra ipsius. ita vt neque Christianos ad se venire permitteret, neque eorum legationem nisi inuitus susciperet. Mouentibus bellum Persis legationem mittebant Nisibini, auxiliares copias postulantes: quos omnium Christianorum nomine impio hoc responso compellans; *Nec me vllum,* inquit, *subsidium laturum, nec pollutæ ciuitatis legationem suscepturum scitote: nisi priùs vos mecum in Paganismum descendisse intellexero.* Impiorum animus tum tranquillus, cùm plures in sui sceleris consortium trahit.
Sozom. lib. 6. Hist. Eccles. cap. 4.

IDEM

Ad quæuis scelera pronus, ipsos Paganos in Christicolas armabat, animabatque. qui oppressionem illam aliquamdiu sustinentes, cùm ingrauesceret indies, ad eum recurrunt: at is, vt erat, alter sui sæculi Nero, Quid exspectatis? solatiũ aliquod, aut lenimen? *Vestrum,* aiebat, *est, vt patientes mala sustineatis, hoc etenim præceptum est vestri Christi.* Ita impius IMPERATOR, impiè in Christi doctrinam blasphemus, eius quoque cultores illudebat, ipso Herode deterior. Ibid. cap. 39.

IDEM

IDEM.

Ecclesiasticorum bona diripi & in fiscum inferri præcipiebat, Religionem prætexens. dicebat autem: *Hac ratione eos magis expeditos reddo ad regnum cælorum. Beati namque inter eos sunt pauperes, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Pompon. Lętus in vita eius, G. Richt. in axiomat. Eccles. cap. 80.

CHRISTI POTENTIA ET NOMEN.

IESVS CHRISTVS.

QVis dabit mihi nunc pennas sicut columbæ, vt ad augustum hoc CHRISTI nomen euolē, & non cum Icaro per nimium eius splendorem in præceps agar? Quid enim Gentium simulachra (etiam Deo ita permittente) operata, si cum iis conferas, quæ huius nominis potentia freti viri sancti admiranda præstitêre? cùm ipsa Veritas dicat dilectis suis: *Vsquequo non petistis quicquam in nomine meo? petite, & accipietis.* neque id dilectis solùm; sed & improbis concessum, in nomine suo eiicere dæmones, & alia supra hominem efficere. Vnde super his miratus Ioannes, Magister, inquit, vidimus quemdam in nomine tuo eiicere dæmonia, qui non sequitur nos: & prohibuimus eum. IESVS autem ait: *Nolite prohibere eum. Nemo enim est qui faciet virtutem,* id est miraculum, *in nomine meo, & posit citò malè loqui de me.* (qua fronte enim malediceret illi nomini, quod in se experitur esse tam efficax?) *Qui enim non est aduersum nos, pro nobis est.* Admirāda nominis CHRISTI virtus: quæ etiam in alienis, & à se auersis pectoribus, suæ claritatis radios diffudit. Marc. cap. 9.

S. PETRVS

SS. PETRVS & IOANNES.

Hoc ipſum conteſtati huius nominis amantiſſimi, PETRVS & IOANNES. introeuntibus namque in templum, dum Cæcus quidam ad portam quæ Speciosa dicebatur, de more eleemoſynam à tranſeuntibus petens procumberet, & ab his etiam ſtipem flagitaret, eamque, reſpicere iuſſus in eos, iam certò exſpectaret; PETRVS de meliori eleemoſyna cogitans, *Argentum*, inquiebat, *& aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula.* Act. cap. 3.

ALEXANDER EPISCOPVS.

Inſignis quoque huius nominis cultor exſtitit iſte. qui videns nouas indies ſectas pullulare, cùm auctoritate Conſtantini coactum eſſet Philoſophorum concilium, qui cum Chriſtianis de fidei veritate conferrent: ille paranti dicere Philoſopho, *Tibi*, inquit, *in nomine Chriſti ſilentium impero.* manet ille ad hanc vocē elinguis: & quod ore non poterat, victus manum dat ALEXANDRO. reliqui viſo miraculo conuerſi, ac ſi Dominum audiuiſſent dicentem; *Si mihi non creditis, operibus ipſis credite.* Euſeb. in vita Conſtant.

S. MARTINVS TVRON. EPISC.

Iuliano Cęſare donatiua parante, quę in milites, quò in prælium iam imminens alacriores deſcenderent, erogaret; miſſionem MARTINVS poſtulat, dicens: *Chriſti nunc miles ſum, pugnare mihi nefas.* motus ad iram Tyrannus, eum pugnę inſtantis metu militiam iam detrectare obiecit. at MARTINVS, quaſi illato ſibi terrore conſtantior; *Si hoc*, ait, *ignauiæ adſcribitur, non fidei; ego die craſtino ſolo ſigni*

Crucis clypeo protectus, hostium cuneos in nomine Domini Iesu Christi penetrabo securus. quod & effecit. Sur. tom. 6. in vita.

S. THEODORVS MARTYR.

Neque huic vana in Christum fides, & inefficax desiderium. Custodiæ enim traditus, cùm inedia consumeretur; ita vt vnicam panis vnciam cum pauxillo aquæ per diem acciperet; fidelis Christi athleta haud solito debilior, etiam oblatum cibum recusabat. dicebat autem: *Me alit Dominus meus, & Rex Jesus Christus.* Et quis vmquam vidit iustum derelictum, aut semen eius quærens panem? Sur. tom. 6. in vita.

S. PAVLINVS.

Non erit hîc prætereundus PAVLINVS: qui Apostoli Pauli discipulus, cùm eum persequerentur impij homines, magistri sui imitatus vestigia, suos his verbis hortabatur: *Vbicunque Christus adest, nobis etiam aranea murus fiet. at cùm Christus abest, etiam murus fiet aranea.* quod reuera & ad literam in quodam Martyre impletum, testatur ex vita eiusdem, Breuiarium Romanum. Eusebius in Chronico.

ANONYMVS.

Concludam cum Cassiano: qui apud Alexandriam Senem fuisse commemorat, Christiana fide imbutum, quem cùm varijs maledictis impeterent Infideles, ac tandem quærerent: Quid miraculi vmquam fecit Christus tuus? Christiano dignam vocem respondit; *Hoc ipsum, vt ijs quas infertis non mouear iniurijs.* Cassianus.

CHRI-

CHRISTVM SEQVI.

S. IGNATIVS.

QVanta res ſit Chriſtum habere vitæ ſuæ exemplar, & ad illud ſuos mores efformare, vel ex illo eiuſdem teſtimonio euidens ſit, vbi ait: Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. cuius rei fiducia incenſus IGNATIVS, vix cōceptum intra pectoris medullas ignem continere valens, ad beſtias Romæ damnatus, *Nunc* inquiebat, *incipio diſcipulus eſſe Chriſti: nihil de iis quæ videntur deſiderās, vt Ieſum Chriſtum inueniam.* Verè & piè Bernardus; Nil canitur ſuauius, auditur nil iucundius, nil cogitatur dulcius, quàm Ieſus Dei filius. Euſeb. lib. 3. hiſt. Eccl. cap. 30.

S. MALACHIAS EPISC. HIBERNIÆ.

Hic à nefario quodam Principe per dolum è templo vocabatur, firmandæ (vt prætexebat) pacis cauſa. cumque ne ad eum deſcenderet totus clerus ſuaderet, ille pacis cupidus, *Sinite*, ait, *me imitari magiſtrum meum. ſine cauſa ſum Chriſtianus, ſi Chriſtum non ſequor.* Verè pectoribus noſtris inſerenda vox. quibus nomen dumtaxat Chriſtianum in pretio, non vita. Sur. tom. 6. in vita.

NIVARDVS FRATER D. BERNARDI

Summa laude & admiratione dignus. cui puero adhuc, cùm fratres, inter quos magnus ille Bernardus, ad Religionem pergentes in foro cum æqualibus ludenti dicerent; Niuarde frater, nunc te ſolum manet totius ſumma patrimonij : nos omnibus cedentes, Chriſtum ſequimur; ille, *Cælum vos ergo poßidebitis, ego terram? abſit.* nihilque moratus, pueri-

puerilem animum in virilem commutans, fratres ſequitur, & cum illis Chriſtum. In vita Bern. lib. 1. cap. 3.

THOMAS MORVS.

An non dignus ille, qui prioribus iungatur? Cùm, vt erat ſumma pietate & religione, ſupplicationes diebus rogationum fieri conſuetas pedes comitaretur; monitus à ſuis, equum conſcenderet, dixit: *Nolo Dominum meum peditem eques ſubſequi.* Dicebat autẽ id propter crucifixi imaginem, in qua Chriſtum venerabatur. Tho. Staplut. in vita.

CHRISTVM CONFITERI.

S. ROMANVS MILES.

MAgna eos præmia manent, qui Chriſtum hîc coram hominibus confitentur, nec eum annuntiare tam re quàm verbo erubeſcũt. tales enim ipſemet coram Patre ſuo confeſſurum ſe explicatis verbis promiſit. quod intelligens (vt ſexcẽtos alios omittam) ROMANVS MILES, qui poſtquam plumbatis flagriſque diu tortus, etiam ipſa latera mucronibus reſcinderentur; dixiſſe fertur ad impiiſſimum Tyrannum: *Gratias ago, quòd ampliores mihi oris patefacias meatus, quibus Chriſtum prædicem: tot ecce laudant ora, quot ſunt vulnera.* Dictum merè & verè Romanum. Sur. in vita.

S. DIONYSIVS M.

Ille etiam meritò Romano adiungendus, qui Romæ à Diocletiano comprehẽſus, dum lætus ad ſupplicij locum duceretur, ſolùm hoc toto itinere ingeminabat: *Etſi millies occidi poſſem, tamen Dominum*

num meum Iesum palàm confiteri non cessarem. Pet. de Natalibus.

S. EVELPISTVS.

Et hic cum Sodalibus prætorio Rustici Præfecti sistitur. quo rogante, Tu quisnam es, cuius ve religionis? nil cunctatus, *Seruus quidem Cæsaris*, inquit, *sed à Christo libertate donatus; eiusque beneficio, illius spei, cuius & isti quos hîc vides, particeps factus.* Sur. tom. 2. Lippelloo ibid. Metaphrast.

CIBVS.

IESVS CHRISTVS.

SCribis & Pharisæis ex eo quærentibus, quare tui discipuli transgrediuntur traditiones seniorum? non enim lauant manus cùm panem manducant. Ille, conuocatis ad se turbis, *Audite*, dixit, *& intelligite. Non quod in os intrat coinquinat hominem.* & paulò pòst: *Non intelligitis quia omne quod in os intrat in ventrem vadit, & in secessum emittitur?* significans, nullum cibum esse ex se immundum, aut coinquinare eum comedentem, cùm nihil cibi cor hominis (à cuius pollutione homo coram Deo pollutus reputatur) ingrediatur, & quidquid in eo immundi per secessum eiiciatur. Matth. cap. 15.

PIOR MONACHVS.

Hic ambulando, vel aliud semper agendo, cibum sumere solitus. rogatus autem cur eo modo comederet? *Nolo*, inquit, *velut necessitate vti cibo; sed tamquam extraneum aliquid agere.* Cur ita? percontanti, *Ne*, respondit, *dum comedo, anima voluptatem sentiat corporalem.* Socr. lib. 8. Trip. hist. c. 1.

F. BERNARDINVS PALOMVS.

Narrandum etiam quod huic ſubiicitur. Adſcribunt BERNARDINO PALOMO, homini ſupra modum faceto, inter cetera illud: *Cibi ſumptio, ad loquendum & bibendum commodiùs, inſtituta eſt: at, ſi apud magnates id fiat, prius dedecus, poſterius infame æſtimatur.* Floreſta.

ISODORVS XENODOCHVS.

Vide tit. DE ABSTINENTIA.

LAVRENTIVS MEDICES.

Cùm fatali lecto decumbenti cibi adferrentur, & eos porrigens rogaret, Quàm ſapiunt cibi illi? reſpondit, *Vt ſolent morienti.* quaſi dicat, nihil in humanis relinqui ſolatij, aut dulcędinis illi, qui ſe videt moriturum. Ang. Politianus in Epiſt.

CLEMENTIA, MANSVETVDO, *&c.*

IESVS CHRISTVS.

INgredimur CLEMENTIÆ MANSVETVDINISQVE fines: cuius nomen cùm ex ipſo Numine petitum ſit, obuiam quoque & paratam habet commendationẽ. Ante omnia autem ipſum totius manſuetudinis fontẽ referam CHRISTVM DOMINVM: cuius humaniſſima facta vt ſileam, vnicum tamen ſermonem eius rei indicem recenſebo. Manſuetiſſimus agnus ad victimam currit, maledicitur & irridetur: ſeque in exemplum nobis præbens; *Diſcite, inquit, à me, quia mitis ſum, & humilis corde; & inuenietis requiem animabus veſtris.* Veram nempe requiem, in cælo, & in terra: dicente Propheta; Manſueti

ſueti hereditabunt terram, & delectabuntur in multitudine pacis. Matth. cap. 11.

S. ANSELMVS.

Vide EDVCATIO LIBERORVM.

ALEXANDER SEVERVS IMP.

Ad Ciuiles curſum flecto, quòd Sacrorum tantus ſit æſtus, vt verear, ne ſi illos attigero, diu nimis immorandum foret. Ducatum hîc præbet SEVERVS IMPERATOR: cuius clementiam cùm improbarent mater & coniux, ac, Molliorem tibi magiſque contemptibilem Imperij dignitatẽ feciſti, obiicerent; ille, *Sed ſecuriorem*, reſpondit, *& diuturniorem*. Quàm diſpar à nomine vita, & mores! ac rariùs verum illud,

Conueniunt rebus nomina quæque ſuis.

Bruſ. lib. 3. cap. 13.

CONSTANTIVS IMP.

Adiungit ſe illi CONSTANTIVS. qui cùm raptorem cuiuſdam virginis in exilium relegaſſet, & indignarentur parentes non eſſe morte multatum; *Hactenus*, reſpondit, *incuſent iura clementiæ: ſed Imperatorem, mitiſſimi animi legibus, præſtare ceteris decet.* Auct. Serm. conuiu. Item in vita eiuſd.

CAROLVS MAGNVS.

Admirandam hic inter noſtros gloriã & gratiam hac quoq; virtute collegit. vt enim Pipinum filium tranſeã, cui tertiò, quòd in ſe coniurauerat, clementer ignouit; ad filiam veniam. Erat Eginhartus in aula CAROLO ab epiſtolis; vir, vt illo æuo, doctus & prudens. At quid nõ facit cęcus amor? in filiam domini ſui exarſit, & ipſa in eum viciſſim. quid facerent? reſtinguũt (vt ſolent amãtes) furtiua ſui copia, & congreſſu: qui aliquamdiu latuit, donec hiemãte

quadam nocte, cùm in secretiore cubiculo Eginhartus fuisset, & sub ipsam lucem exire vellet, videt multam niuem cecidisse. hæret, & timet ne à vestigiis deprehendatur vir in gynæceo fuisse. Consilio & astu subuênit amica, & illum in humeros sublatum & pendentem, dulce onus tulit. Ecce ô sortem miseram; æquam tamen. Videt id fortè ex superiore domus parte aurã captans CAROLVS. dissimulat, donec pleno die Principũ conuentus. Hic rem narrat, rogatque (at nomina suppressit) qua pœna famulus qui sic in dominum, & filia quæ in patrem peccasset, digni? cui illi, Mortis. Tum vtrumque vocat, & coram se sistit. En, inquit, hi sunt qui peccauerunt. Tu Eginharte, tu filia, qui hoc ausi estis. (nec negandi erat locus; patrem, ac dominum, inspectorem, accusatorem, iudicem, & vindicem habebant.) Quid meruistis? Mortẽ, inquiunt illi. at CAROLVS: *Tamen mitem tu Patrem, tu Dominum videte. Ignoscimus lege hac quam dicam. Eginharte, hanc tuam, latricem vxorem duces: concordes estote, & mutuum deinceps inter vos ferte.* Dixerat. illi à summo metu in gaudium inexspectatum translati, grates agunt, & gratulationes futuri connubij accipiunt.
I. Lips. Monit. polit. lib. 2. cap. 12. num. 12.

CAZIMIRVS DVX SENDOMIRIENSIVM.

Nec nimis seuerum est quod addam. CAZIMIRVS, qui postea Polonorum rex, dum tempus aliquando falleret per lusum aleæ cum domestico suo Ioan. Conario equite, & alternaret (vti in illis fit) Fortuna: cùm multa nox esset, placuit vno iactu de tota summa decidere. Is felix CAZIMIRO fuit: qui pecuniam ad se attraxit. Indignatus eques, & sorti

suæ

suæ iratus, per calorem Principem inuadit, (capitale erat) & beneficio noctis euadit. primo mane CAZIMIRO sistitur puniendus. Expectatis hîc vindictam, aut vltionem, licet æquam? Nequaquam. at re bene considerata, Princeps, *Amici*, inquit, *iste minùs quàm ego peccauit: imò quidquid peccatum est, meum est. Calor mentem & manum ei mouit. at ego cur causam præbui? & oblitus conditionis meæ, quasi cum pari lusi? Imò tu Joannes, non veniam à me solùm, sed & gratiam accipe. vtili me castigatione docuisti, ne quid imposterum Principe indignum committam.* Ita dixit, fecitque. En clementiam, patientiam, prudentiam. Ibidem.

RVDOLPHVS IMP. AVSTRIACVS.

Hic etiam cùm post morum mutationem clementior factus esset, quàm in ipso Imperij exordio; reprehensus, in prudentem hunc sermonem erupit; *Seuerum & immitem fuisse me aliquando pœnituit: lenem & placabilem, numquam.* Memoranda, & verè Imperatore digna vox. Æn. Syl. lib. 2. Com. de reb. gestis Alphonsi.

LVDOVICVS XII. GALLIÆ REX.

At in isto etiam spectabilis hæc virtus fuit. cùm enim in Regem esset euectus, accessit magna cum fiducia è domesticis vnus, postulans bona ciuis cuiusdam Aurelianensis, qui (tristi illo tempore, quo inter Ludouicum & Carolum octauum grauis illa simultas, & dissidium) ex acerrimis Ludouici hostibus fuerat. Rex animo planè regio, *Tu verò aliud à me pete*, inquit, *& meritis tuis gratia erit. De isto, omitte: nam Rex Galliæ* (verba eius sunt) *non vlciscitur iniurias ducis Aurelianensis.* Dux enim anteà cum hoc titulo fuerat: significabat ergo, dignita-

tem ſe, atque cum eâ etiam affectus mutaſſe. Refert Iuſt. Lipſ. ſuprà.

REX MVMONIÆ IN HIBERNIA.

Tempora confundimus, at in re eâdem. Orta aliquãdo graui inter MVMONIÆ REGEM, & fratrem ſimultate, factum, vt à fratre REX regno pelleretur. Pulſus ad Malachiam Epiſcopum fugit, à quo regio honore excipitur, ac ſimul ab eo inſtigatur, regnum quo per iniuriam pulſus erat, per vim reciperet. cui ille, *Nequaquam id fecero*, ait: *nolo enim pro terreno meo honore humanum ſanguinẽ effundere, qui contra me de terrâ clamet ad Dominum*. Docuit ex neceſſitate parandam virtutem. Coll. ex Surio tom. 6. in vita S. Malachiæ.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Te autem ALPHONSE ſilerem? qui hîc parem vix vllum, at ſuperiorem certè neminem habuiſti. Obſidebat Caietam pertinaciter rebellem, conſtabat obſeſſos inopiâ commeatuum premi: quod ipſimet faſſi, inutilem turbam emittebãt. Agitatum in conſilio eam repellere in vrbem, dedendam enim mox hac ratione. at noluit REX eorum miſertus. quare cùm ea potitus non eſſet, quidam obiicere auſi, Niſi illos emiſiſſes, iam vrbe potitus eſſes. Ille fortiter & conſtanter, *At mihi*, aiebat, *pluris tot hominum incolumitas eſt, quàm centum Caietæ*. Tamen nec ea defuit. nam ciues tam inſigni virtute moniti, vltrò ſe ei tradunt. Meminerat clementiſſimus Princeps illius Senecæ, quod

——— quiſquis eſt placidè potens
Dominuſque vitæ ſeruat innocuas manus,
Et incruentum mitis imperium regit,

Ani-

Animoque parcit: longa permensus diu
Felicis æui spatia, vel cælum petit,
Vel læta felix nemoris Elisij loca.

I. Lips. loco cit. Panorm. lib. 1. de Gestis eiusd.

IDEM

Percontanti, cur erga omnes, etiam malos, ita lenis esset; vocem factis consonam respondit: *Quia bonos iustitia conciliat, malos clementia.* Panorm. lib. 2. de Gest. Alphon.

IDEM.

Iterùm cùm de nimia eius lenitate quererentur ministri, eamque vix Principem decere dicerent: *Quid ergo*, inquit, *vultis vrsos & leones regnare? Hominum clementia, belluarum feritas propria est.* Vera dixit. Quo quis maior, & magis (vt sic dicam) homo est, hoc virtuti huic pronior, quæ ob id humanitas appellatur. Quare sapienter admodum Iuuenal. de hac virtute verba faciens Sat. 1. ait:

——— *Separat hæc nos*
A grege brutorum: atq; ideò venerabile soli
Sortiti ingenium, diuinorumque capaces.

& paulò pòst:

Principio indulsit communis conditor illis
Tantùm animas, nobis animũ quoq;, mutuus vt nos
Affectus petere auxilium, & præstare iuberet.

Panormit. ibid.

IDEM.

Eiusdem etiam illa vox; *Malo multos mea clementia seruare, quàm paucos seueritate perdere.* Vnde etiam dicenti sibi cuidam: Caue, ne tua hæc clementia in perniciem cedat: *Imò verò*, respondit, *multa mihi perferenda sunt, ne in inuidiam cadam.* Ibidem.

IDEM

IDEM.

Quid maximè aduerſarios flecteret, rogatus; *Placabilitatis* ait, *& manſuetudinis nomen.* Vnde dum contra Venetos & Florentinos haud equidem iniuria bellum ſuſcepiſſet, ac magno animo & viribus aduerſus eos contendiſſet, Veneti oratores armato obuiam procedunt, pacem humiliter poſtulant. cuius conditiones, cùm eiuſdem proceres intelligere deſiderarent, ac ſe facilè quiduis à victo hoſte impetraturos dicerent, ALPHONSVS reſpondiſſe fertur: *Nullum aliud datæ pacis pretium exiſtimo, quàm hoſtibus genibus ad me aduolutis pacem dare.* O Clementiam! pænè è Potentûm pectoribus proſcriptam. Panorm. lib. 1. de Geſtis eiuſd.

CAROLVS V. IMP.

Et te vnicum Manſuetudinis præſidium CAROLE Cæſar in extremo hoc agmine colloco. Illi enim nihil grauius ingratiuſque, quàm aliquem capitis damnatum intelligere. Quare cùm in Anglia nobiliſſimum quemdam iuuenem ſententia Volſæi, qui iudiciis præerat, damnatum audiuiſſet, pulchrè ludens, *Indignum,* aiebat, *à cane lanij tam pulchram damam deuorari.* nam ille qui tot annis lanienam in Anglia exercuerat, lanij filius erat. Præclarè Ouidius ad Cotim:

Conueniens hominum eſt hominem ſeruare voluptas:
Et melior nulla quæritur arte fauor.

Chyt. in Orat. de Carolo V. Imp.

COEMI-

COEMITERIVM.

ELIAS ABBAS.

COEMITERIA, quæ mortuorum domicilia, suntq; quasi publica quædã gymnasia, in quibus vera Philosophia, Mundi videlicet cõtemptus, docetur, alacri animo accedamus cum ELIA ABBATE. Ille enim cùm sæpiùs ad ferales has scholas suos remitteret, & illi quidnam emolumenti ex eo accessu consequerentur, inquirerent; dicebat: *Quale in domo figuli retulit Ieremias propheta.* Iste namque eò à Domino missus, cùm vidisset vas super rotam, eiusque confractionem & nouam restaurationem, didicit dependentiam necessariam populi à diuina bonitate. Ita & nos, intuentes Sepulchreta, vitæ nostræ & mortis memoriã recolimus, quodq; gloria hominis stercus & vermis est: hodie extollitur, & cras non inuenitur. ac vt benè cecinit Poëta,

Omnia sunt hominum tenui pendentia filo,
Et subito casu quæ valuere ruunt.

EREMITA ANONYMVS.

Rogatus, quomodo ad hanc publicam scholam accedendum esset, respondit; *Quo olim ad ludum Pythagoræ.* Ad eum enim primùm accedentibus quinquennale imperabatur silentium, vt silendo meliùs tandem loqui discerent. Ita in hac mortalium palęstra, silentio & tacita inspectione opus; cùm ad prudentiùs loquendum, tum ad rectiùs iudicandũ, & meliùs viuendũ. Ex Stimulis virtut.

PVER ANONYMVS.

Complorata iacent mæstis vbi corpora bustis,
Garrula soluebant vocibus ora senes.

Certa

Certabantque iocis: ad quos puer ore proteruus,
Sunt, *ait*, ad vestras gaudia quanta domos.
Confectos ætate senes, lethoque propinquos,
Ipsorumque notans, esse sepulchra, domos.
Ex Epigramm. Sabini.

COGITATIO, CONTEMPLATIO, MEDITATIO.

S. THOMAS AQVINAS.

QVAM verum Heracliti dictum, Plutarcho teste, vigilantibus vnum communem esse mundum, sopitos in suum quemque discedere, per cogitationem scilicet & contemplationem; reipsâ inuestigandum. Atque vt Hieronymos, Augustinos, & alios insignes viros, apud quos magno in pretio contemplationis & sanctæ cogitationis studium, omittam; THOMAS AQVINAS, qui ob doctrinæ præstantiam Angelici Doctoris nomen obtinuit, Parisiis cum Philippo, vel (si Campano fides) Ludouico rege in cœna accumbens, animo alienatus, cùm ne oculis quidem conniueret, manu tandem percutiens mensam, exclamauit; *Aduersus Manichæos conclusum est.* quod factum dum Rex admiraretur, THOMAS cum rubore respondit: *Argumentum mihi in mentem venerat, quo Manichæorum dogma penitus euertēdum.* Ita viri sancti etiam aliud exteriùs agentes, interiùs ad Dei gloriam promouendam semper intendunt. Fulg. lib. 8. cap. 7.

S. BASILIVS.

Aquinati se BASILIVS associet. qui non ignorans, quantũ pia consideratio ab impietatis studio mentem

tem auocaret, cùm rogaretur, Quis frequenter irascitur? quis ad opera spiritualia piger est? quis actiones suas ad Dei gloriam non refert? hoc vnum ad singula respōdebat; *Qui non semper cogitat Deum suarum actionum inspectorem esse. Hæc enim vna recordatio si esset assidua, contra omnia vitia medelam præbet.* Refert Th.Stapl.in Promp.æstiu.pa.404.

FR. ÆGIDIVS COMES S. FRANC.

At quoniam facilem in homine aditum parat fœda cogitatio, dicebat aliquando FR. ÆGIDIVS, *Cùm eiusmodi cogitatio accedit, eam abige: dicesque, Iam alius hospes meum domicilium occupauit.* Benè Ambros. Si non penitùs libidinem nostro excutimus animo, tollimus eam magis nobiscum, quàm post nos relinquimus. Ibidem Dom.2. post Pentec.

FRANCISCVS BORGIA SOC. IESV.

Vide infrà, SVI COGNITIO.

S. ELIZABETHA.

Quæ etiam fœminis in hac contemplandi laude acciderunt, referam. Pannonum regis filiam ferunt ita supra se sublatā, cælestibus rebus animum intendisse, vt Iesum se in nubibus videre palàm testaretur, sibique dicere, Ego tecum sum. vnde & illa cunctis audientibus respondebat: *Ita Domine, tu mecum, atque ego tecum.* Magnum diuinæ liberalitatis beneficium, vt homo Deum alloquatur: maius, vt alloquentem audiat: maximum, vt vnà cum illo sit. Conrad.Concion. de S.Elizabeth.

CAROLVS MAGNVS.

Ille ad ceruicale pennam & encaustum cum membrana noctu reponebat, vicinumque lecto parietem cera illini curabat. percontanti eius rei causam;

ſam; *Vt*, inquit, *ſi quid cogitanti mihi in lecto vtile occurrerit, ſignem, & memoriâ ſignatum poſtero die reuocem.* Conuenienter Auſonius,

Μελέτη τὸ πᾶν *qui dixi, & dictum probo,*
Meditationem id eſſe totum quod geras.

Eginard. in vita Caroli, & Henr. Erphord.

CAROLVS V. IMP.

Eiuſdem mentis, ſed paulò aliter CAROLVS V. qui rem quampiam aggreſſurus, diu multumque eam animo voluebat: in publicum non prodibat, imò morbum quandoq; ſimulabat. dicebat enim; *Principum conſilia deprehendi non debere, priuſquam in opus deducta eſſent.* Theat. Zuing.

COGNITIO SVI.

ARSENIVS ABBAS.

SVI COGNITIONEM, quam veram Philoſophiam dicebat Demonax, rem difficillimam Thales, tractandam per exempla ſuſcipimus. Primum ſit ARSENII, magni illius Abbatis, quem dum videret quiſpiam cum Ægyptio viro agreſti multa diſſerentem de cogitationibus, & non ſine admiratione multa inquirentem; indignabatur, virum tantum, & tam celebrem, hominem idiotam de grauiſſimis rebus conſulere: ſed ARSENIVS, *Non quidē negauerim mediocriter me eruditum: huius tamen ruſtici illiteratam inſcitiam me nondum fateor didiciſſe.* Sur. tom. 4. ex Palladio & Metaphr.

IDEM.

Eiuſdem etiam percelebre illud, quod commemorat Dorotheus. ſolitum enim eum frequenter dicere aſſerit, *Arſeni, ad quid veniſti?* nihil magis repu-

reputans ad ſui cognitionem aſſequendam facere, quàm ſæpiùs meditari, ad quid huc venerimus. Doroth. doct. 10.

CONSTANTIVS MONACHVS.

Hunc Arſenio ſocium damus. nam cùm ad videndu n eum quidam è longinquâ regione Anconam veniſſet, eumque quòd ſtatura puſillus eſſet deſpexiſſet, irriſorem ſuum oculo excepit. & , *Quantum gaudeo*, inquit, *quòd tandem nactus ſum hominem, à quo iure parui pendendus exiſtimor. Seruum enim me ſcio, & vt habitu, ita ad quoduis bonum opus puſillum, ac prorſus inutilem.* Longè aliter hic ſentiebat, quàm publica hominum lex :

Quâ nemo in ſeſe tentat deſcendere, nemo.
Sed præcedenti ſpectatur mantica tergo.

Greg. lib. 1. Dial. cap. 5.

FRANCISCVS BORGIA SOC. IESV.

Ille item dignus qui inter priores locum habeat. Occurrenti namque Dynaſtæ Hiſpaniæ, eiuſque vicem querenti, quòd inops veſte attrita ambularet, ſeque & valetudinem negligeret, reſpondit: *In me fore recipio, vt mihi caueam. Iter enim facturus, prodromos binos præmitto tamquam exploratores, qui hoſpitium menſamque adornent.* Interrogantique Dynaſtæ, Ecquóſnam illos? *Mei*, replicabat, *cognitionem, & pœnarum apud Inferos quas merui, contemplationem.* Lib. 4. vit. eiuſd. cap. 1.

RELIGIOSVS ANONYMVS.

Iſte quoque interrogatus à confratre, Cur ego aſſiduè iudico fratres, eoſque carpo? reſpondit; *Quia necdum teipſum cognouiſti. Nam ſeipſum qui nouit, fratrum vitia non aſpicit.* ſed potiùs conſiderat,

--- num ſibi quid vitiorum inſeuerit olim.

Natura, aut etiam consuetudo mala: namque
Neglectis vrenda filix innascitur agris.

ANONYMVS FRANCISCANVS.

Cùm esset hic Ecclesiastes summus, rogabatur, cur non eam energiam haberent sermones eius, quam Bernardini religiosi viri, quem ipse tamen eloquio superabat; *Ego,* inquit, *comparari possum carboni calido, sed non ignito: cui si alij carbones apponantur, ignem non concipiunt. At Bernardinus similis carboni ardenti, inflammatus diuino spiritu: cui si applicentur alij, ignem concipient.* In vita S. Bern. apud Sur. tom. 7. pag. 432.

COLLOQVIA.

S. PERMENAS PRESBYTER.

Corrumpunt bonos mores COLLOQVIA praua, habet vulgatũ illud. & verè ita esse, suo dicto confirmauit PERMENAS vir sanctissimus, qui cũ Polycronio Episcopo Babylone martyrium subiit. Comprehensus namque à Decio, cùm is multa Polycronium rogaret, & ille nihil responsi redderet, quæsiuit Imperator, num mutus effectus esset. quod PERMENAS excipiens; *Non est,* ait, *mutus Episcopus, sed tacet, ne impiorum colloquiis inquinetur.* Marul. lib. 5.

S. LVDOVICVS EPISC. TOLOS.

Paris virtutis & animi hic: qui vana hominũ colloquia velut cane & angue peiora fugiebat. Dicebat autem, quod & verè sentiebat: *Grata mihi piorum & bonorum familiaritas: quia ab his eruditio & pietas, non secùs ac ab aromatibus odor.* In vita eiusd. manuscr. Louan. in Biblioth. FF. Minorum.

S. Go-

S. GODOFREDVS EPISC. AMBIAN.

Nec minùs illuſtris iſte, apud quem ea inualuerat conſuetudo, comites itineris vel antecedere, vel remotiùs eos ſubſequi; accedere autem neminem. Rogatus autem cur id ageret; *Ne*, inquiebat, *otioſis ſermonibus detur occaſio.* ſuo exemplo conteſtatus, Deo dicatum, ſacris contemplationibus, non inanibus ſermonibus intentum ſemper animum habere oportere. Sur. tom. 6. in vita.

COMPASSIO.

IESVS CHRISTVS.

MVlta alio in loco à nobis dicta, quæ ad hunc aptè deduci poſſent. pauca tamen in præſenti addemus, ne COMPASSIONIS limites neglexiſſe videamur. Huius autem illuſtre exemplum eſt DOMINVS IESVS, cuius tota vita quid aliud quàm continuata quædam compaſſio, & humanæ infirmitatis condolentia? videbat (vt grauiora ſeponam) turbam copioſam ſe ſequentem triduùm, ſine cibo: & conuocatis diſcipulis, *Miſereor*, aiebat, *turbæ: quia triduo iam perſeuerant mecum, & non habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via: quidam enim eorum de longè venerunt.* Matth. cap. 15. Mar. 8.

Quære ELEEMOSYNA, CLEMENTIA, *&c.*

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Neque ALPHONSVS inter Principes hac laude caruit. Cùm enim Stephanus Neapolitanus, ſumpto nepenthe, cerebro nonnihil læſus eſſet, teneretque opida quædam regia, fuerunt qui Regem ad ea ipſa repetendum incitarent: quibus ille; *Inhumanum videtur iis etiam ſubſtantiam auferre, qui-*

bus sors cerebrum & mentem abstulit. præclarè insinuans, haud esse miseriam miserię superaddendam. Æn. Syl. lib. 4. de Dict. Alph.

ANONYMVS.

Refert de quodam, cuius nomen silet, B. Augustinus: quòd cùm in puteum altum incidisset, eiusque sortem quispiam miseratus, diceret; Quomodo huc miser decidisti? ille facetè respõderit: *Quid rogas, aut refert quomodo inciderim? age, vt me educas.* Ita quosdam videas proximi necessitatibus subleuandis parum attentos, inquirere potiùs quomodo eas habuerint, quàm rationem præbere subsidij vel medelæ.

Vide Apophth. de CHARITATE ERGA HOMINES, *& de* MISERICORDIA.

CONCORDIA.

D. LVDOVICVS REX FRANCORVM.

PErsequamur etiam læto & hilari stilo, egregium humani animi ab odio ad gratiam deflexum. Clarus in eo fuit LVDOVICVS GALL. REX, Diuorũ numero adscriptus: qui non domesticos modò, sed & exteros Principes, inter quos dissidium, ad concordiam reuocare satagebat. Quod cùm improbarent nonnulli, eos grauiter redarguens, *Quid*, inquit, *si externi me vidente, & simulante, armis dissideant: numquid per summã malitiam Regem Francorum id tolerare existimabunt; & in me regnumque aliquam perniciem machinabuntur? Præterea periculum, ne iram Dei in me prouocem, qui summo fauore prosequitur eum, qui dissentientes conciliare nititur.* memor sermonis quem in loco campestri Dominus

coram

coram suis habuit: Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabuntur. Ionuil. in vita eius cap. 89.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Quàm autem vera sit illa Sallustij sententia; Concordia res paruæ crescunt; asseruit suo dicto PETRVS ALDOBRANDINVS: cui in ore aliquando; *Ciuium felicitas non solùm ex concordia nascitur, sed ea etiam quasi quodam pabulo nutritur.* Henricus Farnesius in Apophth. de Principe.

IDEM

Dixisse sæpenumerò commemoratur; *Duo sunt Concordiæ vincula: beneficium & gratia: quorum alterum beneuolentiam connectit accipientium; alterum largientium amorem & studium stabili charitate confirmat.* Ibidem.

ALEXANDER SEVERVS IMP.

Post illos primum locum postulat ALEXANDER SEVERVS: qui vitæ suæ postremum instare terminum cùm aduertisset: filiis ad se vocatis, supremum hoc vale, ac æuiternum monumentum dedit: *In id vnum incumbite, Benè inter vos conueniat: locupletate militem, ceteros contemnite.* Præuidebat prouidus etiam illo instanti Imperator, filios regnandi libidine de successione dimicaturos: & nisi milites pecunia flecterent, penitus interituros esse. Dion. Nic. & Xiphil. in vita eiusd.

IOVIANVS IMPERATOR.

Quid ille? Rogatus aliquando responsum daret Macedonibus supplicantibus; *Odi*, respondebat, *omne contentionis genus: concordiam autem vnicè amplector & amo.* Verum esse illud Horatij testatus;

Felices ter, & ampliùs,
Quos irrupta tenet copula: nec malis

 Diuul-

Diuulsus querimoniis,
Suprema citiùs ſoluet amor die.
Niceph. Call. lib. 10. cap. 40 hiſt. Eccleſ.

CONSTANTINVS MAGNVS

Meritò in hunc Illuſtrium numerum referendus. Cui cùm in Nicæna Synodo varij ſupplicantium libelli, quibus mutuæ querimoniæ exprimebantur, traderentur; omnibus ad concordiam excitatis, vniuerſos dilacerabat, dicens: *Mei muneris non eſt talibus in cauſis iudicem agere, aut proferre ſententiam.* Sozom. lib. 1. cap. 16.

ALPHONSVS REX ARAG.

Verus Concordiæ patronus perſæpè dicebat: *Si Romanorum temporibus vixiſſem, etiam templum Ioui Poſitorio conſtruxiſſem.* Rogantique cauſam, *Vt ita*, inquiebat, *de rebus acturi, in eo primùm conuenirent, & contentionem omnem deponerent.* Significabat autem nihil Reipub. pernicioſius, quàm ſi cum Patribus plebs contentiones miſceat. Panorm. lib. 3. de Geſtis eiuſdem.

COMES PALATINVS

Rogatus, quod eſſet potiſſimum Concordię vinculum; *Religionis*, aiebat, *ſimilitudo, & de diuinis cultibus conſenſio.* Peucerus.

CONFESSIO PECCATORVM.

IESVS CHRISTVS.

CONFESSIONIS, quę animarum ſalus, vitiorum diſſipatrix, oppugnatrix dæmonum ab Auguſtino non immeritò appellatur, vtilitatem ac ineffabilem neceſſitatem proſequamur, quam vti DOMINVS,

MINVS ac SALVATOR noster Sacramentorum nouę Legis auctor instituit: ita etiam pluribus locis commendauit. & Petro siquidem, post insignem illam confessionem: *Tibi*, inquit, *dabo claues regni cælorum, & quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcumque solueris super terram, erit solutum & in cælis.* Quid enim per claues, nisi scientia discernendi inter lepram & lepram insinuatur? Quid per ligare & soluere, nisi sententiæ, post causæ cognitionem, prolatio? Hoc ipsum & alio loco verbisque post resurrectionem, in discipulos insufflans, dixit: *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt.* Matth. cap. 16. & Ioan. 20.

S. ANTONIVS.

Eamdem confessionis necessitatem, atque vtilitatem, confirmauit iste. *Magnam enim esse*, dicebat, *ad virtutem viam; si singuli vel obseruarent quod gererent, vel vniuersas mentis cogitationes fratribus referrent.* Videbat certè ægrè peccatum cõmitti, quod alij debet manifestari, & quasi cum pudore proferri. Athan. in vita eiusd.

D. LVDOVICVS FRANC. R.

Et hic in id vnum incumbebat potissimùm, vt filium natu maximum, hac Confessionis virtute imbueret. Cui etiam moriturus, inter cetera salutis monita dicebat: *Elige tibi Confessorem, & idoneum, & probum: qui sapienter quid agere, quid fugere debeas, edoceat.* O nimis disparẽ huius Principis à nostri ęui plerisq; Magnatibus animũ! Ionuil. in vit.

CLAVDIVS VIEXEMONTIVS.

Vide IOCOSE DICTA.

CHRISTOPHORVS ARCIS DIENSIS PRÆFECTVS.

Require Apoph. de SALVTE EIVSQ. CVRA.

CONFESSIO FIDEI.

IESVS CHRISTVS, & PATER LVNATICI IN EVANGELIO.

POst peccatorum confeſſionem, eam quæ fidei eſt, conuenienter ſubdimus, ſine qua prior illa nihili facienda; magni verò, ſi coniunctam eam habeat, æſtimanda. LVNATICI PATER, (cuius meminit Euangelium) rogatus à DOMINO, *Si potes credere, omnia poſſibilia ſunt credenti.* continuò exclamans, motus commiſeratione erga filium, cum lachrymis proteſtabatur: *Credo Domine: adiuua incredulitatem meam.* Et ita, vt habet Aug. Conc.7. in Pſ. 118. incredulitatem ſuã adhuc inhærentem, inuitò confitebatur: neque tamen fidem diffitebatur. & hinc filio ſanitatem impetrauit. Mar. cap. 9.

S. PETRVS & IOANNES.

Vide PRÆDICATIO VERBI DEI.

BENIAMIN DIACONVS.

Vide CASTIGATIO MODESTA.

S. TIBVRTIVS MARTYR.

Sed & hunc meritò celebrauerim. Qui à Fabiano Præfecto compulſus, prunis ante ſe poſitis thura Diis ponere, aut eaſdem diſcalceatis plantis calcare; facto crucis ſignaculo, ſuper eas ingreditur, dicens: *Depone infidelitatem Fabiane; diſce ſolum Deum, quẽ confitemur, dominari creaturis. Tu tãtum præſta in nomine tui Iouis; &, ſi poteſt, faciat te non ſen-*

ſentire dolorem. Sur. tom. 1. in vita S. Sebaſtiani.

CLERICVS ANONYMVS.

Longum foret enarrare quàm fortiter viri ſancti hac Confeſſionis virtute vſi. quare pluribus aliis, alium in locum relegatis, quid de CLERICO quodam commemoret Gregor. Turon. videamus. Ab Arrianis cuſtodiæ traditus, cùm Perſonarum trinitatem in naturæ diuinæ vnitate multis rationibus adſtrueret; nec minis, nec muneribus, ſententiam mutaret, induci poterat: tandem in equuleum ſublatus, dum rogaretur, Quid credis? nihil aliud reſpondebat, quàm, *Credo in Deum Patrem, & in Jeſum Chriſtum, Filium eius vnigenitum, atque in Spiritum ſanctum, ex vtroque procedentem.* Greg. Turon. de Glor. Mart. lib. 1. cap. 82.

Vide Apophth. de FIDE *&* FIDELITATE.

ACHEMENIDES.

Inuitant me etiam, & excitant quæ ſequuntur. ACHEMENIDEM referam, qui à Tarane Perſarum rege, quòd fidei ſemina in Perſide ſparſiſſet, accuſatus; *Vniuerſitatis*, aiebat, *Deum nequaquam abiuro, vt tibi amicitia iungar. Maius crimen, diuinam, quàm regiam lædere maieſtatem.* Niceph. lib. 14. Hiſt. cap. 20.

IDEM

Illic honoris & amicitiæ regiæ, hîc munerum contemptor. Sumptuoſis namque veſtimentis à præfato Tarane donatus, poſtquam id factum ſenſit, vt ita lentis beneficiis à propoſito dimoueretur; excandeſcens, conciſſas eas à ſe reiecit, dixitque: *Si eius gratia me Religionem longè optimam mutaturum putas, en munus tuum, vnà cum impietate, habe.* Ibidem.

CANVTVS ANGLORVM REX.

Addamus & hunc, cui præclarum huius rei testimonium præbent Annales. Cùm à coruis aulicis (Assentatores appello) circumuentus, omnia ad nutum eius vultumque conuerti iactitarent: ille, iis inspectantibus, sedem regiam in maris litore poni curat. cui insidens, *Tu mare*, inquit, *ditionis meæ es, & terra in qua sedeo, est mea: tibi impero, ne in terram meam ascendas*: (iam enim erat maris accessus) *nec membra domini tui madore perfundas*. Dixerat. Seruat suum fluxum mare, & immenso imbre domini sui sinum perfundit. Tum ille: *En, quàm ego omnibus imperito? Quin sciant omnes qui terram incolunt, vanam & falsam esse regum potentiam; atque vnum eo nomine dignum, qui verè imperium inhibet cælo, terræ, mari.* ac diademate Cruci imposito, deinceps pietatis & modestiæ cultor exstitit. Ita

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Iouis.

Saxo Grammat.

Vide Apophth. de CHRISTI CONFESSIONE, *&* NOMINE. *Item de* IDOLORVM VANITATE, *&c.*

CONIVGIVM.

IOANNIS BRITANNIÆ DVCIS F.

DE CONIVGIO dicturis, primùm se exhibet IOANNIS BRITANNIÆ DVCIS FILIVS, quem cùm pater in matrimonium tradere destinasset Isabellæ Scotorum Regis filiæ; rogat, qualis futura sibi vxor esset. Cui pater: Prudens est admodum, & decenti corporis forma: quæ, vt nostri sanguinis generisq; fiat particeps, digna est; verùm omni eloquen-

quendi venere caret. *Talem*, inquit filius, *optaui ſemper: nam ſatis multum prudentiæ mulieri ineſſe exiſtimauerim, ſi norit dignoſcere inter thoracem & induſium mariti ſui.* quaſi dicat: Quę nouit ſe moribus mariti accommodare, & malos diſſimulare, bonos imitari. Corozetus de Dict. Fact. memor.

THOMAS MORVS.

Hic duas vxores ſucceſſiuè habuit, & vtramque admodum paruæ ſtaturę. Rogatus, cur tam exiguas duceret; illud Democriti reſpondit: *Quia ex duobus malis, minus putaui eligendum.* Tho. Staplut. in vita eiuſd. cap. 13.

EVGENIA PHILIPPI FILIA.

Vide VIR BONVS.

Vide etiam plura in Apophth. de MATRIMONIO, MARITO, & VXORE.

CONSCIENTIA BONA.

S. TIBVRTIVS MARTYR.

BONA CONSCIENTIA, quæ velut ſuaue nepenthes, omnem vitæ mœrorem ac ſolicitudinem repellit, & iuge conuiuiū in Prouerbiis nuncupat Salomon, paucis illuſtranda. Veniat in medium TIBVRTIVS: qui dum Fabiani tyranni iuſſione, ociùs Chriſti fidē negare variis tormētis propoſitis compelleretur, immota & inconcuſſa mente, in generoſam hanc vocē erumpens, *Decerne*, reſpondit, *quod lubet. Omnis nobis vilis eſt pœna, vbi pura eſt comes conſcientia.* Sentiebat autem cum Apoſtolo, gloriam noſtram eſſe, conſcientiæ propriæ teſtimonium. Sur. tom. 1. in vit. S. Sebaſt.

S. HILA-

S. HILARION.

Quin & de S. HILARIONE teſtatur B. Hieronymus : quòd, cùm iam morti proximus,& modicus calor in corpore teperet, nec quidquam viui hominis, præter ſenſum, ſupereſſet, apertis oculis loqueretur : *Egredere, quid times ? egredere anima mea, quid dubitas? Septuaginta propè annis ſeruiuiſti Chriſto, & mortem times?* Verè libenter ille moritur : & venientem (vt Chriſtianè loquitur Seneca) nemo hilaris mortem excipit,niſi qui ad illam ſe diu compoſuerit. puta, cui conſcientia mentem explet dulcedine & pace. Hieron. in vita.

LVPVS SENONVM EPISC.

Quis autem de LVPO Senonum Epiſcopo non malè opinetur,qui eum prçceſſoris ſui filiam tenerrimè diligere conſpexiſſet? tamen ipſe ſe taxari intelligens, eam in publico eſt amplexatus, dicens: *Non offendunt obloquentium verba, quem propria non inquinat conſcientia.* Quæ res illo æuo fortaſſis tolerata: hoc verò, non ſine graui ſcandalo tentanda. Marul. lib. 5.

ANONYMVS.

Illuſtre & illius reſponſum,cuius nomen ſilentij ſigillo obſeratum. Rogatus enim, quid nos potiſſimùm delectare ſoleat; *Conſcientia*, aiebat, *pura, & ſpes bona.* Vnde non ſine cauſa dictum à Sapiente : Læti cordis os floreſcit. Anton. Serm. de puro corde.

SEBASTIANVS LONDINENS. LVDIMAG.

Noſtri æui eſt, quod addam. Exhibuerat SEBASTIANVS Scholę Londinenſis rector, inſpectante Elizabetha Anglię regina,Comœdiam miro cum plauſu : & mercedem petere iuſſus quam vellet,

Con-

Conſcientiæ, aiebat, *libertate donari velim, quò Catholicam vitam impunè viuere valeam.* Veram quippe libertatem cum Periandro exiſtimabat, Rectam conſcientiam. Benè & doctè Ouid. in Faſtis:

Conſcia mens vt cuique ſua eſt; ita concipit intra
Pectora, pro facto ſpemq; metumque ſuo.

Raſtell.

Vide Apophth. de INNOCENTIA.

CONSCIENTIA MALA.

IVDAS ISCARIOTES.

AT numquam ſecurus eſt reus animus: mala enim mens propriis cõſcientię ſtimulis agitatur: quibus etiam Regius vates ſauciatus, clamabat; Peccatũ meum contra me eſt ſemper. Eadẽ lue infectus IVDAS proditor, videns Ieſum Iudæorũ ſententia damnatũ, aliquo tactus dolore, peccati conſcientia ſtimulante, referens triginta argenteos, iam ad deſperationem ductus; *Peccaui*, inquiebat, *tradens ſanguinem iuſtum.* Cui illi reſpondentes, dicũt: Quid ad nos? tu videris. Inſinuabant cuiuſque teſtimonium eſſe propriam conſcientiam: & quæ ex eâ & ab eâ procedunt. Ac quemlibet noſtrûm

Nocte dieq; ſuum geſtare in pectore teſtem.

Matth. cap. 26.

VOLSÆVS EPISCOPVS.

Fuerat hic inter primos Henrico VIII. Angliæ Regi auctor, quòd Catharinam Aragoniam repudiaret. At vt impiorum conſilia rarò ſtabilem ſortiuntur finem; non diu pòſt, dum velut reus læſæ maieſtatis Londinum ſupplicio afficiendus perduceretur; furiis conſcientiæ inquinatæ agitatus, *Vtinam,*

nam, ingemebat quasi desperabundus, *nihilo magis diuinæ maiestatis læsæ reus fuissem! Nunc autem, cùm nihil prius habuerim, quàm eâ relictâ Regi inseruire; & in Deum peccaui, & in Regem.* Haud malè in Epigrammate suo Pictorius:

Istud habet damni vitium inter cetera: quòd mens
Palpitat assiduo flagitiosa metu.

N. Sander. de Schism. Anglic. lib. 1.

CONSILIVM ET CONSILIARII.

FREDERICVS CÆSAR.

CONSILIVM omne, à quocumque proficiscatur, à Deo esse, auctor est B. Augustinus: vnde & Consiliarios ipsos præstantiores esse cōuenit, ac vita & moribus superiores. Quis enim in cœno fontem requirat? quis de turbida lympha potum petat? Considerabat id FREDERICVS, qui aliquando pro concione Consiliariis suis dicebat: *Vtinam consiliarij mei in palatij vestibulo duas res deponerent! sic enim & ipsi recta consulerent, & mihi etiam de consiliis eorum iudicare esset facillimum.* Interrogantibus autem quænam illæ res essent? *Simulatio*, aiebat, *& dissimulatio.* Docebat autem, Consiliariorum priuatos affectus sæpè obstaculo esse, quo minùs rei, bonoque publico Principes rectè consulerent. Æn. Syl. lib. 3. Comm. de Reb. Alphonsi.

IDEM

Ladislaum Hungariæ Regem, adhuc puerum, apud se educabat: neque deerant qui eum clàm perdendum suaderent: per cuius mortem vtpotè summam rerum obtineret. Verùm pius & prudens Imperator, *Cur me*, inquit, *diuitē potiùs, quàm pium desidera-*

sideratis? Ego sanè diuitias non ita amo, vt iis tam impium facinus, improbis vestris consiliis persuasus, attentem. Et hic iterùm suo exemplo docuit, consilia impia, eorumque auctores è Principum pectoribus aulisque extirpandos. Supra me esse debet, inquit Augustinus, cui me committere paro. Ibidem.

ALPHONSVS REX.

Rursus se hîc inserit ALPHONSVS, verè magna huius operis pars. Hunc, cùm senex naturâ & ætate audacior argueret, quòd contra Patrum decreta bellum capesseret, dixit: *Regum consiliarij instar regum esse, regumque animos habere oportet.* Plura tamen aliquando consiliariis priuatisque conueniunt quàm Regibus. Ita Parmenioni pecuniam cudere licuit, Alexandro non licuit. Panor. lib. 1. de Gest. Alphon. & Æn. Syl. de eiusd. Dictis.

IDEM

Sciscitanti, quos Consiliarios maximi faceret; *Libros*, respondit: *quia ab his sine metu, sine gratia, quæ nosse cupio, fideliter audio.* Panorm. lib. 3. de Gestis Alphonsi.

IDEM

Reges ab aliis regi, ducesque ab aliis duci, perabsurdum esse dicebat. Notabat autem eos, qui, cùm splendidis titulis Regni Imperiique gaudeant, suorum tamen Consiliariorum velut mãcipia existant. Panorm. lib. 2.

HENRICVS VIII. ANG. REX.

Vide DOCTRINA IN PRETIO HABITA.

CAROLVS VIII. FRANC. R.

Ante illum CAROLVS VIII. Rex Christianissimus, monitus à Legato Aquitaniæ, ne Anglorum consi-

consilio auxilioque vteretur, sibi satis esse virium bello suscitando: ad quemdam ex adstantibus conuersus, *Vides*, inquit, *sollicitantem eum, vt bellum moueam, quod ex vsu Galliæ futurũ dicit. an & tibi idem visum?* quo dissentiente; REX, *Sum*, inquit, *Galliæ studiosior, quàm hic orator existimat. Cùm enim vnus modò sit in Gallia Rex, vellem eam à senis Regibus gubernari.* Prudentis est omnia priùs experiri consilio, quàm armis. Phil. Comin. lib. 4. de Reb. Galliæ.

ALPHONSVS ARAG.

Eiusdem etiam mentis ALPHONSVS, quem paulò antè nominauimus. Qui, Cathalanis suadentibus, vt sibi adhuc ætate rerumque vsu immaturo, septem viros prudentia doctrinaq; insignes adiungeret, quorum consilio fretus, sua omnia dirigeret; laudauit consilium, adiecitque: *Si horum septem, vel vnum tantùm dederitis, continuò illi regnum & regimen cessero.* insinuans, raras aues in terris esse bonos Regum consiliarios: at plerosque ex eorum genere, de quibus Iuuen.

Defossa in loculis quos sportula fecit amicos.

Panorm. lib. 2. de Gest. eiusd.

CAROLVS V. IMP.

Require suprà, COGITATIO, CONTEMPLATIO, *&c. item* GVBERNARE.

CONSOLATIO.

IESVS CHRISTVS.

RAtionem in consolando valere plurimùm, auctor est Cicero: ideoque Christiana solatia, quia in ratione fundata, solida sunt & efficacia.

Quis

Quis enim tales eas fuisse negabit, quas DOMINVS NOSTER pluries benignè est elargitus? vt autē Cananæam, Magdalenam, & alios innumerabiles trāseam, cùm discipulis & Apostolis suū ex hoc mundo ad Patrem transitum insinuasset, vt mœstis medelam consolationis adferret: *Si*, inquit, *abiero, mittam Paracletum ad vos.* & infrà; *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Docet autem rebus afflictis nihil diuino solatio efficacius. Ioan. cap. 16.

S. PAVLVS APOSTOLVS.

Ille etiam veræ consolationis dulcedine perfusus, volens eam participare iis, qui secum in naui erant graui periculo expositi, aiebat: *Adstitit mihi hac nocte Angelus Dei, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet assistere: & ecce donauit tibi Deus omnes qui nauigant tecum.* Act. cap. 27.

S. PAVLA ROMANA.

Meritò hæc Paulo supponitur, quam in rebus anxiis hilari animo decātasse accepimus illud Psalmistæ: *Quare tristis es anima mea, quare conturbas me? Spera in Deo.* Hieron. in Epitaph.

S. LYDWINA.

Certet etiam cum hac LYDWINA, patria Bataua: quæ tanto consolationum recreabatur cumulo, vt earum pondere se opprimendam diceret, nisi aliquando etiam à Domino humiliaretur. *Bona*, inquiebat, *est consolatio, quam non tumor inflat: sed timor consolidat.* In vita eius apud Ioan. Brugman.

S. SABINA.

Eiusdem & sexus & fortitudinis illa. cui cùm nefarij homines minarentur, ni Diis sacrificaret, in

proſtibulum coniiciendam: pręſenti ſe recreans ſolatio, *Sancto*, inquiebat, *Deo id curæ erit.* Sur. tom. 1. in vita Pionij.

PRINCEPS SARACENVS ANONYMVS.

Huius autem egregium & memorabile dictum, ad calcem, licet extra præſcriptum virorũ ordinem, adiicimus. Hic quandoque ad captiuos in Ægypto Franciæ proceres acceſſit, rogans, vtrùm & illi in Deum crederent ex Virgine natum, cruci affixum, mortuum? &c. quibus affirmantibus, *Mactè igitur animo*, inquit, *parum adhuc id erit, tantillum pro eo ſuſtinuiſſe, qui pro vobis ad mortem vſque decertauit. Qui ſi tantæ fuit poteſtatis, quòd ſeipſum è ſepulchro ſuſcitauit, breui vobis ſperanda ex his calamitatibus liberatio.* Seriam veramque conſolationem fuiſſe, probauit ſecuta libertas. Ionuil. in vita D. Ludouici, cap. 42.

THOMAS MORVS.

Huius admirandam omnium rerum virtutem multa loquuntur. Quid illuſtrius, quàm quòd carceri mancipatus, nullum dolori locum daret? & qui ad ſe excitandum accurrerent, ipſe nouo quaſi ſolamine recrearet? *Mundus*, aiebat, *carcer eſt, ex quo ad cauſam dicendam ſuis ſinguli diebus euocantur. Quòd autem meus carcer aliorum Principum carcere ſit minor, beneficij loco habeo: cùm è malis minimum ſit eligendum.* N. Sanderus de Schiſm. Anglic. lib. 1.

Vide Apophth. de FIDVCIA IN DEVM.
Item,
RES ADVERSÆ.

CON-

CONSORTIVM, CONVERSATIO.

S. PETRVS APOSTOLVS.

QVi cum ſapientibus graditur, inquit Prou. cap. 13. Salomon, ſapiens erit. Vnde APOSTOLORVM PRINCEPS, cùm multi diſcipulorum Ieſu retrò abirent, & non iam cũ eo ambularent; rogatus à Domino, Numquid & vos vultis abire? aliorum nomine reſpondebat: *Domine quò ibimus? verba vitæ æternæ habes. & nos credimus & cognouimus, quia tu es Chriſtus Filius Dei.* declarans ſuo dicto extra Chriſti conſortium nuſquam fidelibus tutum eſſe refugium. Ioan. cap. 6.

S. IOAN. APOSTOLVS.

Si quantum mali ex ſordidâ conuerſatione emergat cognoſcere velimus, quantumque boni honeſtorum ac bonorum conuictus reportet, indagare; intueamur IOANNEM APOSTOLVM. Hic enim lauandi gratia balneum ingreſſus, cùm ibidem vidiſſet Cerinthum hæreſiarcham, continuò exſiliens, illotus receſſit, dicens: *Fugiamus hinc, ne & ipſa balnea corruant, in quibus veritatis hoſtis Cerinthus lauatur.* Docebat impiorum (quorum numero adſcribendus Cerinthus) conſortia vbique locorum deuitanda. Euſeb. lib. 3. hiſt. Eccleſ. cap. 22. Iren. lib. 5. cap. 3.

ARSENIVS ABBAS.

Hic etiam omnium omnino conuerſationem commerciumque fugiebat. Rogatus autem, cur ita ſolus viueret, cùm multis ipſe prodeſſe poſſet, tum ſermone, tum vitæ exemplo; *Non poſſum*, inquiebat, *diuidere me Deo & hominibus, vt vtriſque complaceam.* Sur. in vita eius, tom. 1.

S. HVBERTVS.

Aliter ille. cùm aliquando martyrij desiderio flagraret, ac meminisset necis B. Lamberti, sui quondam collegæ; inter pias lachrymarum exuberationes conquerebatur, *O infelicem me, cui tanta peccatorum congeries, vt viri tanti martyrium subeuntis consortio indignus sim.* Ita nimirum se imperfectionis arguebat, vt quò esset perfectior, eò magis sibimet videretur exiguus. Sur.tom.6. in vita.

S. LAVRENTIVS MARTYR.

Meritò inter alios celebrandus LAVRENTIVS, qui Sixtum Episcopum ad martyrij palmam properantem conspicatus, hac voce in publico aggreditur. *Quò progrederis sine filio pater, quò Sacerdos sine Diacono properas? vide an idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis dispensationem? & mihi iam tui sanguinis consortium negas?* Ardebat videlicet illi in morte coniungi, cui dum viueret, sæpiùs per ministerium & animi vnionem fuerat coniunctus. In vita eiusd. apud Sur. & Sulpit.

INNOCENT. VI. PONT.

Ille, vt ceteris adiiciatur, domi habere noluit nisi viros probatos; idemque facerent Cardinales, monuit. dicebat autem: *Nostra & omnium Ecclesiasticorum vita, ceteris exemplo esse debet ad imitationem Saluatoris nostri, cuius tota vita ad humani generis imitationem respiciebat.* Platina in vita.

Vide SOLITVDO.

CON-

CONSTANTIA RELIGIOSA ET PIA.

S. PETRVS APOSTOLVS.

SEquitur RELIGIOSA ET PIA Christianorum CONSTANTIA, quæ in Sanctis vtriusque sexus emicuit. Nullâ certè re, nostra hæc Religio magis abundat, magis se commendat, & adfirmat. Pauca itaque in historiis sparsa collegimus,& in iis petram Ecclesiæ PETRVM: qui velut ceterorum caput & ductor, Christo de passione multa dicente, cùm audiuisset omnes in eo scandalizandos, *Etsi*, ait, *omnes scandalizati fuerint, sed non ego.* Qui etiam cùm Christus respondisset, Quia tu hodie in nocte hac,priusquam gallus vocem dederit, ter me es negaturus: amplius loquebatur; *Et si oportuerit me commori tibi, non te negabo.* Quod licet ex præsumptione dictum fuisse videatur, habet tamen aliquid religiosæ Constantiæ admixtum: vtpotè cùm illa assertio non nisi ex vehementi in Dominum adfectu processerit. Matth. cap. 26. Luc. 22.

PACOMIVS ABBAS.

Quid de illo dicam? cui id vnum curæ semper fuisse commemorant, iuniores ad piam hanc & religiosam Constantiam adhortari. Ita enim dicebat: *Frustrà ad salutis brauium currimus, nisi curramus sic vt comprehendamus. Frustrà cum hoste confligimus, nisi certemus vt vincamus.* Marul. lib. 5. cap. 8. Metaphrast. & alij.

THEODORVS MONACHVS.

Hic Pacomij discipulus, professionis suæ initio, multùm à matre solicitatus, ad sæculum rediret,

numquam assensum prębuit. cùm autem litteras al. Antistite loci attulisset, quibus libera ei fieret recedendi facultas, Christum præferens, regredi noluit; *Ne*, inquiens, *scandalizantem oculum à me proiectum, iteratò requirere videar.* & ita esse maluit Dei filius, qui matris esse recusauit. Marul. lib. 5, cap. 8. in vitis P P.

EREMITA ANONYMVS.

Refert Cassianus EREMI CVLTOREM vsque adeò vitæ solitariæ flagrasse desiderio, vt dum fasciculum litterarum è patria accepisset, ne aperire quidem illum dignatus sit, sed in ignem coniecerit, hoc dicto: *Ite cogitationes patriæ, pariter concremamini: nec me vlterius, ad ea quæ fugi, reuocare tentetis.* Cassian. Monast. instit. lib. 5. cap. 32.

DIDACVS ANDRADAS SOC. IESV.

Non immeritò illum celebramus, quem etiam hæc virtus extulit. Erat enim P. Ignatio subcenturiatus: cumque pugionibus confossus in pelagus præcipitaretur, socios ad pugnam spiritualem cohortatus, *Pugnemus*, aiebat, *socij fortiter, sanguinis prodigi: Christi enim sanguine redempti sumus.* Quid hîc priùs mirabimur, an admirabilem niuei pectoris constantiam, an verò religiosam illam in Dominum suum Christum fiduciam? In vita F. Borgiæ, lib. 3. cap. x.

Vide in Apophth. de ANIMI FORTITVDINE, MARTYRIO, *item* FIDVCIA IN DEVM, *&c.*

CONSVETVDO.

S. BERNARDVS ET ANONYMVS.

CONSVETVDO, quæ quasi secunda, & (vt cum Augustino loquar) affabricata natura dicitur, paucis

paucis perstringenda. eam enim vincere, dura est pugna; vicisse, maxima victoria. Certè D. BERNARDVS, cùm in Franciæ finibus agens, nobilem offendisset in tantum luxuriæ vitio deditũ, vt quolibet die eodem se inquinaret; eum seuera oratione, at nihil proficiente admonuit. Qui dum se abstinere nullo modo posse assereret, *Quæso*, inquiebat BERNARDVS, *saltem aliquales cum Deo inducias facito, vt minùs ad triduum.* Annuit ille: & ecce triduo expleto, *Nunc in honorem Deiparæ*, inquit vir sanctus, *tantumdem præsta.* paret: tum tertiò BERNARDVS, *Semel adhuc has inducias posco in honorem omnium Sanctorum.* & ille rursus eas paciscitur: donec sponte BERNARDO se insinuans, diceret: *Nolim ampliùs diurnas, sed perennes cum Deo inire inducias.* Tantum prodest inueteratam peccandi libidinem contraria assuefactione sensim eradicare. In vita D. Bernardi, & 7. part. spec. Spirit. cap. de consuetud.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS.

Quanta verò innatæ iam consuetudinis vis sit & vsus, suo dicto asseruisse Ecclesiæ Doctorẽ CHRYSOSTOMVM, auctores sunt Ant. & Max. Serm. de consuetud. dicebat autem: *Nihil tam firmum est in rebus humanis, quàm veteris consuetudinis tyrannis.* Hinc verè Ethnici alteram naturam dixêre consuetudinem, eiusque imperium grauissimum. nam vt rectè Iuuen.

——— *Laqueo tenet ambitiosi*
Consuetudo mali. ———

LVDOVICVS PALATINVS COMES.

Præclarus ille vir, iure inter præclaros Ciuilis ordinis, à nobis solus recensebitur. Cùm enim quid-

nam eligendum optandumque altercarentur nonnulli: interrupto sermone, *Eligenda est*, ait, *optima vitæ ratio, quam consuetudo reddet suauissimam*. Meminerat illius Stagiritæ: Multa quæ natura sua non sunt delectabilia, cùm fuerint assuetudine superata, tandem fiunt delectabilia. Timoth. Berck. in Orat. Fun. Ludouici.

ANONYMVS.

Ille autem interroganti, quidnam homini inter cetera esset suauissimum; *Id*, ait, *quod tota vita consueuit*. Quare Orosius de Ormesta lib. 1. præclarè sentit: Dum, inquit, perpetuò in vita sua trãquillitatum & deliciarum sereno assuefacti sunt, ad omne vel modicum obductę solicitudinis nubilum commouentur. Polyanthea.

CONTVMELIA.

FREDERICVS III. IMP.

SIcuti nec ob calorem Ægyptum, neque Scythiam ob frigora, fulmen sentire ferunt: ita è conuerso, nec summa potentia, neque extrema fortunæ humilitas, à CONTVMELIA hominem tutum reddit. quod eleganti dicto, felix aliàs in eiusmodi, illustrauit IMPERATOR FREDERICVS. Ille etenim Romã profecturus, cùm vidisset Cosmæ Medices opes maximas, dixisse fertur: *O quæ conuitia contumeliasque perpessus, antequam hoc modo locupletatus est*. Innuens, eos qui ex humili emergunt, multorum odiis exponi: dum ea insita sit mortalibus natura, recentem aliorum felicitatem ægris oculis intueri. Æn. Syl. de Dict. Alphonsi.

AQVITANVS ANONYMVS

Percontanti Carolo VII. Franc. Regi, qua tandem ratione fidem sibi tot præclaris rebus perspectam falleret; *Non tuo*, aiebat, *Here regno, non orbis imperio adduci possem, non omnium thesauris: contumelia tamen, & stomachosa iniuria possim.* Quod verè est contra illud vulgatum: Cadentem in virum bonum, non hærere contumeliam. Æmil. in vit. Lud. 12. Gall. reg.

CONVITIA ÆQVO ANIMO PERPESSA.

FREDERICVS III. IMPERATOR.

Huiusce rei exempla suppeditant S. Litteræ, & SS. vitæ. vtpotè quibus nihil magis in voto, quàm pro nomine Iesu contumelias conuitiaque perpeti. Sed neque Ciuile agmen suis hîc caret. Antesignanum agat proximè nominatus FREDERICVS: qui, dum multa in eum maledicta iactassent homines improbi, ad Proceres conuersus, *An nescitis*, inquit, *Principes quasi signum ad sagittas expositos? turres enim prœaltas fulgura feriunt, humilia tecta prœtereunt.* Appositè Seneca in Epist. Malis displicere laudari est, nec vllam auctoritatem habet, vbi qui damnatus est, damnat. Æn. Syl. lib. 1. com. De reb. Alphon.

ALPHONSVS REX ARAG.

Proximos illi honores occupet ALPHONSVS. audierat namque quosdã de se benè meritos, linguam à conuitiis non temperare: *Regum*, inquiebat, quod olim Alexander, *est, non solùm benè facere: sed mala etiam patienter audire.* Panor. lib. 1. De eius gest.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Nec minor illo LVDOVICVS, qui Carolo octauo superstite adhuc, multis & grauibus lacessitus contumeliis, eo vita functo, cùm in regni hereditatem successisset, & calumniatores sibi fuga consulerent, absentes suaptè sponte reuocauit, dicens: *Priuati personam exui. Rex quippe constitutus, hæcce conuitia neque curo, neque vlciscor.* Annal. Franc.

Vide Apophth. de PATIENTIA, MANSVETVDINE, *&c.*

CONVITIA IN AVCTOREM RETORTA.

IESVS CHRISTVS.

VEluti in maledicendo promptissimi sunt nonnulli, ita non minùs ingeniosi alij, vt maledicta in auctoris sui caput retorqueant; mira aliquando cum elegantiâ & lepôre. Calumniabantur IESVM Pharisæi, quòd in Beelzebub dæmoniorum principe eiiceret dæmonia. at ille; *Filij vestri in quo eiiciunt?* & paulò pòst: *Ipsi iudices vestri erunt. Omne regnum in se diuisum desolabitur*, &c. Matth. cap. 12.

INARIVS EPISCOPVS.

Vide CÆCITAS.

VITELLIVS CORNETANVS CARD.

Nuntiauerat illi Alphonsus, se Marte iudice eum arma indecenter tractantem, eò inopiæ redacturum, vt tamquam infimi ordinis sacrificulus, missarum solênia etiam denario peracturus sit. cui ipse; *Non abnuo*, aiebat, *conditionem, vt magni Regis Sacella-*

cellanus efficiar. Regis nuntium quod ſerium videbatur, eludens. Iouius lib. I. Elog.

RICHARDVS VITVS.

Admodum facetè ille: non minùs ingenioſè hic. Diſputabat enim cum homine nefario Anglocaluiniſta, potentiore ad bibendum quàm diſſerendum, de clauibus Eccleſiæ. cumque ſibi eas datas conſtanter ille & pertinaciter aſſereret; *Credo*, reſpondit VITVS, *tibi perinde ac Petro eas eſſe datas: verùm hoc diſcrimine, quòd huic regni cæleſtis, tibi verò cereuiſiariæ cellæ. hoc enim rubicundum tui naſi promontorium indicat.* Ex Martyr. Angl.

THOMAS BIRACVS.

Neque inferiores hoc in titulo alij. Conuocarat aliquando Patriarcha Hieroſolymitanus ad certam cauſam diſcutiendam plures aduocatos. cumque vnum ex illis acriùs caſtigaſſet, THOMAS BIRACVS præ ceteris liberiùs in eum erupit: cui Patriarcha, Vt video, ait, malum caput habes. At ille vt erat promptus, *Verè*, inquit, *& benè: nam ſi bonum caput haberem, meliori loco res noſtræ eſſent.* Te igitur culpas? infert Patriarcha. *Non me*, reſpondit THOMAS, *ſed caput incuſo.* ipſum ſcilicet Patriarcham, qui reliquis præerat, incuſabat. Pogg. Florent.

SFORTIA COTIGNOLA.

Ei quoque dum à Sergiano magno Seneſchalco ad exprobrandam generis nouitatem ligonis fabula obiectaretur, *In hac*, inquit, *vt video ſtirpis origine conuenimus, cùm Adamus mortalium primus terram foderit: ſed ego certè quod iure diffiteri non potes, illo meo ligone multò euaſi nobilior, quàm tu tuo pene & penna.* Quo ſcommate lepidè hominē tranſfixit.

cùm

cùm in eo tanta cum inuidia dignitatem, stuproque sitam, & patrem eius ad Prętoris tribunal ignobilem scribam, adulteratoq; testamento falsi damnatum, scitissimè notasset. Paul. Iouius in vit. Iac. Mutij, cap. 84.

HOSPES ILLYRICVS ET VANDALVS.

Ebrius occlusas pulsabat VANDALVS *ædes,*
In quibus ILLYRICI *sanguinis hospes erat.*
Impatiensque moræ, cùm nigrâ bile tumeret,
Hospite confestim non referante domum:
Ecce quid Illyricum, *clamabat,* & inter asellum
Quo pecus est nullum turpius, esse rear?
Ille refert contrà: Dubius quid talia quæris?
Anne vides quòd sint inter vtrumque fores?
Ex relatis Auctori.

QVERALDVS LEGATVS REG. ARRAG.

Ad Africæ Regem missus Legatus, nobili cœna apud eum excipitur. Aduocantur etiam procerum nonnulli, quibus Rex mandat, clàm ossa derosa colligant, & ad QVERALDI pedes proiiciant. Postquam epulis exempta fames, mensæque remotæ; apparet ossium cumulus. tum quispiam à Rege subornatus, Quid hîc, inquit, ossium est? profectò lupus hîc cœnauit, non homo. Cui QVERALDVS Regem intuitus, *Mihíne,* inquit, *ô Rex cum lupis fuit negotium? Luporum enim carnem & ossa simul arrodere: quod tui isti commessatores fecêre. ego vt homo, carnem sumpsi, ossa in humum ieci, in canum pastum & oblectamentum.* Pontanus.

HISPANVS ANONYMVS.

Sisterem, nisi faceta HISPANI cuiusdam & libera responsio, quam Franc. Swertius F. inter alia mihi suggessit, retardaret. Solimanno Mahumetano solenne

ſenne erat, in loco quo aluum ſolitus exonerare, depictas conſeruare Chriſtianorum Principum effigies. Itaque neceſſitate naturæ compulſus, dum eò ſe conferret, HISPANVM, quem inter ceteros miniſtros fortè alebat, ad ſe vocat. Et oſtēſa Philippi II. Regis imagine, Eo, inquit, honore apud me eſt tuus Princeps. Cui HISPANVS (mirare quòd tam liber apud Tyrannum) *Credo*, ait, *non ſine cauſa M. T. hunc iſti loco conſecrare. Illius enim vel ſolùm in imagine repræſentati aſpectus, in tantum tua viſcera commouet, vt ſine medicorũ ope, natura ſe ſua ſponte quaſi deficiens reſoluat, & quidquid ei ſuperabundat, eiiciat.*

SCVRRA ET TORTOR.

Vnum adhuc huius farinæ à Georg. Sabino carmine deſcriptum, ad extremum adſcribam:

Vſurpare ioco Paſtoris verba Menalcæ,
Omnibus & ſolitus dicere SCVRRA *fuit:*
Efficiam poſthac ne quemquam voce laceſſas:
Ipſius hæc ſemper verba iocantis erant.
Aſt vbi iam capitis meruiſſet crimine pœnam,
Multa quòd intulerat probra nefanda bonis:
Cumque foret laqueo iam ſuſpendendus, eodem
Bucolico ludens carmine TORTOR, *ait:*
Efficiam poſthac ne quemquam voce laceſſas,
Fracturus torto iam tibi fune gulam.

Require ARTIVM CONCERTATIO.

CONVIVIVM.

IESVS CHRISTVS.

CONVIVIVM omne tribus conſtare oportere, ex Menalippa Varronis colligitur: Lectis viris, lecto ioco, lecto tempore. quale fuiſſe illud quod ſub-

ſubiungimus, quis audeat inficiari? DEI namque FILIVS, cùm Matthæum publicanum ad Apoſtolatus apicem euexiſſet, eius domum ingreſſus, cum eodẽ, & pluribus aliis publicanis ac peccatoribus, quibus extremum vale, amicorum more, Matthæus dabat, diſcubuit. Phariſæi verò indignati, Quare, dicũt ad CHRISTI diſcipulos, cũ publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? quorum accuſationem audiens IESVS, ait: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus.* inſinuans, quòd reficiendo nos corporaliter, etiam poſſimus accumbenti proximo noſtro cibos ſuppeditare ſpirituales: & ea eſſe tum demùm lectiſſima conuiuia, in quibus non tam curæ eſt corpus paſcere, quàm proximi infirmitates, quæ tum vel maximè ſe produnt, dirigere & ſuſtentare. Matth. cap. 9.

D. LVDOVICVS FRANCORVM REX

Viros pios & religioſos ad menſam adhibebat, cumque duos ex illis in aurem colloquentes aduertiſſet, grauiter eos obiurgauit; *Malè*, inquiens, *facitis domini mei clàm colloquẽdo: clara voce ſi quid dicendum, exponite: ne quiſquam vos malè de ſe loqui ſuſpicetur.* Significabat autem, non niſi vrbana in conuiuiis communicanda: ſeria & grauia, in aliud tempus & locum differenda. Ionuil. in eius vita, cap. 94.

S. HVGO EPISC. LINCOLNIENSIS.

Ille Regum & Magnatum conuiuia deſpiciebat. cumque veniſſent aliquando à Rege miſſi, qui aduentum eius iam diu Regem præſtolari nuntiarent; *Satiùs*, aiebat, *eſt terrenum Regem abſque me prandere, quàm æterni Regis mandatum ab humilitate mea negligi.* Erat autem ſingulari ſollicitudine

erga

erga ſepulturam mortuorum. Sur.tom.6.in vita.

Petrvs Aldobrandinvs Card.

Aſpernabatur hic ſplendidos & regales apparatus, præſertim in conuiuiis. Vnde cùm Romæ plurimi ſolùm in id intenderēt, vt aduentantes heroës maiori ſplendore & gloria exciperent, interrogatus à quodam Principe, cuius menſam maximè laudaret; *Maſiniſſæ Regis*, inquit, *potiùs* (ille enim ſemel interdiu veſci ſolitus, idque ſine pulmento) *quàm Cleopatræ*. quæ, vno ferculo Antonio præparato, centies ſeſtertiûm abſumpſit. Henr.Farneſ. in Apophth. de Princ.

Ivgo Dvx Carinthiæ.

Vide Christianismvs.

CORREPTIO.

S. Ioannes Baptista.

INgrediamur pelagus Correptionis fraternæ, quæ innata vitia, aut conſuetudine vitioſâ nobis inſita, rectæ rationis fræno coërcet. Liberalem admodum hoc in beneficio Chriſtum Dominum exſtitiſſe, documēto ſunt Sacræ litterę. In quibus etiam de eiuſdē Præcvrsore memoriæ proditum: quòd cùm videret multos Phariſæorum & Saducæorum venientes ad baptiſmum ſuū, ſciens eos ſimulato magis quàm ſincero animo id agere, *Progenies*, inquiebat, *viperarū, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Facite ergo fructum dignum pœnitentiæ.* Seria correptione, quid faciendum eſſet, amicè deſignabat. Matth. cap. 3.

Cæcvs Evangelicvs.

Inter cetera notatu digna in hoc Cæco, vnum illud

lud eſt, quòd calumniantibus Phariſæis tam animosè, at verè reſponderit. & quidem dicentibus ſe Moyſis diſcipulos, ac Chriſtum neſcire vnde ſit; *In hoc*, aiebat, *mirabile eſt, quia vos neſcitis vnde ſit, & aperuit oculos meos. Scimus autē quia peccatores Deus non audit: ſed ſi quis Dei cultor eſt, & voluntatem eius facit, hunc exaudit.* Pulchra & efficaci argumentatione, ſtolidas Phariſæorum calumnias corripit & refutat. Ioan. cap. 9.

LATRO POENITENS.

Quis non miretur etiam in LATRONE, cui dolores omni ex parte obrepſerāt, hoc correptionis beneficiū non potuiſſe occultari? Videbat & audiebat commilitonem ſuum & ſupplicij ſocium, in Chriſtum blaſphemias iaculantem: & non ſuſtinens, increpabat eum, dicens: *Neque tu times Deum, quòd in eadem damnatione es?* & culpam in ſe agnoſcens, ac Domini innocentiam intrepidè confitens, ſubiiciebat: *Nos quidem iuſtè: nam digna factis recipimus: hic verò nihil mali geſſit.* Luc. cap. 13.

S. IOANNES EPISCOPVS

Nolebat vmquam corripi alienos mores aut vitia. Itaque domeſticos obiurgabat grauiùs, quòd raptorem quemdam morte dignum iudicaſſent. Dicebat autem: *Et quî ſcitis, ſi ille iam peccare deſtitit, cùm vos non ceſſetis?* Iure iſta vir ſanctus. cùm nemo ſciat, num amore an odio dignus. M. Marulus lib. 5.

ORENTVS ABBAS MONTIS SINA.

Æternam quoque memoriam meretur apud poſteros iſte. Dominica quadam die Eccleſiam ingreſſus eſt inuerſo ſago, ita vt deforis totus villoſus appareret.

reret. Conſpicantur hoc religioſi,& Abbatem erroris monēt,ac duriuſculè redarguunt, quòd ita comparuiſſet coram exteris. Quibus ille: *Vos euertiſtis Sina, & nemo quidquam vobis dicit. at ego, quòd ſagum inuerterim, dicitis: Quare cōuertis ſagum tuum? Ite, corrigite quod euertiſtis, ego quoque corrigā quod euerti.* Prat. Spirit. cap. 126.

Vide Apophth. de ADMONITIONE, CASTIGATIONE, & REPREHENSIONE.

CRVDELITAS, TYRANNIS.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

NIhil tam atrocis ſupplicij ac cruciatus excogitari potuit, quo non digni iudicati fuēre Chriſtiani olim, ſub immaniſſimis quibuſdam Tyrannis: & noſtro æuo Catholici in Anglia, ſub Henrico VIII. eiuſque herede Elizabetha. quare de iis hoc loco taceamus, ſuadet eorumdem, quòd breues eſſe volumus, copia. Ad aliorum dicta pergimus, & facta: quorum quidam crudelitatem in ſuos amplexi, quidam eamdem deſpectui habuere. Certè LVDOVICVS XII. cùm aliquando de tyrannide ſermo incideret, dixiſſe fertur: *Credite. Plebs & ruſtici Tyrannorum ſunt paſcua; Tyranni autem dæmonum.* Præclara & veritati conformis vox. malè enim imperando (vt habet Pub. Syrus) ſummum imperium amittitur. Annal. Franciæ.

CONRADVS REX NEAPOL.

Non dicto ſolùm, ſed & facto, longè alterius mentis CONRADVS NEAPOLITANVS. Ille enim expugnatâ Neapoli circa annum 1253. eiuſdem muros ædeſque regias demolitus eſt, ac templum ingreſſus,

gressus, cùm vidisset in eo equum miræ vetustatis effrenem, ilicò ei frenum addidit. vtque eam quam animo conceperat seruitutem & crudelitatem declararet, eidem hoc distichon subscribi imperauit:

Hactenus effrenis, domini nunc flector habenis:
Rex domat hunc æquus Parthenopensis equum.

Corozetus, de Dictis memor.

PROSPER COLVMNA.

Ab illo etiam profecta quandoque hæc vox, cùm iam Mediolanum in prædam suo militi dedisset: *Mediolanum est instar oloris, cuius plumas si extraxeris, pulchrior apparebit.* Ibidem.

FREDEGVNDIS GALLIÆ REGINA.

Transgredimur ad alium sexum, & cum eo ad FREDEGVNDEM, alteram sui æui Cleopatram. Hæc enim repulsis per vim & dolum duabus Franciȩ reginis, tandē etiam in coniugem Chilpericum machinatur malū. dum enim coram illo flagitium suū, quod cum Landrico genere nobili viro patrabat indies, miro casu confessa esset, isq; de vindicta cogitaret, præuenit: & Landrico ad se vocato, *Periimus*, ait, *vterque incauta mea voce.* ac rem ordine narrat, additque: *Quid stupes? virū ostende. patiendū quippe, aut patrandū est scelus.* Quâ voce incitatus Landricus, Chilpericum serâ nocte à venatione redeuntem conficit: rumore sparso, ab externis insidiis perpetratum scelus. An non meritò de illa etiam dixisset Ouid. quod de alio quodam?

Sæuior es tristi Busiride, sæuior illo,
Qui falsum lento torruit igne bouem:
Quique bouem Siculo fertur donasse Tyranno,
Et dictis artes conciliasse suas.

I. Lips. Mon. Pol. lib. 2. cap. 2. num. 6.

CRVX,

CRVX, CRVCIFIGI.

IESVS CHRISTVS.

STatuamus nunc præſtantiſſimum ac ter nobile Redemptoris noſtri trophæum CRVCEM. quæ Iudæis quidem ſcandalum, & Gentibus ſtultitia; iis autē qui ſalui fiunt, id eſt nobis, Dei virtus eſt. Videamus quanta animi alacritate ad eam aſpirarint viri ſancti. Et DOMINVS quidem IESVS, qui ſalutem humani generis (vt canit Eccleſia) in ea conſtituit, vt vnde mors oriebatur, inde vita reſurgeret; longa illa altercatione cū Nicodemo de nocte habita, exponens & ſignificans qua morte eſſet moriturus, *Sicut*, inquiebat, *Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet Filium hominis: vt omnis qui credit in ipſo, non pereat, ſed habeat vitam æternam.* clarè inſinuans, æneum ſerpentē à Moyſe in deſerto erectum, cuius adſpectu ſanabantur omnes qui ab ignitis ſerpentibus læſi, Crucis ſuæ imaginem adumbraſſe. Ioan. cap. 3.

IDEM.

Cùm Imperator Nero in Petri Apoſtoli necem conſpiraſſet, plures ei, Roma abſcederet, perſuadebant. Id eo cogitante, & iam proximè imminens martyrium fugiente, ecce viſibili ſpecie conſpiciendum ſe præbet DOMINVS IESVS. Agnoſcit eum Petrus. &, Quò inquit vadis Domine? at ille, *Vado Romam iterùm crucifigi.* Intellexit Petrus ſibi inſinuari, quòd Romæ eum vincula & carceres, ac tandem Crucis opprobrium maneret. Egeſip. lib. 3. cap. 2.

S. PETRVS APOSTOLVS.

Quare ea Domini voce accenſus, cùm mortis

crucisque sententiam Neronis imperio accepisset, & iam diu Christo cruci configi desideraret, iudicem compellabat, ne eo modo quo Dominus eius cruci affigeretur: sed vt is capite, ita ille inuersis vestigiis attolleretur. Dicebat autem: *Verè non me dignum iudico, eo modo in cruce extendi, quo Dei Filius in ea extensus & passus fuit.* Ibidem.

S. ANDREAS APOST.

Neque hic minùs suo fratre illustris, in Crucis gloria suo sanguine promouendâ. Dicenti etenim sibi Præfecto Ægææ, Nisi me obtemperanter exaudieris, crucis supplicium quod tu mysterium nuncupas, in temetipso experiere; *Ego*, respondet, *si Crucis patibulum expauescerem, Crucis gloriam non prædicarem. Ego Crucis Christi seruus sum, & Crucis trophæum optandum mihi potiùs quàm timendum.* Sur. tom. 6. in vita.

IDEM

Crucis patibulo adiudicatus, dum ad locũ venisset vbi paratam eam conspicabatur; diuini amoris zelo tactus, & Crucis gloria ineffabili accensus, in hæc verba prorupit: *Salue crux. Securus & gaudens venio ad te: ita tu exultans suscipias me discipulum eius, qui pependit in te: vt per te me recipiat, qui per te me redemit.* Ibidem.

S. THEOPHILVS.

Ille quoque Crucis desiderio inflammatus, cùm à tortore in equuleum sublatus esset, inclamare cœpit: *Ecce iam Christianus sum, quia in Cruce suspensus.* Subsannientibus autem plerisque eorum qui adstabant, *Gratias ago tibi Christe*, inquit, *quia in signo tuo leuari me permisisti.* Sur. tom. 1. in vita S. Dorotheæ.

B. IGNA-

B. IGNATIVS LOIOLA.

Piæ Deoque sacratę virgines, sanctitatis eius opinione commotæ, ad eum carceri inclusum litteras dederunt, Christianæ consolationis plenas. In quibus & eos qui huius rei causa fuerant, accusabant: eiusque iniurias miserati, dolorem suum testabantur. At ille; *Miror*, inquit, *vos, quibus crucis Christi mysterium pertractatum esse oportuit, immensos gloriæ thesauros in Cruce inclusos ignorare. Ego quidem gaudeo, quòd maiora pro Christi nomine sustinere dignus inueniar.* Ribad lib. 1. cap. 15. in vit. eiusd.

LAMBERTVS CONSVL HARLEMEN.

An non dignus iste, qui cum prioribus signa conferat? A tumultuantibus Caluinistis, quòd Romanæ Ecclesiæ auctoritatē defenderet, in vincula coniectus, tandem patibulo adiudicatus est. Quod cùm è longinquo intueretur, *Quid*, inquit, *extimescimus Lignum? Etenim si olim Dominum gloriæ crucifixerunt, quid nobis eius seruis exspectandum? Anne maior seruus domino suo?* P. Opmerus in Martyrol. Hollan. manu-scripto.

CRVCIS SIGNVM.

CONSTANTINVS M. IMP.

QVem priores illi erga Crucis trophæum honorem, eumdem, aut certè non absimilem, signo eiusdem exhibuerũt alij. Et quidem MAGNVS ille CONSTANTINVS, cùm Dei auxilium in se expertus esset, statim salutiferum hoc trophæum suę imagini adhibuit. idque ex ære fusum, Romæ celebri admodum loco erigi mandauit, atque hæc Latini sermonis verba inscribi: *Hoc salutari signo, vero for-*

titudinis indice, Vrbem vestrā è tyranni iugo ereptam, in libertatem vindicaui: Senatumq́ue & pop. Rom. in pristinum splendorem restitui. Verè illi etiam aberat gloriari, nisi in cruce Domini nostri. Euseb. lib. 9. Damasc. orat. 3. de Imag.

LIBERIVS II. ROM. IMP.

Non impar Constantino iste, sed alio in laudis genere. Dum enim (vti fit) palatium suum obambularet, aduertit tabulam marmoream Crucis signo notatam, inter alios pauimenti lapides constratam. Hæret, reiq́ue indignatione commotus, *Indignum*, aiebat, *Crucis signum pedibus conculcari, quod hominum frontibus oporteret inscribi.* eamq́ue ilicò leuari imperat. Paul. Diac. hist. Longobar. lib. 3. cap. 6.

THEODOSIVS M. IMP.

Veluti natalium munerisq́ue Imperatorij splendore, ita & hac virtutis laude, cum primis illis certat perillustris THEODOSIVS. Signa namque cum Eugenio tyranno conferre paranti, cùm Ordinum ductores prœlium differendum suaderent, eò quòd hostilium copiarum numero superari se dicerent: religiosissimus Imp. *Absit*, inquiebat, *id agamus. Exercitui meo Crux præit: illius copias Hercules ducit.* ac Cruce fretus, in hostem irruens, palmam reportauit, ratus non esse metuendum Herculem, vbi Crucis armatura adesset. Niceph. lib. 12. cap. 39.

CAROLVS V. IMP.

Neque ab his degenerauit nostro æuo CAROLVS V. IMP. Austriacus. qui in Tunetana expeditione de Polemarcho sollicitus, cùm idoneum reperiret neminem, vexillum Christi in cruce pendentis imaginem habens, in altum sustulit: *Et hic*, inquit,

inquit, *Dux noster erit: Rex regum, Dominus Deus exercituum.* O egregium Principem! &, si quis alius, verè Heroum Diuorumque agmini, omnium calculo, associandum. Ægid. Corozetus & alij in vita.

ANONYMVS.

Ille etiam rogatus, in quo potissimam Ecclesiæ gloriam eminere arbitraretur; *In Cruce,* respondit: *quia inter ipsas lucet ærumnas decus.* Strigel. part. 3. loc. pag. 66.

CVNCTATIO.

FREDERICVS III. IMPER.

TOlerabat hic æquo animo omnia cűctator salutaris. Quoties enim apud eũ fieret rerũ comploratio, quòd aut hæc illáve futura essent, respondisse ferunt: *Necdum tempus est illa emendandi.* nec tamen illo superstite illud tempus impletum; quando autem implendum, nescitur. Cranzius, lib. 2. Saxon. cap. 33.

IVLIANVS IMP.

Quid autem IVLIANVM dicam? dum in frequenti turba quidam eum his verbis compellaret aduersus inimicum suum: Thalassius inimicus tuus nostra per vim eripuit: *Agnosco*, ait, *ab illo fuisse me læsum; proinde dic illi, vt mihi potiori inimico priùs satisfaciat.* mandauitq; Præfecto, ne priùs cognosceret de illorum negotio, quàm ipse cum Thalassio rediret in gratiam. Quod itaque alter adduxerat ad maturandam vindictam, Cæsar torsit in cunctationem. Eras. lib. 8. Apophth.

CVRA PROXIMI.

IESVS CHRISTVS.

QVam suæ dispensationis mercedem à Principe pastorum consecuturi sint, qui proximi sibi commissi saluti & curę aduigilant, superfluum huc in medium adducere iudicaui. Propositum itaque paucos, eosque selectissimos huiusce muneris sectatores, persequi. Ordiamur ab eo, qui hîc Principatum gerit, CHRISTO DOMINO. Concesserat aliquando in desertum, & turbæ eum detinebant, videntes admirabilem eius virtutem, ne ab eis discederet. Quibus ille ait: *Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum.* Insinuabat autem omnium omnino ouium suscipiendam curam, ne vlla earum, vitio & negligentia Pastoris pereat. Luc. cap. 4.

S. AMBROSIVS EPISC. MEDIOL.

Egregius commissi sibi gregis protector, cùm templo suo ab Arrianis egredi cogeretur, eoq; planè cedere; *Spontè*, inquiebat, *hoc non fecero: ne lupis ouium septa contradere videar, aut Deum blasphemantibus. Hîc si placet, occidite.* Gloriosum ducebat, pastorem cum ouibus, & pro iisdem, in propriâ caulâ, mortem oppetere. Socrat. lib. 9. cap. 20.

S. GREGORIVS THAVMATVRGVS.

Ille quoque sanctitate & doctrina illustris; at signis miraculisque illustrior, ob quorum præstantiam THAVMATVRGVS appellatus; cùm innumerabiles Neocæsareæ & alibi ad fidem Christi suo exemplo eloquioque traxisset, è vita laboribus fractus migraturus, rogabat, quot adhuc superessent in

in Neocæſarienſi vrbe infideles: cumque reſpõſum eſſet, Septemdecim; *Gratias Deo*, inquit, *totidem erãt fideles cùm accepi Epiſcopatum.* O miram Paſtoris vigilantiam: quem etiam morientem gregis ſui cura ſolicitabat. Niceph. lib. 6. cap. 17. Breu. Rom. 17. Nouemb.

S. GODOFREDVS EPISC. AMBIAN.

Præerat adhuc, priuſquam ad Epiſcopatum ſuſcipiendum raperetur, Cœnobio parùm celebri & dotato: inſtantique Rhemenſi Antiſtiti, alterius, quod tum fortè Rectore carebat, longè præſtantioris cùm nominis, tum fortunæ, gubernacula ſuſciperet; exclamans, *Neque*, ait, *poſſum, neque ſi poſſim, velim pauperculam ſponſam ditiori præferre.* Generosè admodum ſignificabat, magnos honores grauiora etiam onera curaſque comitari. Sur. tom. 6. in vita.

S. THOMAS CANTVARIENSIS.

Præclarus ille vir, neque hoc loco ſilentij nube inuoluendus. Suadebat ei Antiſtes quidam ex ſuffraganeis, quò cum Rege pacem ſeruaret, ſeque extremo vitę diſcrimine eriperet, Epiſcopatu cederet. Cui ille generoſo non minùs quàm forti animo: *Non ea conditione Epiſcopatum ſuſcepi, vt Regi eum tradam: ſed vt pro illo meipſum etiam, ſi ita opus, impendam.* Vnde poſtmodum in exſilium pulſus, admonitus fortaſſis à priori illo Antiſtite, molliùs cum Rege ageret, æquè illuſtre reſponſum dabat: *Clauum teneo, & ad ſomnum me vocas?* inſinuans, boni paſtoris eſſe animam ſuã pro ouibus ponere. Sur. tom. 6. in vita. Th. Stapl. in Prompt. morali.

IOANNES EPISC. ROFFENSIS.

Require Apophth. de RATIONE REDDENDA.

CVRIA.

LVDOVICVS XII. GALL. R.

LVtetiæ Parisiorum obambulans, obuios quosdam sibi habuit è Senatu, velocissimo gressu ad Curiam properantes. &, *An non* inquit ad proceres, *hi ad nundinas videntur proficisci?* Imitatus Stratoclem & Dioclem, qui se mutuò ad messem auream inuitabant, Curiam nundinas appellabat. P. Æmil. in vita.

ANONYMVS.

Viderat & ille frequentiùs, quemdam è familiaribus ad Curiam discurrentẽ, & obuio, Quò, inquit, tam festinus? Ad Curiam, respondit ille. Cui alter; Imprudenter agis, an ignoras vulgatum illud:

Curia dat curas, non sit tibi Curia curæ?

Curarum ergo expers esse vis? à Curia abstine.

Monebat Plutarchus, ad aulas accedẽdum velut ad ignem: neque propiùs, ne vraris: neque remotiùs, ne affligaris. Gregor. Richterus in axiom. Polit.

AVLICI ANONYMI.

Quàm verò curialium & aulicorum vita periculis plena, ob voluptatum copiam, & effusam libertatis ac omnium pænè flagitiorum libidinem, docuêre AVLICI DVO, quorum memoriam in Confessionibus suis facit B. Augustinus. quos dicere solitos testatur, *In palatio quid non fragile, plenumque periculis? & per quot pericula deuenitur ad maius periculum!* Iure igitur miraculi loco habet Hieron. Epist. ad Saluinam, Nedibrium adolescentem nobilem, in media aula nutritum, contubernalem Augustorum, quorum mensæ ministrat orbis (verba

eius

eius ſunt) terræ & maria ſeruiunt, inter omnium rerum abundantiam, in primo ætatis flore, tantæ verecundiæ fuiſſe, vt virginalem pudorem vinceret, & ne leuem quidem obſcœni rumoris in ſe fabulam daret. Auguſt. lib. 7. Confeſſ. cap. 6. & refert Guil. Baldaſenus lib. 1. cap. 13. in Stimulis virtutum Adoleſcentiæ.

Vide AVLA, AVLICA VITA.

CVRIOSITAS REPRESSA.

IESVS CHRISTVS.

CVrioſum neminem dicebat Plautus, qui non ſit maleuolus. Hinc rogatus Euclides, quam rem Dij potiſſimùm deteſtarentur, reſpondit, Curioſitatē. Certè DOMINVS & REDEMPTOR noſter, cùm acceſſiſſent ad eum Iudæi, & quidem ex illis Principes ſacerdotum & Seniores, qui multa curioſiùs inquirebant, quâ poteſtate omnia ſua faceret; & indignos eos quibus directum daretur reſponſum teſtatus, *Interrogabo*, ait, *& ego vos vnum ſermonem: quem ſi dixeritis mihi, & ego vobis dicam in quâ poteſtate hoc faciam. Baptiſmus Ioannis vnde erat? è cælo, an ex hominibus?* dicentibus illis, Neſcimus: *Nec ego*, inquit ipſe, *dico vobis, in qua poteſtate hæc facio.* pulchrè reciproca hac interrogatione, eorum quæſtionem eludens. Matth. cap. 21.

S. AVGVSTINVS

Inquirenti curioſiùs Afro, quid ante mundi creationem faceret Deus; reſpondit: *Curioſis parabat infernum.* profanam audaciam graui dicto compeſcens. Idem Apophthegma carmine redditum, adſcribo ex Epigrammat. Georg. Sabini:

Dum

Dum Libycis Christū pater AVGVSTINVS *in oris*
Asserit, ac peragit munus in æde suum:
Et miranda refert populo primordia mundi,
Esse docens verbo cuncta creata Dei:
Impius assurgit, verbisque procacibus Afer,
Ergo opifex rerum quid faciebat? ait,
Et quibus intentus fallebat tempora curis,
Mundus adhuc nondum cùm fabricatus erat?
Præsul ad hæc Libycus, Fabricabat Tartara, *dixit,*
His, quos scrutari talia mente iuuat.

SISINNIVS NOVATIAN. EPISC.

Ille bis quolibet die in balneo lauari solitus: percontanti verò, cur cùm esset Episcopus, bis in die ablueretur; *Quia*, inquit, *temporis excludor angustiis, ne tertiò lauer.* Suidas.

ANTIOCHENVS ANONYMVS.

Quid autem, vt & ciuilia recenseamus, iste? Rogabat eum Libanius Sophista Apostatę Iuliani fautor, quid nunc Fabri filius (Christum per contumeliam intelligens) ageret. At is, vt erat vir bonus & disertus, *Non otiatur*, dicebat, *ô Sophista, quem tu hoc nomine appellas: parat enim Iuliano tuo loculum.* Tripart. hist. lib. 6. cap. 44.

RVDOLPHVS IMP. AVST.

Non minùs ingeniosè, facetè tamen, & in re ludicra, hic. Tabe propè confectus, festinabundus, Confessore suo comitatus Spiram, quæ Ducū Cæsarumque olim sedes, nunc tumulus, maturabat. causam verò rogatus; *Quia*, inquiebat, *ad sepulchrum mihi properandum, vt alios reges conueniam.* Cuspinus.

FREDERICVS DVX AVST.

Nimirum curiosus rerum indagator, sæpè mutato

tato habitu ſolus inter agreſtes verſabatur,cum quibus mercede diurna & arãs, & alia quæuis faciens, tam de ſeipſo quàm purpuratis ſuis colloqui conſueuerat. Interrogatus autem,cur id faceret; *Neque enim*, ait, *alio modo de me verum audire poſſum*. Æn.Syl.lib.3.Comm.in Panorm.

Vide huic ſimile de Duce quodam Norico,Tit. de Veritate.

Civis Antverpiensis.

Addo familiarè, & noſtri æui ſoliq́ue. Non ita pridem homo facetus Antuerpiæ, merces quaſdam per baiulum ſacco coopertas,ſecum in alienas ædes aſportari curabat: ſciſcitantiq́;obuio cuidam, Quid mercium iſte baiulus tecum defert? reſpondebat: *Ideo obuelaui,ne quis ſciret*. Idem Ægyptium quemdam olim ad ſimilem quæſtionem reſpondiſſe, auctor eſt Eraſmus, & Plutarchus.

Ioan. Fvnccivs.

Quàm ſit autem deforme & turbulentũ vitium curioſitas,quàm πολυπραγμοσύνην vocant Græci, docuit Ioan. Fvnccivs.qui Regiomonti capite truncandus,hoc diſtichon pronuntiaſſe dicitur:

Diſce meo exemplo,mandato munere fungi:
Et fuge ceu peſtem τὴν πολυπραγμοσύνην.

Abr.Bucholc. in indice Chronolog.

Chabanvs Comes.

At Chabanvs Comes præ ceteris omitti non debet. Dum enim copias Ludouici xi. Franc. regis circa Lutetiam duceret,miſſus à Ludouico Ioannes Ballua Epiſc. Eboicenſis, vt eas perluſtraret. Quo facto, Chabanvs paulò pòſt Regem compellat, &, *Oro*, ait, *M.T. me Eboicas proficiſci permittat*. Inquirenti autem cauſam Regi,*Vt*,inquit, *de ſacerdoti-*

dotibus sacrandis puniendisque scrutinium faciam. Insinuare volebat, cuilibet sua in arte & munere adhibendam fidem. Rob. Gaguin. in vita Ludouici XI.

DÆMON, ET QVOMODO EI RESISTENDVM.

IESVS CHRISTVS.

DIscamus quoque generis nostri perpetuo insidiatori technas nectere. est quippe serpens lubricus, cuius si capiti, id est, primæ suggestioni non resistitur; totus in intima cordis, dum non sentitur, illabitur. Et quidem SALVATOR noster eiusdem impetitus insidiis in deserto, cùm variis modis eius animum licet incautus venator pulsaret, eumdem seuerè reprimens, *Vade,* inquit, *Satana. scriptum est enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies.* Vnicum resistendi illi remedium edocens, soli Deo seruire. Matth. cap. 4.

IDEM

Cùm obiiceret Iudæis, diceretque: Vos facitis opera patris vestri. responderent autem illi: Vnum patrem habemus Deum. subintulit post quædam: *Vos ex patre diabolo estis, & desideria patris vultis facere: ille homicida erat ab initio.* Ioan. cap. 8.

D. ANTONIVS ABBAS.

Magnus hic ad Dæmonum insultus impetusque propulsandos Athleta, rogatus à discipulis, quænam arma diabolicas impugnationes certò & validè repellerent; *Signum crucis,* inquiebat, *& ardens in Christum fides, inexpugnabilis sunt viris Deo dicatis & aheneus murus, aduersus Dæmonum machinationes.* D. Athan. in vita.

APOLLO

APOLLO ABBAS.

Iste etiam comites de ratione Diabolo resistendi anxios adhortabatur, machinationes eiusdem in principio cogitationum propulsarent. Dicebat enim, *Contrito namque capite serpentis, totum corpus extinguitur.* Palladius.

PITHYRION ABBAS.

Hic quoque Eremi incolis dicere solitus, *Qui vult expellere à se Dæmones, is priùs in seruitutem redigat prauas animi affectiones. Qualem enim animi quis affectionem superarit, eius etiam Dæmonem à se eiiciet.* Ibidem, in vita eius.

MACARIVS ABBAS.

Ille etiam fratri, quem nequam Spiritus occulta suasione eò induxerat, vt crederet se inutiliter in solitudine vitam agere, quòd nemini benefaceret; salutare consilium dedit: vt quoties in eiusmodi cogitatus incidisset, responderet; *Hoc saltem in solitudine vtiliter ago, quòd amore Domini mei Iesu, à tuguriolo isto non decedo.* Cessarunt ibi præstigiatoris insidiæ, vbi amori Christi datus est locus. In vitis sanctorum P P.

DETRACTIO.

S. AVGVSTINVS.

AD crimina difficilem aurem habere nos oportere, aiebat Seneca, & cum eo B. AVGVSTINVS: qui nihil magis oderat, quàm detractiones & calumnias. Quare refectionis loco hoc distichon inscribi maiori charactere curauit:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam nouerit esse sibi.

Vnde

Vnde dum quidam ab eo inuitatus, multa de alio quodam effutiret, indignatus AVGVSTINVS, *Vel*, inquit, *hos versus obliterato, vel detrectare abstineto: aliàs mihi secedendũ.* Augusta illa, & verè Augustiniana vox. cui nescio, an hoc æuo parem reperias. Monebat olim Horatius in Sermon.

--- Absentem qui rodit amicum,
Fingere qui non visa potest, commissa tacere
Qui nequit: hic niger est, hunc tu Romane caueto.

Possid. in vit. eiusd. cap. 21.

S. IOANNES EPISCOPVS.

Eiusdem animi IOANNES EPISCOPVS. qui etiam publicè peccantes taxari incusarive vetabat: *Fieri quippe potest*, aiebat semper, *vt peccatum pœnitendo deleuerint. Iniquum est enim id ab homine petulanter exprobrari, quod clemẽter à Deo esset condonatũ.* Verè & præclarè Hieron. in Oseam: Nihil tam facile, inquit, quàm alios viles facere: quia alterius vituperio laudari nos arbitramur. Marul. lib. 5. cap. 1.

SIGISMVNDVS IMP.

Deferebatur ad eum, Germanos passim obloqui, & honori suo detrahere. Qui subridens, *Anne*, ait, *vobis graue videtur, illos malè de nobis loqui, cùm nos malè agamus?* insinuans, multum aliquando è nostrâ parte dependere, vtrùm benè an malè audiamus. Æn. Syl. lib. 2. de Gest. Alphonsi.

DEVS.

IESVS CHRISTVS.

Contemplemur iam summum illud bonum, omnium rerum A & Ω, DEVM. & quid prę-clarè,

clarè, licet timidè aliquando, de eo dixerint nonnulli, proponamus. Mediator Dei & hominum CHRISTVS IESVS (cui, vtpote Diuinæ naturæ hypostaticè vnito, certa hac in re fides) Adolescenti roganti, Magister bone, quid faciam, vt habeam vitam æternam? respondit: *Quid me interrogas de bono? vnus est bonus* (videlicet originaliter, ex se, & absolutè) *Deus.* quasi dicat, Qualis ego, vt homo, quem tu me solùm existimas, non sum. Matth. cap. 19. Marc. cap. 10. Luc. 18.

S. ATTALVS MARTYR

A tyranno per contemptum interrogatus, quod nomen haberet Deus; dixit: *Qui plures sunt, nominibus discernuntur: qui autem vnus est, non indiget nomine.* Verè Simonides simile quid percontanti Hieroni tyranno, Quanto diutiùs, inquiebat, considero, tanto mihi res videtur obscurior. Euseb. libro 6. Eccl. hist. cap. 3.

EVAGRIVS EPISC.

Non minùs doctè quàm argutè EVAGRIVS. qui, dum quæstio de Diuinitate incidisset; *Ego quidem* inquit, *Diuinitatem definiendam non esse assero, ideóque silentij tantùm oratione adorandam, quia ineffabilis est.* Venit hîc in mentem illud Statij:

Nulla autem effigies, nulli commissa metallo
Forma Dei: mentes habitare & pectora gaudet.

Socrates.

PIVS II. PONT. MAX.

Haud aliter PIVS PONT. qui quoties Dei, eiusque naturæ meminerat, illud identidem insonabat: *Diuina natura credendo meliùs, quàm differendo inuestigatur.* Platina in vita.

D. LVDOVICVS FRANCORVM REX.

Illum prioribus non iniquè adiungimus. à quo cùm in cœtu Religiosorum Seneschalcus Campaniæ sciscitaretur, *Quid est Deus?* & ille cogitabundus hallucinaretur, quæstionem resoluit, inquiens: *Res adeò bona & præstans, vt nihil ea melius præstantiusque dari, vel excogitari possit.* Idem longè ante eum, Ethnicus aliàs, de suo Ioue Horatius:

Vnde nil maius generatur ipso,
Nec habet quicquam simile, aut secundum.

Ionuil. in vita eiusd. cap.94.

DEI COGNITIO.

S. IVLIANVS MARTYR.

SI cognitionis præstantiã ab obiecto metiri necesse est, vt tradũt Philosophi: ecquis eam COGNITIONEM nobilissimam negauerit, quę circa nobilissimũ ens, quale est DEVS, versatur? Haud ignorabat id IVLIANVS: non Apostata ille, sed Christi Martyr illustris, cuius inuictum animum cùm emollire verbis Martianus non posset, diceretque: Extendatur ad verbera, vt vel sic eius stultitia omnibus innotescat: *Non est*, inquiebat, *stultitia Deum nosse, sed gloria.* Sur. tom. 1. in vita.

S. POLYEVCTVS MARTYR.

Eiusdem & æui & animi POLYEVCTVS. de cuius conuersione cùm Paulina vxor quereretur, ac præsertim quòd 12. idola sua comminuisset; eam suauiter irridens, *Si solus*, ait, *deos tuos duodecim vici & contriui, ecce deorum egena es. Adesdum ergo mea coniux, & faxo Deum verum cognoscas.* Maximum (vt verè etiam erat) beneficium se coniugi præ-

præstiturum existimabat, si eam ad veri Dei notitiã capessendam valeret inducere. Sur. ibid. in vit.

Hvgo de S. Victore.

Huius item memorandam sententiam silentio præteriisse, nefas. vtpote à cuius ore profectum aliquando: *Sicut nullum est momentum, quo homo non vtatur, vel fruatur Dei bonitate & misericordia; sic nullum esse debet momentum, quo eum præsentem non habeat in memoria. Omne enim tempus in quo de Deo non cogitas, hoc te reputa perdidisse.* Lib. 1. de Claust. animæ.

DEI BENIGNITAS.

S. Ioannes Bapt.

DIscutiamus etiam quàm diues in misericordia Devs, quàm in gratia munificus. sine quo nihil firmum, nihil stabile, nihil sanctũ. Indignatione aliquando cõmotis Ioannis discipulis, quòd Christus baptizaret, ac multi ad eum confugerent; ait ad illos: *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* Quod enim ille præ alio magister plures habeat qui se sequãtur (inquit Chrysost.) Dei donum est. Ioan. cap. 3.

S. Martinvs

In Alpibus deuia & inuia secutus, in latrones incidit. è quibus vnus vibrata in caput eius securi, mortem minabatur, nisi ferientis dexteræ ictum alius sustinuisset. Rogatus autẽ, num timuisset; *Minimè*, inquit, *numquam eram securior: sciebam enim Dei misericordiam maximè in tribulatione adfuturam.* In vita eiusd. Sulpit.

S. ÆGIDIVS

Amicum quo familiariter vtebatur, rogabat aliquando: Credísne te à me diligi? eoque annuente: *Noli*, ait, *hoc credere. Solus enim creator verè diligit creaturam, cuius dilectioni amor creaturæ comparari nequit.* Ex Sent. aureis eiusd.

RELIGIOSVS ANONYMVS.

Hic quoque sciscitãti curiosiùs militi, num Deus peccatorum misereretur; *Túne*, respondet, *vbi chlamys tua lacera, eam protinus abiicis?* quo negante, adiecit: *Ita nec Deus. custodit quippe eos, quos ad imaginem suam creauit.* In vit. PP. fol. 300.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Quin etiam Dei consilio Reipub. de bono Principe prouideri dicebat ille: Clemente enim VIII. in Pontificem electo, rogatus, quorum suffragiis ad tantum honorem deuenisset; respondit: *Non fit summus Princeps, sed factus de cælo recipitur.* neque enim rationi consonum est, ab hominibus fieri eum qui plus potest quàm hominum vis & natura. Henricus Farnes. in Apoph. de Princ.

LIBERIVS II. IMP.

Neque erat ab hac mente alienus LIBERIVS. qui quòd in pauperes profusior, à coniuge Augusta obiurgatus, dum immensum thesaurum fortè in palatio reperisset; *Vides*, aiebat, *quàm fidelis est Deus noster, qui plura retribuit, quàm nos eius amore elargimur.* Paul. Diac. hist. Longob. lib. 3. cap. 6.

PHILO IVDÆVS.

Hic natione, at non religione Iudæus, missus Orator ad Senatum Romanum. A quo, quòd honorem diuinum ei deferre recusaret, crebriùs repulsam passus, re infectâ abiit: & ad legationis comi-

tes

tes conuerſus, dignam illam Philoſopho ingeminauit ſententiam : *Macte animo : cùm enim humana præſidia deſinunt, incipiunt diuina.* Nam vt benè cecinit Naſo, 1. Pont. Eleg. 7.

Quamuis eſt igitur meritis indebita noſtris,
Magna tamen ſpes eſt in bonitate Dei.

Ioſeph. Antiq. lib. 18. cap. 10.

DEI POTENTIA.

IESVS CHRISTVS.

PAternæ Dei benignitati, Potentiæ eiuſdem amplitudinem ſubiungamus. vtpote in quo, per quem, & ex quo ſunt, quæcumque ſunt,

——— *qui res hominum ac deorum,*
Qui mare & terras, variiſque mundum
Temperat horis.

Quid autem hac de re VERBVM eiuſdem INCARNATVM ? Multa de diuitiarum huius ſæculi inordinato amore dixerat, eoq́ue ſtante, ſalutem acquiri non poſſe: cùm ſuper his mirati diſcipuli, rogant: Quis ergo ſaluus eſſe poterit? quibus IESVS: *Apud homines*, inquit, *hoc impoſſibile eſt: apud Deum omnia ſunt poſſibilia.* quæ ſcilicet rerum perfectioni non repugnant, nec expreſſam contradictionem, ſi ita fiant, inuoluunt. Lubeat hîc recordari eius, quod de dîs Gentium ſenſit & cecinit Ouid.

——— *Immenſa eſt, finemq; potentia cæli*
Non habet: & quicquid ſuperi voluêre, peractũ eſt.

Matth. cap. 19.

IDEM

Indignanti Pilato, dicentiq́ue, Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatẽ habeo crucifigere te, &c.

respondit: *Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datũ esset desuper.* Omnis quippe potestas à Deo. & vt præclarè Seneca ad lineam,

Omne sub regno grauiore regnum est.

Ioan. cap. 19.

S. IOAN. BAPTISTA

Gloriantibus Pharisæis, quòd patrem haberent Abraham, adeoque legem accepissent, ac Dei populus essent, dicebat: *Nolite dicere intra vos, patrem habemus Abraham. Dico enim vobis, quoniam potens est Deus de lapidibus istis*, (hos eos fuisse arbitrati sunt quidam, quos Dei iussu Iosue ex Iordanis alueo sustulerat) *suscitare Abrahæ filios.* Matthæi, cap. 3.

S. THEOPHILVS.

Admirandum quod sequitur. Acceperat Angelico ministerio THEOPHILVS à Dorothea virgine aurea mala, & rosas, quæ ironicè ab eâdem, dum ad supplicium duceretur, seq; ad Paradisum sui sponsi properare diceret, postulauerat: & in Iesu Christi laudes protinus erupit. Quare ad Sapritium Præsidem mittitur, qui ilicò, Quid est, inquit, quod foris loquebaris? Cui ille: *Laudabam Christum feliciter, quem hactenus infeliciter negaui.* Dicentique rursus Sapritio, Miror te hominem doctum, illud nomen voluisse vsurpare, quod hactenus tanto odio es persecutus: *At hinc*, aiebat, *apparet, verum esse Deum, quòd me conuertit ab errore ad veritatem.* Sur. tom. 1. in vita S. Dorotheæ.

DEI

DEI DILECTIO ET HONOR.

S. MARIA MATER DEI.

PRæmiſſa Dei omnipotentia, beneficentiaque, quibus humanum genus ad ſe trahit, ſupereſt de eiuſdẽ etiam erga eum dilectione, cultu, obſequioque dicamus. Et illa quidem ſuo exemplo nos docuit BEATA VIRGO: quæ accepto cæleſti nuntio, cùm ad montana Eliſabetham viſendi gratiâ pergeret, & illa beatam eam diceret, innatæ humilitatis limites non egreſſa; *Magnificat*, inquit, *anima mea Dominum: & exaltauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* quaſi dicat, Tu me beatam prædicas ob beneficia à Deo in me collata: at ego magnis laudibus collatorem ipſum proſequor. inſtruens nos, ſi gloriari oportet, in Domino gloriandum. Lucæ, cap. 1.

S. DOROTHEA VIRGO.

Et quoniam à fęmina propter eminentem eiuſdem excellentiam, vel potiùs ab omnium fæminarum Principe orſi ſumus: dabunt mihi hanc veniam viri, ſi & alteram eiuſdem ſexus, & virtutis, eis præponam. DOROTHEAM virginem ferunt, dum à Sapritio tyranno compelleretur, iuxta mandatum Principum Auguſtorumque ſuorum diis immortalibus litaret, reſpondiſſe: *Deus qui in cælis eſt Auguſtus, ipſe imperauit mihi, vt ſoli ſibi ſeruiam. quare videndum, cuinam Imperatori obtemperandum.* Sur. tom. 1. in vita.

S. FRVCTVOSVS.

Quod priùs fæminarum, nunc virorum exemplis confirmemus. A Galieno Imp. cõpulſus FRV-

CTVOSVS, idola venerari: aliàs morte mulctandus. At ille; *Nolo*, inquit, *sacrificare diis Galieni, sed æternum Deum, ac ipsius Cæsaris creatorem colo venerorque.* Ad quod alludens Prudentius, ita canit:

Iussum est Cæsaris ore Galieni,
Quod princeps colit, vt colamus omnes:
Æternum colo Principem, dierum
Factorem, Dominumque Galieni.

In vita apud Sur.

S. EVLOGIVS FRVCTVOSI DIACONVS.

Presbyteri sui exemplum EVLOGIVS Diaconus imitatus est: qui vnà cū illo ad martyrij palmā promerendā deductus, cùm rogaretur: Numquid & tu Fructuosum colis? respondit: *Non colo Fructuosum, sed eum quem colit Fructuosus.* insinuans, viros sanctos honorandos quidem, quoad etiam hoc carcere mortali detinentur: Deum verò solum adorandum atque colendum. Augustinus de diuers. Serm. 101. cap. 2.

S. THOMAS AQVINAS.

Nunc eos percurramus, in quibus mirè coruscans Dilectionis erga Deum resplenduit scintilla. Quid enim de THOMA AQVINATE dicam? De quo & illud memoriæ æternæ consecratum, cùm Neapoli ad imaginem Crucifixi oraret ardentiùs, hanc vocem audiuisse: Benè scripsisti de me Thoma; quam ergo mercedem accipies? cui ille: *Non aliam Domine, nisi teipsum.* Ea enim amantium natura, velle esse in amato. Breuiar. Rom. 7. Mart. Item in vita.

S. LVDOVICVS EPISC. TOLOSANVS.

Et ab huius ore quoties ad Regni clauum assidere compelleretur, profecta nobilis illa vox: *Diuitiæ*

tiæ meæ Christus, desint cetera. Omnis copia quæ Deus meus non est, mihi inopia est. Quàm meritò cum regio Psalte huic canere permissum: Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. Ex membrana vetusta in biblioth. F F. Minor. Louanij.

PRINCEPS ANONYMVS.

Lubeat etiam alîus ordinis exempla in medium adferre. Principem fuisse accepimus, virum, vt prior ætas tulit, egregiè prudentem & pium. Hic rogatus cur munitas arces suo in regno construi vetaret, in firmum sui suorumq; præsidium; respondit: *Vnica mihi arx est, eaque munitissima: ea videlicet de qua Salomon ait: Turris fortissima nomen Domini: ad quam confugiens iustus liberatur.* Georg. Richterus in Axiom. œconom.

DVX ANONYMVS.

Postulabat DVX Christianus ab Indo Toparcha, cui sol erat deus, expeditum cursorem. quo impetrato: Dic age, inquit, vter vestrûm potentior, hic adolescens, an tu? Ego sanè, respōdit Toparcha, qui huic vt id præstet, impero. Tum DVX: *Ita tibi de sole sentiendum. Cursorem illum velocissimum, Regis æterni ministrum: quare non ille, sed auctor dominusq; illius adorandus atque colendus.* Placuit Christiani viri dictum, & verè quod intendebat, effecit. Ios. à Costa, lib. 5. hist. Ind. cap. 5.

ANVS ANONYMA.

Ingerit se hîc nescio quæ ANVS: cuius in vita B. Yuonis celebris mentio. Yuone enim designato Oratore à Ludouico Pio Gall. Rege ad Sultanum Damascenū; accidit, vt ANVM sibi obuiam habuerit, altera manu testam prunis plenam, altera phialam aquæ gestantem. Miratus ille, quid sibi id vel-

let, inquirit. Illa, *Hoc igne Paradiſum comburere, aquâ infernum extinguere volo.* Ecquid tam arduam rem moliris? inquit Yuo: *Vt nemo,* reſpondit illa, *impoſterum benè operetur præmij ſpe inductus, metuq́; pœnarum nullus à ſcelere deſiſtat: ſed vt omnes vero amore, quem Deo debemus, accenſi, rectè viuamus.* Hăc tam grauem piæ ANVS vocem obſtupuit Yuo, & laudauit. Ionuil. in vita Ludouici, cap. 57.

DEI TIMOR. *vide* TIMOR DEI.

DISCENDI CVPIDITAS.

SALVIVS IVLIANVS.

TAntum in nobis ſcientiæ cognitioniſque amorem innatum refert Cicero, vt nemo dubitare poſſit, quin ad eum hominum natura, nullo etiam emolumento inuitata, rapiatur. In cuius quidem rei confirmationem, vnum SALVIVM IVLIANVM producemus. qui licet eximia iuris cognitione clarus, frequenter in ore habebat: *Etſi alterum pedem ſepulchro immiſiſſem, adhuc diſcere deſiderarem.* Placuit hoc laudatiſſimis viris, & meritò. cùm nunc paſſim illæ voces, Adultior ſum quàm vt diſcere quicquam valeam. Tamen, vt ſapienter Cato,

Scire aliquid laus eſt, pudor eſt nil diſcere velle.

Refertur Pandect. lib. 4. tit. de Fid. comm. l. apud Iulianum.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Sunt & alij huius generis: ſed omnes æquat & ſuperat ALPHONSVS. Intellexerat à familiaribus, regem quēdam Hiſpanum dicere conſuetum, non conuenire Principi litteras; & ira commotus, *Bouis*, aiebat, *non hominis illa vox.* atque è contrario gloriabatur, ſe totū vetus & nouum Teſtamentum,

vnà

vnà cùm glossis, decies & quater euoluisse. Verè eo elogio dignus, quòd à Carolo Magno maiorem fortunâ & virtute Principem orbis non vidit. I. Lips. Mon. Polit. lib. 2. cap. 7.

Idem.

Neque vno illius dicto exemploq́; contenti erimus. Habebatur sermo de rerum pretiosarum iactura, cùm eum persanctè affirmasse ferunt: *Malim gemmas, vniones, aut quascumque inæstimabiles margaritas perdidisse, quàm vel minimum librum.* Sciebat namque in libris occultatam sapientiam, quam ex iis qui vellet, hauriret. Panorm. l. 4. de Gest. eiusd.

Idem.

Vide Cantvs, Libri, *&c.*

Carolvs iiii. Franc. Rex.

Hunc etiam Carolvs imitatus, qui scholas Pragenses ingressus, magistros de liberalibus artibus altercantes, per horas quaternas mira cum voluptate & attentione audiuit: cumq́ue molestiùs id ferrent Purpuratorum aliqui, & horam cœnæ effluxisse Regem monerent: *Mihi*, inquiebat ille, *minimè effluxit: nam cœna mea hæc est.* Rarum in Principe exemplum. Æn. Syl. lib. 4. Comm. in Gesta Alphonsi.

Constantinvs Dvcas Imperator.

Et hic licet ignarus litterarum, magnus tamen earumdem fautor & amicus exstitit. quippe qui sæpiùs illud vsurparet: *Malim ex doctrina, quàm imperio nobilitari.* Zonar. tom. 3. Annal.

Vide infrà Doctrina in pretio habita.

Discordia. *Pete ex Apophth. de* Concordia.

DIS-

DISPVTATIO.

SPIRYDION EPISCOPVS, ET ANONYMI SOPHISTÆ.

APud Homerum ridetur à procis Vlyſſes, quòd panis fruſtula peteret, non enſes, neque lebetes: ita & ridendi illi, qui diſſerendo ſolùm id agunt, vt friuolas captiunculas obiiciāt, & ipſum tractandæ quæſtionis fundamentum euertant. Tales enim cùm ad Nicęnam Synodum conueniſſent, & quoſuis cauillationibus ſuis impeterent; SPIRYDION vir bonus, & verus Iſraelita, recitata fidei formulâ, SOPHISTAM principē aggreſſus: *Si credis*, inquit, *conſtanter reſponde, nec logomachiis iſtis in Dei contemptum vtere.* Ilicò ille; *Credo.* & comites intuitus, *Quantum intereſt*, ait, *de rebus nudis abſque fuco diſputare, & inanibus ſophiſmatibus tempus conſumere?* mirantibuſque ſubitam illam animi conuerſionem aſſentatoribus ſuis, *Quamdiu*, inquit, *res verbis agebatur, verba oppoſui: at poſtquam cum verbis vis quædam ex ore huius ſenis erupit, nihil ampliùs verba aduerſus eam valuêre.* Admodum eleganter Chryſoſt. In aliis certaminibus laureas referunt, qui victores redeunt: at in diſputationibus diuinis, ſolis debetur corona, qui ſe rei magnitudine victos ingenuè fatentur. Ita Niceph. lib. 8. cap. 15. Sozom. lib. 2. cap. 3. Cedrenus, & alij.

IVLIANVS CARDINALIS.

Erat in Conc. Florentino Imperator Palęologus: qui, dum grauis illa incidiſſet altercatio de proceſſione Spiritus ſancti, multa ſe in Græcorum fauorem annotaſſe, at domi ſuæ (quæ erat in Græcia) aſſer-

ſeruaſſe dicebat. Cui IVLIANVS: *Cùm in certamen ſe ſciret ſua Maieſtas deſcendendum: non oportuit arma domi relicta, ſed in contentionem allata.* P. Æmil. lib. 10.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Non minùs diſſerẽdo, quàm elaborando doctrinam parari inſinuabat hic; dum enim quidam diſputantium circulos effugeret, aiebat: *Tu id addiſcendo facis, vt dum diſputationem refugis, nihil addiſcas.* Hinc benè Minerua armata veteribus pingitur; quia doctrina non niſi acriter pro eâ diſceptantibus, præda fiat. Henr. Farneſ. in Apophth. de Principe.

IOANNES PICVS MIRAND.

Huiuſce propoſiti pariter & animi IOAN. PICVS. qui percontanti, quáſnam diſputationes maximè prodeſſe exiſtimaret; aiebat: *Quæ pacato animo ad inueſtigandam veritatem, priuatim, ac ſemotis arbitris exercentur. Obeſſe autẽ illas, quæ in propatulo fierent, ad oſtentationem dumtaxat, aut captandam vulgi auram, atque imperitorum applauſum.* Ioan. Franc. in vita Pici.

DIVINATIO, AVGVRIVM, &c.

S. ATHANASIVS.

NOn impium illud culturæ Dæmoniorum genus Sortilegium proponimus; ſed liberum & fortuitum futurorum euentuum, certum tamen frequentiùs prænuntium. Quod etiam in viris magnis locum ſuum habuiſſe, teſtes ſunt hiſtoriæ. Certè ATHANASIVS ab Arrianis præſtigiator habitus, dum vrbem Alexandriam aliquãdo ingreſſus eſſet: factum,

factum, vt cornix in aëre volitans crocitaret. quo audito, Græci eum ſcommate quaſi impoſtorē perſecuti, rogant quid cornix portenderet; qui vrbanè & ſine felle, *Cras*, inquit, *inſonat: quod Latinis poſterum diem deſignat. ſignificat autem, craſtinum diem, quo annuam hîc celebratis feſtiuitatem, non ex animo vobis ceſſurum.* Ita euenit: nam poſtero die mandatum ab vrbe ad eos miſſum, inexſpectati mali nuntium. Niceph. lib. 9. cap. 35.

IOANNES XXIIII. PONT.

Hic anteà Balthaſar Coſſa dictus, Bononiâ, vbi litteris operam dederat, Romam proficiſcebatur. Rogatus autem cur Romam tenderet; *Vt me Pontificem faciam*, reſpondit. nec inuanum. haud diu enim pòſt ab Alexandro V. ad Cardinalatus honorem euectus, ei in Pontificatu ſub nomine IOAN. XXIIII. ſucceſſit. Bapt. Fulgoſ. lib. 3.

NICOLAVS V. ET PIVS II. PONT.

Simile eſt quod ſubiicimus. Erat Thomas Sarzanus Orator Eugenij IIII. ad Cæſaream maieſtatem in Germaniam miſſus: cumque Alpes traiiceret, incidit fortè in Æneam Frederici III. legatum. cumq; in eamdem domum diuertiſſent ambo, & Æneas parciùs in victu ageret; ſubridens Thomas, *Ecquid*, inquit, *tantoperè victui parcimus: numquid vterque noſtrûm ad Pontificatum promouendus?* verè vterq; promotus. Thomas ſub NICOL. V. & Æneas ſub PII II. nomine, Pontificatus honore præfulſit. Bapt. Fulgoſ. lib. 1. cap. 3.

PAVLVS II. PONT.

Quo die Franciſcum Ruueram ad ſacrum Senatum promouit, dixiſſe fertur: *Hoc die ſucceſſorem meum elegi.* Ridebāt alij Pontificis dictum, at Franciſcus

ciſcus, ſumpto Sixti nomine, PAVLO vita functo ſucceſſit. Ibidem.

CLODOVÆVS GALL. REX.

Demus etiam ſuum locum ciuili ordini, &, qui eiuſdem ductor, CLODOVÆO. Quid iſte? inquies. Caſtra metaturus aduerſus Gothos, munera Diuo ſuo tutelari Martino Turonam mittebat: mandans ea deferentibus: *Ingreſſuri templum, obſeruate quæ futuri euentus ex bello quod paramus, coniecturã poſſent præbere.* Parent illi; & ecce templi limen ſubeuntes, audiunt monachos, veſpertinas horas Deo perſoluẽtes; & quidem illud Pſalmi Dauidici: Pręcinxiſti me virtute ad bellum. captatoque omine felici, ad Regem redeunt, omen nuntiant, quod euentus declarauit non fuiſſe vanum. Ibid.

LEONARDVS RVVERAS.

Erat hic Franciſci illius, de quo iam antè, ex fratre nepos; anguſta re & virtutis gloria homo omnium ludibrio expoſitus. cùm namque proprio nomine compellaretur, indignabundus, *Quin*, ait, *me Comitem appellatis?* Si verò de ducenda vxore ſermo haberetur, *Nolim*, dicebat, *aliam, quàm propinquam Regis.* Tulit igitur Patrui, qui tum Pontifex, fortuna; vt quæ de ſe per iocum prædicauerat, reipſa ad effectum deducerentur. Ibid.

ANONYMVS.

Neque miſſum faciam quod Seuero Imper. ex Anglia reduci non ſolùm victori, ſed pace etiam æternùm fundata, ſcurra quidam factus obuius, hunc in modum eſt vaticinatus: *Fuiſti Cæſar, totum viciſti, iam Deus eſto victor.* nec ita diu pòſt vita exceſſit Imperator. Eraſ. lib. 6. Apophth.

HEN-

HENRICVS SCHVARTZEBVRG. COMES.

Spectat huc etiam quod de HENRICO COMITE apud plerosque scriptum reperi. huic familiaris erat, si quando rem quampiam facere recusaret, hæc vox : *Si hoc fecero, mergar in latrina.* tulisse autem sui interitus præsagium in hoc prouerbio, docuit secutus euentus. Elfordiæ enim in cœnobio D. Petri (vbi cum Frederico Cæsare fuerat) in sordibus istis, collapsis latrinæ trabibus, suffocatus est. Phil. Cam. medit. Historic. cap. 86.

FREDERICVS ELECTOR ET IOANNES DVCES SAXONIÆ.

Erant hi fratres germani, Saxoniæ fortissimi Duces. Qui dum per Albim fluuium, recèns soluta glacie, Wittebergam nauigio pergerent : factum vt congelatæ moles Albi innatantes, iter impedirent, nauemque quassarent. In ripam itaque egressi, vident nauis carinam latè findi, ac latera resoluta decidere. quod interpretatus FREDERICVS, *Metuo*, ait ad fratrem, *post nos, nostræ nauis*, id est, *domus Saxonicæ dilacerationem.* quæ & subsecuta est. Peucerus lib. De diuinat.

THOMAS MORVS.

Emicuit etiam in hoc diuinandi beneficium. Narranti enim Annam Bolenam, quam Henricus Rex coniugem duxerat, incessanter tripudiare; *Hæc tripudia*, ait, *alium lusum adferent : nostris enim capitibus quasi pila pedaria hæc eius tripudia ludunt : quin & ipsius caput hunc ludum subibit.* Euenit vtrumque. Th. Staplut. in vita.

DIVITIÆ.

IESVS CHRISTVS.

AD DIVITIAS orationem conuertimus: quæ ex Chilonis ſententia, malorum theſaurus, & calamitatum omnium viaticum. quorum vtrumque breui hoc, at graui dicto CHRISTVS DOMINVS complexus eſt, cùm adoleſcentem ſe volentem ſequi, triſtem abire propter ſermonem quem dixerat, (Si vis perfectus eſſe, vende omnia quę habes, & da pauperibus) vidiſſet: *Amen dico vobis, quia difficilè diues intrabit in regnum cælorum. & iterùm dico vobis, Faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem* (ſtante videlicet diuitiarum amore) *intrarę in regnum cælorum.* Non negat tamen Eccleſiaſt. quin beatus ſit diues qui inuentus eſt ſine macula, & qui poſt aurum non abiit, nec ſperauit in pecunia & theſauris. Matth. cap. 19.

Sacra require tit. de DIVITIARVM *&* MERCEDIS CONTEMPTV, PECVNIA, *&c.*

SIGISMVNDVS CÆSAR.

Haud aliter (quod inter politicos homines, eoſque Principes, mirare) SIGISMVNDVS de diuitiarum natura & vſu ſenſit. Allata erant ad eum ex Hungaria aureorum quadraginta millia: quæ cùm ſub noctem in thalamo regio forent recondita, cogitare cœpit, quémnam in vſum tantum pecuniarum impenderet: cogitantem ſomnus deſtituit: itaque vocatis iis qui à cubiculo, conſiliarios duceſque accerſant, imperat. Vocati, intempeſta nocte accurrunt ocyùs, rem magnam autumantes. At Imperaa-

perator, arca aperta, illos aureos pro cuiusque meritis distribuit, dicens: *Ite, nunc securè nobis dormire liceat. nam quod somnum mihi ademerat, procul aberit à limine.* Rarum, & cui vix vllum par exemplum. Benè Iuuen. Sat. x.

Pauca licet portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus, gladium contumq́; timebis,
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis vmbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Æn. Syl. lib. 4. Comm. in res gestas Alphonsi.

MAXÆMILIANVS CÆSAR.

Non inferior in hac laude Ludouico MAXÆMILIANVS. numquam enim penes se opum aceruum, etiam si deferretur, remanere passus. Aiebat enim: *Hominum, non opum mihi demandata custodia: quibus si semel capiar, ilicò è rege seruus futurus sum.* Nam, vt iterùm rectè Iuuen. ibidem,

——— Plures nimiâ congesta pecunia curâ
Strangulat, & cuncta exsuperans patrimonia cēsus.

Iac. Spiegel. in Comm. Æn. Syl.

ADOLPHVS NASSOVIÆ, REX ROM.

Verè igitur & præclarè iste. cùm multa de diuitiarum gloria iactari audiret, *Præstat*, inquiebat, *vir sine pecunia, quàm è conuerso sine viro pecunia. animus est qui verè diuites facit.* Hinc Lucret. lib. 5. de Nat.

Quid? si quis verâ vitam ratione gubernat;
Diuitiæ grandes homini sunt, viuere parcè
Æquo animo. neque enim est vsquā penuria parui.

Golzius.

DIVI-

DIVITIARVM CONTEMPTVS.

S. HILARION.

ADmirabatur eum Cicero in Off. qui diuitiis ac opibus non moueretur, eumq; ſpectatu dignum arbitrabatur. Admiremur igitur viros inter Chriſtianos hoc gloriæ ſplendore inſignes, ſpectemus HILARIONEM, qui Conſtantio Imp. ſibi decem auri libras offerenti, eò quòd candidatum quẽdam graui nequitiæ ſpiritu liberaſſet, hordeaceum protulit panem, dicens: *Qui tali cibo aluntur, non maioris æſtimant aurum, quam lutum.* Hier. in vita, cap. 8.

S. THADDÆVS APOST.

Miremur etiam THADDÆVM: quem Abgaro Ediſſenorum Regi, aurum ſibi ob miracula perpetrata & iacta Euangelij ſemina offerenti, reſpondiſſe tradunt: *Si noſtra relinquimus, quomodo accipiemus aliena?* Sciebat illud Oſeæ cap. 9. Deſiderabile argentum vrticam hereditabit, lappa in tabernaculo eorum. Euſeb. lib. 1. Hiſt. cap. 15.

S. BASILIVS MAGNVS.

Vt in aliis omnibus, ita & hic magnus miranduſque BASILIVS. Cui dum Cæſareæ Præfectus ſuadere niteretur, in gratiam Imperatoris fidem negaret, promitteretque fauoris & opum copiam; *Hæc homini Chriſtiano*, inquit, *non conueniunt: ſed adoleſcentulis, iiſque qui talibus promiſſis capiuntur.* Trip. hiſt. lib. 7. cap. 36.

SS. MAXIMVS ET OLYMPIADES.

Quo tempore Chriſtiana pietas in Perſide inuicta permanebat, Decio tyranno oblati ſunt iſti. à

quibus dum facultates flagitaret, *Libẽter*, inquiunt; *nostra enim facultates & aurum, Christus est. ad hunc accedito, & veris diuitiis abundabis.* Baronius. Lippel. tom. 2.

S. EVPHRAXIA ANTIGONI FILIA.

Ecquis EVPHRAXIAM magnis illis viris adiungi à nobis indignabitur? quę patricij generis adoleſcẽti à parentibus quaſi deſponſata, ſumpto religionis velo, continentiã Deo vouit. promittentíque Theodoſio Imp. opulentam dotem ſi acquieſceret; *Opes*, inquiebat, *mea Christus est: tu tuas aliis dato.* Lubet hanc breui carmine etiam illuſtrare:

Quam non regna iuuant, non Lydius aurifer amnis,
Nec quas terrarum ſuſtinet orbis opes.
Hæc aliæ cupiant: cupit hæc modò paupere cultu,
Securo Christum tramite læta ſequi.

Sur. tom. 2. in vita.

FREDERICVS IMPERATOR.

Habet & hîc ſuas partes FREDERICVS. cùm enim Ladiſlaum Hungariæ Regem protegeret, & in ſuo palatio inſtitueret, non defuêre qui clàm perdendum puerum dicerent: vtpote cuius morte opes plurimas regnaq; conſequeretur. At IMPERATOR: *Ego ſanè non ita amo diuitias, vt impiis conſiliis perſuaſus, propter eas tam impium facinus attentem.* ô egregium, & verè regium ſermonem! Æn. Syl. lib. 3. Comm. de Reb. Alphonſi.

Require Apophth. de MVNERVM CONTEMPTV, MERCEDIS NEGLECTV, *&c.*

DOCI-

DOCILITAS.

THEODOSIVS IMPER.

AD DOCILITATEM vela dantes, vnde meliùs quàm à THEODOSIO exordiemur? tradiderat filios in diſciplinam Arſenio viro docto, iiſq; æterna memoria dignum ſemper verbum proloquebatur: *Si tales vos exhibeatis, vt vitam moreſque ad diſciplinam & Dei leges componatis; propenſum me fore ſcitote, imperium in manus veſtras tradere: ſin minùs, conducibiliùs erit priuati vos perſonam agere, quàm ſine vlla doctrina imperare.* Niceph. lib. 12. cap. 23. hiſt. Eccleſ.

CAROLVS MAGNVS.

Illuſtrius eſt quod addam. Inſtituerat CAROLVS, verus amor & delicium humani generis, Seminarium, in quo tenuioris fortunæ adoleſcentes non alebantur modò, ſed & omni diſciplinarum genere exercebantur; & alterum, in quo nobiliores inſtruerentur. Vbi autem illos præ his ampliorem in ſtudiis progreſſum feciſſe animaduertiſſet, eos ad dextrã ſegregatos, hoc ſermone compellabat: *Macti virtute eſtote filioli: vos manẽt ſacerdotia & dignitates non aſpernendæ.* Conuerſus verò ad alios; *Vos*, inquit, *comperi dicto imperioque noſtro inobedientes. Deum teſtor! nihil penitus commodi honoriſque à me ad vos profecturũ.* Auentinus lib. 4. Annal. Boior.

DOCTRINA.

PIVS II. PONTIFEX.

DOCTRINAM, quâ pulchrior ac nobilior nulla eſt poſſeſſio, in præſenti adducimus, & pro ea

PIVM II. PONTIFICEM. cuius memoranda vox: *Cui plura nosse datum est, eum maiora sequuntur dubia.* Cur ita? Fit namque vt vbi rem quāpiam accuratè inuestigaueris, tum demum ea in animum veniant, quæ ad rationem perfectionemq; illius plenè indagandam conducere videntur. Platina in vit.

IVLIANVS CARDINALIS.

Huic in Bibliotheca assiduè lectitanti dum quidam obiecisset, Quid hîc inter mortuos solus latitas? cur non exis ad nos, qui suauiter viuimus? *Imò*, inquit, *hi famâ viuunt : tu verò neque nomine, neque re.* Sensit & hic cum Diogene, vitam sine litteris mortem. Æn.Syl.lib. 3. Comm. de gest. Alphon.

TILIVS NOBILIS REG. FRANC.

Erat hic ex illis qui Francisci primi vestigia sectatus, litteras (quæ anteà sordidæ inter nobiles reputabantur) in aulam Franciæ reduxit. cui proinde in ore frequens illud: *Litteræ Equestris ordinis dignitatem confirmant, & ab ignobilitate vindicant.* Refert Greg. Richterus in Axiom. Polit.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Iterùm ALPHONSVM compello: à quo profectum aliquando, *Malim priuatam vitam agere, quàm eruditione carere.* ita enim eum affecerant litteræ, vt Ioan. Efernitanus rari iudicij ingeniique vir clarissimum hoc de eo tulerit testimonium, nisi Rex fuisset, eximium Philosophum futurum fuisse. Panorm. de gest. Alphon.

Require Apophth. de LIBRORVM DELECTV.

DOCTRI-

DOCTRINA IN PRETIO HABITA.

LEO IMPERATOR.

CVm tanta tamque celebris sit ERVDITIO, quis miretur eam magno in pretio habitam aliquando apud magnos? LEO IMP. qui Martiano successit, dicenti cuidam ex Eunuchis, quòd Eulogio philosopho frumentariam tessaram dari mandasset, militibus eiusmodi largitionem faciendam; respondit: *Vtinam is semper sit meorum temporum status, vt mihi liceat militum stipendia in litterarum magistros transferre!* Suidas.

ALEXANDER SEVERVS.

Ille Macedonem Alexandrum imitatus, quotquot in Italiam se conferrent viri doctrina præstantes, suo fauore complectebatur. ita vt aliquando apud exterarum nationum Legatos gloriari solitus sit: *Rari in orbe docti, quibuscum aut verbo aut scripto non fuerim locutus.* Laus digna Regibus, & quàm hereditariam illis esse decet. I. Spinæus lib. 4. de Tranquill. animi.

SIGISMVNDVS IMP.

Miro etiam fauore complectebatur eos, quos in litterarum studio profecisse intelligebat. reprehensus autem, quòd litteratos, obscuro aliàs genere & loco natos, foueret; *Quid ni*, respondebat, *amem eos, quos natura ceteris voluit antecellere?* Videbat certè ingenij ornamenta longè præclariora externis corporis donis. Iac. Spieg. in Æn. Sylu.

IDEM.

Quin idem ipse Georgium Fiscellum legis Do-

ctorem equestris militiæ insignibus donauit. Cumque is Basiliensem Synodum vnà cũ SIGISMVNDO subiisset, & doctoribus equitibusque suis deputaretur locus, dubius hæsit, cuínam se ordini associaret. tandem ad equites declinat. cui ilicò SIGISMVNDVS: *Stultè agis, qui litteris militiam præfers: nam ego milites mille vna die fecerim, Doctorem verò mille annis non fecerim.* meritò doctrinam militiæ præponens. Æn. Sylu. lib. 4. Comm. in Gesta Alphonsi.

ROBERTVS REX NEAPOLIS.

Huic item & litteræ & litterati vsque adeò chari, vt aliquando audita ab eo regia illa vox: *Cariores mihi litteræ regno.* Vtinam etiam ea mens in aliis regibus nostri orbis! I. Lips. lib. Monit. Polit. cap. 7.

ALPHONSVS ARAG. ET NEAP. REX.

Eiusdem vt regni ita & animi ALPHONSVS, quem non semel in hanc vocem prorupisse tradunt: *Malim regnorum omnium* (septem ea numerabat) *iacturam facere, quàm minimam doctrinæ.* Affectum probauit effectus. Bibliothecas enim instituit, exornauit, auxit: viros doctos, non secùs ac Mæcenas ille Horatianus, amore & honore summo est prosecutus: verè dignus longiori æuo princeps. Ibidem.

IDEM.

Et vt priori illud annectam: intellexerat quosdam Europæ principes viros ad Basiliensem Synodum destinatos: & quasi indignabundus; *Parum decere*, aiebat, *cùm de iure diuino humanoque sit disceptandum, nobilitatem potentiámve iactare: sed doctrinam & eruditionem requiri.* Æn. Syl. lib. 3. Comm. in Gest. eiusd.

IDEM.

Idem.

Quò magis progredior, eò me in altum magis inuehi ſentio. dabitis mihi ergo hanc veniam viri illuſtres, ſi Alphonsvm rurſus propono. Ille equidem erga omnes beneuolus, ſolos illitteratos deſpexit; vixdum hominis eos nomine dignatus. Ennianum enim illud ſubinde obmurmurabat, *Vulturis* (genitiuus pro nominatiuo ad ritum priſcum) *in ſyluis miſerum mandebat homonem.* ægrè eos homines vocitabat; in quibus nihil hominis, effigiem præter, animaduertebat. Panorm. lib. 1. de Geſt. Alphonſi.

Henricvs viii. Angliæ Rex.

An dignus eſt, qui inter hos locum habeat Henricvs? homo nefarius & crudelis, vnâ tamen (licet ad impium finem) voce, meritus fortaſſis clemētiſſimis optimiſq́; accenſeri. Cogitabat de repudianda Catharina legitima ſua coniuge, quam & repudiauit poſtmodum: vnde excidia hæc & bonorum clades: & ſumma ope enitebatur præclaros quoſuis in ſuam ſententiam pertrahere, adeoq́ue Thomam Morum: cuius ſolius adſtipulatio tanti apud eum facta fuiſſet, vt diceret: *Malim ſolum Morum, quàm dimidiam regni mei partem, decreto inſtitutoq́ue meo aſſentiri.* At neque ad eam impietatem pertractus Morus, ſed ad veram gloriam: iſte ad æternam pœnam. N.Sander. lib. 1. de Schiſm. Angl.

Margareta Scotiæ Reg.

In Scotiam tranſeo, vbi Margaretam Reginam video, iure primis illis annumerandam, ſi non præferendam. Obambulabat, vt fit, palatium, & ecce conſpicatur Alîam Chartiet, virum notæ deformitatis, at eruditionis eximiæ, obdormiſcentem

inter subsellia procubuisse. Accedit palàm, cum amplectitur, eleuat, & mirantibus (quis hęc facientem Reginam non miretur?) quòd virum tam deformem exoscularetur: *Virum*, inquit, *amplexata non sum: sed os illud, ex quo tot insignes prodiêre sermocinationes*. Vnicum quod sciam in fæmina exemplum. inuisa namque eruditioni bona pars illius sexus. Auct. Serm. memorab.

FRANC. SFORTIA.

Erat hic litterarum expers, amantissimus tamen eorum qui illas fouebant. Rogatus autem, cur litteras nesciret; *Quia*, inquit, *non didici vnâ eademq́; manu librum tenere & gladium*. P. Iouius.

DOCTRINA FACTIS CONSENTANEA. *Require Apophth. de* ACTIONE.

DOLOR.

PASTOR ANACHORETA.

BEatos eos qui hîc lugent, quoniam postmodum consolabuntur, inquiebat Saluator. eiusque dicti memor PASTOR ANACHORETA, cùm Arsenium lachrymis madentem esset cōspicatus, dicebat: *Beatus verè es Arseni, quòd cùm teipsum in hac vitâ luxeris, non erit opus lachrymis in futurâ*. Sur. tomo 4. ex Palladio.

F. BORGIA SOC. IESV.

Quantum autem vtilitatis successiui dolores homini Christiano adferant, tacitus secum considerabat FRANC. BORGIA: cuius assiduæ illæ ad Deum preces, vt deliciæ in cruciatum verterentur, ac dolores voluptati essent. Itaque Lermæ Comitissam cùm mœstam videret, hoc dicto solabatur: *No-*

lenti

lenti dolores Deus immittit, postulanti negat. Ribad. lib. 4. cap. 5. vitæ eius.

DOLVS ET FRAVS.

LVDOVICVS XII. GALL. R.

SInceritati contrarium DOLVM FRAVDEMQVE miro ingenij acumine in Antonio Viuonio equite detexit carpsitque LVDOVICVS. Cùm enim apud eum referret Antonius se aliquando iuuenē adhuc vituli pelle contectum, solitum in aucupium descendere, quò aues falleret: ille hominem callidū & fucatum perstringens, *Verè,* ait, *tu haud omnino adhuc eam pellem exuisse videris.* astutos enim & fraudulentos, vulpino nomine vulgò nuncupamus. Ita olim Persius in Satyris Damam seruum corripiens, dicit:

Pelliculam veterem retines, & fronte politus,
Astutam vapido seruas sub pectore vulpem.

Annal. Franc.

MILES ANONYMVS.

De tribus exigeret cùm vilibus Euclio drachmis
Fœnus ab vrbano milite; MILES *ait:*
Ne diffide, dabo: *dubiisque fefellit auarum*
Dictis, accepto nam dedit ære fugam.

Ex collectis & relatis Auctori.

DVX BONVS.

ALBERTVS AVSTRIACVS.

VT sumptum elleborum concitatis priùs omnibus, ipsum se imprimis prodit, & egreditur: ita fortissimum Ducem, cohortatis & in ordinem dispo-

diſpoſitis ſuis, inter primos egredi oportere, teſtatus eſt AVSTRIVS ALBERTVS. Cùm enim copias in Bohemos duceret, priuſquam Romanis imperitaret, ac rogaretur, quémnam ſuo exercitui ductorem præficeret; animosè profectò: *Si alium quàm me ductorem exercitus petitis, fruſtrà me Auſtriæ Ducem appellatis.* eum Ducis nomine dignum reputabat, qui reliquos duceret, & quem fortiter pugnantem, reliquus exercitus ſequeretur.

--Cogit enim tantos perferre labores
Sola Ducis virtus, qui nuda fuſus arena
Excubat, atque omni fortunam prouocat horâ.

vt ait Lucan. Æn. Syl. lib. 3. de Geſt. Alph.

LAVRENTIVS ALMEIDA LVSIT.

Æquè fortiter atque animosè iſte. cum Mahumetanis nauali prælio decertabat; eáque quâ vehebatur nauis, in ſupremum videbatur diſcrimen adducta: monitus ergo ſaluti ſuæ proſpiceret, quaſi minabundus iſtius conſilij auctoribus, *Non*, ait, *mihi decorum id periculum euitare, & commilitones in eodem conſtitutos deſerere: non mortem, ſed infamiam extimeſco.* Oſor. lib. 5. Hiſt. Eman.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Dicebat aliquando ille: *Magnum eſt populi aduerſus hoſtem Ducem eſſe: maius tamen ciuibus ad virtutem.* quare non ineptè olim Pauſanias Pliſtonactis F. percontanti quónam pacto debellari poſſent Thraces; Si, inquiebat, eum belli ducem delegerimus, qui vir optimus eſt. vt videlicet non minùs ad virtutem, quàm aduerſus hoſtem ducatum præbeat. Panorm. lib. 4. de eiuſd. Geſt.

IDEM

Vt erat clementiſſimus, dum parta de hoſtibus memo-

memorabili victoria triumpharet: victos captosq; in triumphum adduci non est passus. dicens: *Potiùs ob seruatos hostes, quàm cæsos, triumphandum.* nam

---Ignoscere pulchrum
Iam misero, pœnèque genus vidisse precantem.

Panorm. lib. 1. de eiusd. Gest.

EBRIETAS.

BASILIVS MAGNVS.

TVrpissimum dicebat Augustinus vino obrui eum, qui ferro vinci nequiret: potandi libidine superari, qui bello non posset. Certè BASILIVS, quid esset EBRIETAS, percontanti, respondit: *Est Dæmon sponte admissus in animum per voluptatem. Mater malitiæ, impugnatio virtutis, ex forti timidum facit; ex modesto lasciuum; iustitiam ignorat, prudentiam abolet.* Ant. & Max. Serm. de Ebriet.

F. BERNARDINVS PALOMVS.

Huic autem sæpiùs in ore: *Vinum duo potissimùm mala comitantur: si namque dilutum sumas, ipsum corrumpis: si non diluas, ipse corrumperis.* Floresta.

ALHONSVS ARAG. REX.

Considerabat eadem ille. ideoque rogatus, cur præter Magnatum morem vini expers viueret; respondebat: *Vino sapientia obscuratur. quare non decet Regem, vt huius immodica compotatione in animo extinguat illud, sine quo Imperatoris aut Regis nomen tueri non posset.* Sciebat enim quòd

Nox, & amor, vinumq; nihil moderabile suadent.

Panorm. lib. 2. de eiusd. Gestis.

IDEM

Aliàs per oportunitatem rogatus, cur vinum tanta

tanta aqua dilueret? *Ne me*, inquit, *inebriet. Scio namque quantum Macedonis Alexandri gloriæ obfuerit ebrietas.* Ibidem.

IDEM

Rursus simile sciscitanti, cur videlicet in tantùm Ebrietatem detestaretur, respondit: *Quia scio Furorem & Libidinem eius filias esse.* Probè igitur monet Horatius:

At ne quis modici transiliat munera Liberi,
Centaurea monet cum Lapythis rixa super mero
Debellata. ——— Ibidem.

GERMANVS ANONYMVS.

Instituerat Ferdinandus Imp. ludos publicos in nuptiis Hyppolitæ & Alphonsi filij sui. ad quos cùm omnis generis sexusque homines conuenissent, eorumque celebritatem admirarentur; in media laudantium plaudentiumque corona, GERMANVS quidam vocem efferre, & inclamare cœpit: *Valeant ludi quibus nemo bibit.* Hem! egregium virum, & verè Epicuri de grege porcum, cuius omnis animus (vt inquit ille) in poculis & patinis! Pontanus.

CAROLVS V. IMP.

Addo facetum hoc nostri quondam Principis. Monebatur aliquando in castris Germano militi legem daret, ebrietatis vitandæ gratia. At ille, *Quid* inquit, *Germano Ebrietatem interdicerem? perinde id foret, ac si Hispanis furta aut rapinas inhiberem.* Corozetus, & alij.

Require Apophth. de CÆCITATE.

ECCLESIA EIVSQVE IMMVNITAS ET AVCTORITAS.

Iesvs Christvs.

PRosequamur nunc ordine Æterni Regis Sponsam in terris, columnam & firmamentum veritatis, Ecclesiam : cuius auctoritatem potestatemque insinuans ipse eius Dominvs, dum de obedientia illi præstanda sermocinaretur, *Si*, inquit, *Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* id est, Si Ecclesiæ obtemperare noluerit; ne consortio eius vtaris, siue in diuinis, siue in humanis. Ita enim Iudæi habebant Ethnicos & Publicanos, vt eorum mensâ & consortio se pollui arbitrarentur. & verè non habebit vmquam Deum patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem. Matth. cap. 18.

S. Hvgo Episcopvs Lincolnien.

Immunitatis Ecclesiasticæ vindex & protector eximius, numquam se conscio quicquam in Ecclesiæ præiudicium attentari permisit. vnde & Regum malleus, eâ ætate nuncupatus. Rogantibus autem amicis, vt maioris periculi euitandi causa, in re parui momenti, Regi contra Ecclesiæ auitum ius adstipularetur, dixisse fertur: *Absit, vt me viuo laici, cuiuscumq; etiam dignitatis, Ecclesiasticæ libertatis priuilegium infringant.* Sur. tom. 6. in vita.

Idem

Cùm forte Diœcesis visitandæ causa iter ageret, obuiam habuit hominum sine ordine discurrentium turbam, qui furem ad supplicij locum de more deducerent. Reus Episcopum adesse ratus, propiùs

piùs pro conſequenda benedictione adduci poſtulat. Eo viſo EPISCOPVS, miſericordia motus: *Soluite, ait, & ſinite abire. vbi enim Epiſcopus cum fidelium populo congregatus eſt, ibi eſt Eccleſia: neque minor immunitas debetur lapidibus viuis, quàm mortuis.* Ibidem.

S. THOMAS CANTVARIEN.

Et hic quoque in hoc amoris & ſolicitudinis genere excelluit. mortem quippe ſibi minitante ſicario: *Ego verò*, aiebat, *pro Domino meo mori paratus ſum, vt Eccleſia Anglicana meo ſanguine pacem & libertatem aſſequatur.* Thom. Staplut. in Apolog. & Sur. in vita eiuſdem.

INNOCENTIVS II. PONT. ET FREDERICVS II. ROGERIVS IMP.

Erat is FREDERICVS, qui in id ſolùm incumbebat, vt Eccleſiæ auctoritatem integritatemque eneruaret. Quare à pluribus ſummis Pontificibus iuſtè diris deuotum, deſpexit INNOCENTIVS, ac Cæſaris nomine indignum iudicauit. Ille autem ore procaci hoc diſticho in Pontificem luſit:

Roma diu titubans, variiſque erroribus acta,
Corruet, & mundi deſinet eſſe caput.

cui PONTIFEX, vt erat ſummo ingenio, reſcripſit:

Niteris incaſſum nauem demergere Petri:
Fluctuat, aſt numquam mergitur illa ratis.

At ſui impos FREDERICVS, denuò INNOCENTIVM perſtringens, ſubiecit:

Fata volunt, ſtellæq; docent, auiumq; volatus,
Quòd FREDERICVS *ego malleus orbis ero.*

Verùm intemperatum illud augurium eludens INNOCENTIVS, ita ad extremum reſpondit:

Fata

Fata volunt, Scriptura docet, peccata loquuntur:
Quòd tibi vita breuis, pœna perennis erit.
In Paralip. Ab. Vrſp. Ioan. Wolf. tom. 1. Lect. memor. p. 323.

THEOLOGVS ANONYMVS.

Dignus item ille, qui ſe prioribus aſſociet. Erat Regis Angliæ curator, homo nefarius, & Caluini lacte nutritus. Hic dũ fortè DOCTORI THEOLOGO in conuiuio, die ieiunij ab Eccleſiâ indicti, aſſideret, carneſq; nolenti adminiſtraret, diceretque: Quam Scripturam adfers domine Doctor contra hunc cibum hodie comedendum? confeſtim ille verba Apoſtoli ſubiecit, inquiens: *Nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* quo dicto obſtupuit alter, & obmutuit. Corozet.

PIPINVS REX GALL.

Magis admirandi laudandique hi, quò ab Eccleſiaſtico ordine ſunt remotiores. In Galliam itaque ſecedenti occurrit PIPINVS REX, verus, ſi alius vllus, Eccleſiæ fautor & protector. Dum namque aduerſus Longobardos caſtra mouiſſet, ſuos adhortatus, tandem hoc dicto ſermonem finiit: *Eo conſilio arma induimus, vt Apoſtolicam ſedem ab omni mortalium iniuria vindicemus.* Hinc meritò ei nomen Chriſtianiſſimi obtigit: quod ab eo, licet non eodem iure, omnes poſteri vſurparunt. Barland. in Chron. Duc. Brab.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Emittat hîc etiam ſuos radios ALPHONSVS: qui Piceno ſuo Marte Sedi Apoſtolicæ recuperato, cùm ab Eugenio PP. vrbes aliquot dono offerrentur, fortiter recuſauit, dicens: *Nequaquam queſtus aut prædæ, ſed Eccleſiæ tuendæ gratiâ hanc expeditionem*

ſuſcepi. Heu! vbi nunc ille Principum feruor & zelus? Panorm. lib. 3. de Geſt. eiuſd.

ECCLESIÆ BONA.

CLEMENS IIII. PONT.

ERat hic, priuſquam ſacris initiaretur, Bononiæ legum Doctor & Profeſſor. Itaque cùm ob merita & virtutes ad Romanæ Cathedræ honoré euectus eſſet, eiuſque filiæ, quas ex priori coniugio binas habebat, dotem paternæ conditioni æqualem poſtularent, reſpondebat: *Papa non habet filias: ſufficiens vobis ſit, relicta à maioribus parentibusq; hereditas.* & ita inanes, raro, ſed illuſtri exemplo dimiſit. Bap. Fulgoſ. lib. 4. cap. 3.

LAVRENT. IVSTINIANVS PATRIARCHA VENETVS.

Illud in Pontifice, hoc ęquè illuſtre in PATRIARCHA. Habebat namque conſanguineum IVSTINIANVS tenuioris fortunæ quàm animi: qui cùm apud eum inſtaret frequentiùs, filiæ ſuæ, quam vnicam habebat, ampliori dote ſuccurreret, quo nobiliori marito deſponſaretur; prudens hoc & pium ab eo reſponſum accepit: *Conſidera quæſo, frater, ſi parum dedero, non eſt quo opus habes: ſin multum, defraudauero multos, vt vni ſatisfaciam. ac proinde quidquid meum eſt, ad cibos pauperum potiùs, quàm ad intortos crines aut margaritas, ab Eccleſia relictum eſt.* In vita eius apud Surium tom. 1.

Vide Apophth. de BENEFICIIS ECCLESIAST.

AB ECCLESIA ARCERE INDIGNOS.

Babylas Episcopus.

MAgno sanè pioque Ecclesię Dei zelo succensi olim viri sancti, inidoneos ab eâdem arcebant. domum Dei quippe per eos contaminandam rati, qui se illa fecissent indignos. & quidem Babylas Deo sacrificium immaculatum offerens, cùm videret Numerianum per Ecclesiæ cancellos introspicientem, magno ei animo obstitit, dicens: *Non licet tibi cruore & idolorum sacrificiis polluto, tam petulanter in domum Dei ingredi, & diuina mysteria contaminatis oculis contemplari.* Nicephor. lib. 6. hist. cap. 34.

Polyeuctus Patriarcha.

Neque minùs animosè ille. Ioanni enim Zimisco, qui Nicephorum Phocam, cuius imperium affectabat, interfecerat, ad imperij apicem euecto, dum in templum Constantinopolitanum diademate iamiam insigniendus properaret, factus obuius, ita eum aggrediebatur: *Non decet talem ingredi Ecclesiam, cuius manus adhuc stillant recenti sanguine sui cognati.* Cedr. Cusp.

Theodosius Imp.

Hunc autem zelum viris illustribus defuisse, ne quisquam dicere audeat; monet Theodosius Imperator. dum enim de vniendis pacificandisque Ecclesiis cogitaret, Demophilum Arrianæ pestis præfectum, eò quòd à scelerato dogmate discedere abnueret, his dictis compellauit: *Si pacem concor-*

diamque declinas, fugere te etiam à sacris Basilicis præcipio. Indignum eum iudicabat sacra limina contingere, in quibus auctor pacis domicilium fixisset. Socrat. hist. Trip. lib. 8. cap. 10.

Plura require infrà de EXCOMMVNICATIONE.

ECCLESIASTICI HONORANDI.

CONSTANTINVS IMP.

SI stulta illa & superstitiosa deorum cultrix antiquitas, nescio quid diuinum in Sacerdotibus Flaminibusque suis suspicata, summo eos honore ac veneratione prosequebatur: quis miretur eumdem nunc impendi iis, quos Deus ipse, tamquam operis sui vicarios, Sponsæque suæ perpetuos protectores, constituit Ecclesiæ ministros. Quorum honorem reuerentiamque ita in omnibus tuendam existimabat CONSTANTINVS, vt illorũ vitam detrectantibus, aures clauderet, diceretque: *Si in Episcopum aut Monachum fornicantem incidissem, sustulissem chlamydem, eique imposuissem, vt à nullo oculo videretur.* Sciebat autem prudens Imp. talium delicta, leui & malignanti populo magnum ad vitia præbere incitamentum. Sur. to. 1. de S. Ioan. Eleemos.

PHILIPPVS AVGVSTVS F. R.

Et hic non nomine dumtaxat, sed re etiam ipsa AVGVSTVS. Ad quẽ cùm deferretur, Ecclesiasticos nimis latè suæ iurisdictionis limites extendere, ac crebriùs Regi præiudicare, respondit: *Credo rem quandoque se ita habere: at memor beneficiorum Dei, malim auferri mihi iura mea, quàm cum seruis Dei litigare, aut cum Ecclesia contendere.* Ita ille olim: nunc

nunc autem ſola ea ſpolia iuſta reputantur, quæ Eccleſiæ, eiuſque miniſtris, quouis tandem modo detrahuntur: ita vt noſtri ſæculi pſeudoprophetæ, pro concione non erubeſcant populo annuntiare, præcepto de nõ furando, Eccleſiaſticorum prouentuum rapinas non vetari. Ionuil. cap. 93.

Henricvs II. F. R.

Eodem in regno & virtute ſucceſſor Henricvs. Cùm Lutetiam more maiorum ingreſſus, publico epulo in palatio exciperetur, ambigerentque Eccleſiaſtici & ſæculares Principes, quínam dextram ſiniſtrámve Regis clauderent; *Meam*, inquiebat Rex, *dextram Eccleſiæ dedi, dedicauique.* Iuſſitque Eccleſiaſticos Principes, non ſine multorum fremitu, ad dexteram ſuam accumbere. Lud. Aurel. ex Annal. Franc.

EDVCATIO LIBERORVM.

S. Lvdovicvs F. R.

Totius Reipub. fundamentum, Liberorvm edvcationem dicebat Diotogenes Pythagoræ auditor: quia facile eſt tenellos animos componere, & quaſi ſub pollice ad quoduis ducere. Cuius rei exempla à Lvdovico auſpicabimur. qui priuſquam ſe quieti componeret, vocatis filiis, facta dictaque Principum proponebat; tam eorũ qui laudabilem vitam duxerant, quàm qui nefariam. monebatque; *Illorum exempla animis veſtris inculcate: vt & meliores euadere, & ab omni flagitio, prouectiores effecti, abſtinere valeatis.* Significabat enim in iis potiſſimùm inſtituendos adoleſcentes, quibus vſuri ſunt, cùm ad virilem peruenerint ætatem. Ita glo-

riatum de seipso legimus Persium, quòd à Cornuto, viro erudito & Philosopho eximio, adhuc puer liberalibus disciplinis imbutus fuisset. ait enim Sat. 5.

Cumq; iter ambiguum est, & vitæ nescius error
Deducit trepidas ramosa in compita mentes;
Me tibi supposui: teneros tu suscipis annos
Socratico Cornute sinu: tunc fallere solers
Apposita intortos extendit regula mores,
Et premitur ratione animus, vinciq́ue laborat,
Artificemq́ue tuo ducit sub pollice vultum.

Ionuil. in eius vita, cap. 87.

IDEM

Vt erat pietate & modestia eximius, cuicumque se operi daret, salutiferæ crucis signo frontem, pectusq́ue, & os præmunire solitus. Dicebat enim: *Ita me mater puerum instruxit.* Corozetus.

S. ANSELMVS.

Egregius hic morum vitæq́ue institutor. qui intelligens cœnobij cuiusdã Præpositum durius cum iis agere, qui se religioni eiusq́ue obedientiæ deuouerant, eosq́ue deteriores indies euadere; *Quàm benè*, inquiebat, *nutrimentum expenditis, qui de hominibus bestias nutriuistis?* Surius in vita. Edinerus, & alij.

IDEM.

Eiusdem etiam paterna illa vox, dum de liberorum educatione interpellaretur: *Cupitis*, inquit, *pueros optimis ornari moribus? necesse est, vt cum seueritate disciplinæ, paternæ pietatis & mansuetudinis leuamen eis impendatis.* Ibidem.

GISBERTVS DVVENORDIVS.

Quid verò iste? Erat vir genere & religione nobilis:

bilis. cui cùm agyrta quidam ſtigmaticus, magiſtri ſui proponeret ſequenda veſtigia; *Quid ais*, inquiebat, *ſodes? non eſt quòd meque teque fatiges. quæ enim puer imbui, ſenior reſpuam?* Sanè,

Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem
Teſta diu.

P. Opmerus in Mart. Holl. manuſcr.

ELECTIO.

APOSTOLI CHRISTI.

AD ELECTIONIS exempla progredientes, vnde meliùs quàm ab APOSTOLIS CHRISTI ordiemur? qui graui illa oratione à Petrò habita, propoſuerunt eligere virum aliquem ex iis qui Chriſtum ſecuti fuerāt, in locum proditoris Iudæ, vt vnà cum eis teſtimonium præberet reſurrectionis Domini. Et ſtatuerunt duos, Barſabam & Matthiam: oranteſque dixerunt, *Tu Domine qui noſti corda omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum.* Quorum exemplo monemur, non niſi certa deliberatione, ac perſonarum cognitione præuia, per diuini nominis inuocationem, ad quamuis electionem procedendum. Act. cap. 1.

HONORIVS IIII. PONT.

Hunc vnicum dumtaxat Ioannem Buccamatium Epiſc. Tuſculanum ad ſacrum Senatum ſuo Pontificatu adſciuiſſe tradunt: ac pluribus ob id indignantibus, dicebat: *Boni tantùm & docti, in tantum collegium adoptandi.* Plat. in vit.

SIGISMVNDVS IMP.

Non longè à ſcopo hoc aberrabat SIGISMVNDVS. qui diu multumque de Procerum delectu in ſuam curiam ſolicitus; *Eos reges*, inquit, *in terris beatos exiſtimo, qui eiectis ex ſua curia ſuperbis, viros manſuetudine & miſericordia præclaros, aſſeſſores habent.* Æn. Syl. de Dict. Sigiſm.

VALENTINIANVS IMP.

Æuo ſuperior, aſt animo hic par cum priori VALENTINIANVS. Contendebat apud eum Epiſcoporum concilium, vt Mediolanenſibus Antiſtitem deligeret. Verùm ille, *Maior*, inquit, *hæc prouincia, quàm quæ noſtris viribus queat ſuſtineri. vos itaque diuinâ repleti gratiâ, meliùs hocce negotiũ tranſigetis.* Neque id malè. decet enim electionem ab iis fieri, qui paris ordinis aut conditionis cum eo qui eligendus. Theodoret. lib. 4.

ELEEMOSYNA.

IESVS CHRISTVS.

AD ELEEMOSYNAM tranſitum facimus, quæ ardentium criminum globos beneuolentiæ ſuæ fonte refrigerat, & irriguo largitatis obruit incendia delictorum. Huius autem præſtantiam dignitatemque pauciſſimis verbis expreſſit SALVATOR, dum ad prandium vocatus à Phariſæo, accubuiſſet; ac intra ſe reputans Phariſæus diceret, quare non eſſet baptizatus ante prandium. reprimens enim inſulſam eius intentionem mentemque DOMINVS, tandem ſubdidit: *Verumtamen quod ſupereſt, date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis.* Ita olim pauperum pater Tobias: Eleemoſyna ab omni

omni peccato & à morte liberat, & non patietur animam ire in tenebras. Luc. cap. 11.

Zachævs Pvblicanvs.

Hæc cùm ita ſint, quis non excuſſo tenacis auaritiæ compede ad liberalitatem gradum feret, & de iis ſaltem quæ ſuæ ſuperſunt neceſſitati, aliorum indulgebit inopiæ? Zachævs publicanorum princeps, & ipſe diues, ante Dominum conſtitutus; *Ecce*, ait, *dimidium bonorum meorum do pauperibus.* verè dignus, cuius domui ſalus facta eſt à Domino. Luc. cap. 16.

Serapion Monachvs.

Neque hic immemor diuinæ promiſſionis, Qui pronus eſt ad miſericordiam, benedicetur. Cùm enim præter tunicam, pallium, & codicem Euangeliorũ haberet nihil, duobus pauperibus factus obuius, alteri pallium, alteri tunicam obtulit. cumq; iã nudus ſederet, interrogatus, Quis te deſpoliauit? protento codice quem ſub alis geſtabat; *Hic*, inquit, *me nudauit.* Alios poſtmodum conſpicatus mendicantes, codicem vendidit; pretiumque illis diſtribuit, dicens: *Domini verbum eſt: Vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* quod necdum ſe impleuiſſe putabat, donec ſeipſum poſtmodũ in ſeruum venderet Gentilibus, vt eos ita Domino lucraretur. Verè pius ac miſericors Serapion, & meritò Seraphicis ordinibus poſt mortem adſcribi dignus. Pallad. in Vitis P P.

S. Lavrentivs Martyr

A Decio tyranno quæſtione agitatus, vt argentum indicaret quod Philippum Philippi Auguſti filium olim Eccleſiæ obtuliſſe conſtabat; protenſa in pauperes manu, quibus illud iamdudum eroga-

uerat: *Apud hos*, inquit, *Philippi argentum depositum seruatur.* At Decius illudi sibi putauit: qui, vbi veræ diuitiæ veraque gloria esset, ignorauit. Ambros. Off. lib. 2. Prudent. in Peristeph.

S. IOANNES PATRIARCHA ALEXANDRINVS.

Quid autem de illo dicam? cui in pauperes innata liberalitas & beneficentia, Eleemosynarij nomen peperêre. Ministris enim conquerētibus, quòd iis qui peterent eleemosynas, intermiscerēt se puellæ quædam comptæ ac ornatæ, rogarentque num illis quidpiā dari vellet? ille in omnes æquè beneuolus; *Si*, inquit, *discipuli ac distributores mei & Christi esse vultis, parete diuino eius iussui, qui iubet dari petentibus.* Quod est contra illos qui nimium curiosè inquirunt de vita & statu mendicantium, vt eis quidquam elargiantur. Sur. tom. 1. in vita.

IDEM.

Quin & de eodem illo posteritati relictum, quòd, dum in ærarium publicum Reipub. necessitatibus subleuandis referre iuberetur, quidquid in pauperum vsus indies erogabat, respōderit: *Iustum non est, vt quæ cælesti Regi sunt consecrata, terreno prodantur.* Ibidem.

S. LVDOVICVS FRANCORVM REX.

Neque obscurum benignæ liberalitatis exemplar iste. vt enim erat genere, ita & largitate vitæque innocentia clarissimus: nam quocumque locorum se conferebat, centum & viginti (duplicato autem numero tēpore quadragesimali) pauperes per singulos dies cibis regiis alebat. quibus etiam, maximè solennibus diebus, ministri & pincernæ officium exhibebat. Quare cùm ob id cauillarentur familia-

miliares; *Meliùs*, aiebat, *hos ſumptus in pauperes confero, quàm in luxum. Hac enim ratione, opes regnumque ſtabilitur.* Ionuil. in vita, cap. 84.

VRBANVS PONT. MAX.

Ea autem quæ in ſinu miſerorum reconduntur, in cælum inferri, palàm teſtatus eſt VRBANVS. à quo cùm Cæciliæ martyris theſauri, quos diſpenſandos acceperat, poſcerentur: quoniam indigentibus eos impenderat, aiebat: *Cæciliæ theſauros manus pauperum in cælum ſuſtulerunt.* Faciamus ergo nobis amicos de Mammona iniquitatis, vt cùm defecerimus, recipiant nos in æterna tabernacula. nam vt benè etiam Martial.

Extra fortunam eſt, quidquid donatur amicis.
Quas dederis, ſolas ſemper habebis opes.

In hiſtor. Cæciliæ. Marul. lib. 1. cap. 2.

ALEXANDER V. PONT. MAX.

Celebratiſſimus quoque hoc in genere ALEXANDER. qui vſque adeò in egenos munificus, vt aliquando vix quidquam ſibi ſupereſſet in vſum. Vnde & per iocum dixiſſe commemoratur: *Fui diues Epiſcopus, pauper Cardinalis, mendicus Pontifex.* Exulabat ergo ab eius pectore impius habendi error, qui aliàs cũ re & ætate ſolet accreſcere. iuxta illud:

Creſcit amor nummi, quantum ipſa pecunia creſcit.

Platina in vita.

AIDAMVS LINDIFARNENSIS EPISC.

Erat Oſualdus Angliæ rex, egenorum alumnus inenarrabilis. vtpote qui omnes ad palatium confluentes, in atrio ſuſtentabat. Cumque aliquando maior eſſet numerus quàm apparata cibaria, ne vacuos dimitteret, eſcaria lance comminuta, argenti fragmen-

fragmentis suppleuit, donauitque. Quam regis liberalitatem AIDAMVS (qui fortè aderat) miratus, & apprehensam munificam illam dexteram exosculatus; *Tam prompta*, inquiebat, *in dando manus senescere non debet.* At neque cõsenuit. aiunt enim eamdem adhuc integram, reliquo corpore absumpto, in tumulo asseruari. Beda hist. Anglic. lib. 3. c. 6.

ARCHIEPISCOPVS ANONYMVS.

Memoratu dignus etiam hic. qui, Oeconomo suo conquerente quòd plures domi aleret quàm necessitas exigeret; omnium nomina, tam eorum qui necessarij, quàm qui inutiles videbantur, separatim scribi mandauit. Illis itaque visis, aiebat: *Hos dicis necessarios, illos verò inutiles. Alantur igitur hi, quia eorum ego indigeo: illi autem, quia mei indigent.* Sufficientem eam causam pauperum inopiæ subleuandæ ratus, quòd nostri indigeant. Phil. Diez tom. 2. part. 4. Serm. in Dom. Palm.

PIVS V. PONT. MAX.

Claudamus inclyto exemplo, quod ætas nostra sensit, & vidit. Lue contagiosa Vrbem deuastante, crebriùs ingentem auri vim verè PIVS tum PONTIFEX MAX. ægrorum inopiæ subleuandæ erogabat: cuius etiam tali Pontifice digna audita vox: *Ea nunc tempora sunt, vt & calices aureos & Ecclesiæ thesauros oppignerari velim, quò Christi membris subueniatur.* Ribad. in vit. Borgiæ lib. 3. cap. 5.

S. PAVLA.

In eodem sanctitatis genere Fæminæ quoque æternæ sibi laudis locum vendicant: quæ eodem etiam impulsæ spiritu, hunc affectum Christo in pauperibus exhibuerunt. Te te igitur compello,

PAV-

PAVLA: cuius in largiendo profusa benignitas æternum apud Superos trophæum statuit. Tu enim, ne rogantes vmquam repulsam paterentur, pecuniam mutuò, imò ad vsuram accipere solita; ac prodigalitatis accusata, *Deum testor*, inquis, *me pro illius nomine cuncta hæc agere. Et id vnum in votis mihi, vt ipsa mendicans moriar, & alieno sindone hoc meum corpusculū inuoluatur. Ego enim si petiero quidquam, multos inueniam qui mihi tribuant: mendicus si à me non acceperit, quæ etiam de alieno possum retribuere, & mortuus fuerit; à quo requiretur anima illius?* Sic lampadi infundens oleum, id est, virginitatis decus misericordiæ operibus exornans, admissa es ad spōsi nuptias, ineffabili etiam misericordiâ sempiternùm fruitura. Hieron. in Epitaph. Paulæ.

S. LVCIA.

Et tu etiam in hunc virginum chorum referenda: quæ omnibus bonis ad votum erogatis, cùm diis litare compelleris, hoc vnicum obmurmuras, & inclamas: *Sacrificium Deo acceptissimum est, visitare pupillos & viduas in tribulatione eorum.* Verè beata, quam nunc misericordiæ remunerator Deus inter cælestes illas sponsas sponsam suam collocauit. Martyrol. Sur. tom. 6.

S. ELIZABETH PAVPERVM MATER.

Hæc item nondum marito Lantgrauio viduata, ob assiduam in pauperes benignitatē, MATER eorumdem parensque nominabatur. Quos enim in plebe oppressos aduertebat, illis familiariter admodum vtebatur. Rogata autem, cur tam nobilis fæmina talibus se coniungeret; *Vt*, inquiebat, *eis subueniendi liberior mihi detur facultas.* Quid? cùm esset Regis Pannonum filia, quoties suis ipsa manibus

bus neuit texuitque, vt de laboris sui peculio eleemosynas largiretur? ita vt non incongruè de illa dici possit; Manum suam misit ad fortia, digiti eius apprehenderunt fusum, &c. Conrard. Minor. Concion.

IOANNES GANDIÆ DVX.

Et ne solis iis qui in sacrato hoc ordine, totã hanc laudem attribuisse videamur; IOANNEM GANDIÆ DVCEM referemus.& hic in egenos paterno animo. cùm enim Curiæ præfectus pares eleemosynis rationes facultatesque non esse expostularet: *Ita*, dicebat, *statuo; mihi potiùs omnia ad vitam necessaria deesse, quàm Christi membris, patiar.* Est sanè manus pauperis gazophylacium Christi; & quidquid pauper accipit, Christus acceptat. Da ergo pauperi terram, vt accipias cælum: da micam, vt acccipias totum.

Quisquis enim cupidè non expendenda recondit;
Quæ nulli tribuit, pauperibus rapuit.

In vita Borgiæ, lib. 1. cap. 11.

AMEDÆVS SABAVDIÆ DVX.

Vide IN PAVPERES LIBERALITAS.

PLACILLA THEODOSII VXOR.

Par misericordiæ exemplum cum prioribus fuit hæc. Reprehensa à suis, quòd bonam vitæ partem pauperum miserabiliumque personarum miseriæ curandæ absumeret, suasque facultates liberaliùs in eos distribueret: non minùs fortiter, quàm magna illa Elizabeth, respondit: *Imperatori conuenit id aurum elargiri: mihi verò manuum opus pro imperio ipso, ei qui id semel contulit, offerre.* & appositè hæc sibi eam laudem vindicabit, de qua Sapiens:

Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Niceph. Call. lib. 12. cap. 42.

ELOQVENTIA.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

MErcurio Caduceum in manu affinxit vetuſtas. quo ſignificatum voluit, ELOQVENTIÆ interuentu ſtatim omnes controuerſiarum cadere tempeſtates: nam

Illa regit dictis animos, & pectora mulcet.

Vnde dixiſſe commemoratur CARDINALIS ALDOBRANDINVS: *Nullum eſt imperij vallũ firmius, quàm quod in eloquentiæ campo eſt fundatum.*

Addit enim *inualidæ robur facundia cauſæ,* vt habet Lucan. Henr. Farneſ. in Apoph. de Princ.

IDEM

Interroganti, quis feliciſſimè regeret; *Non,* inquit, *qui opulentia aut robore plurimùm pollet, ſed qui eloquio & facundia.* verè Alciatus:

Cedunt arma togæ, & quæuis duriſſima corda
Eloquio pollens ad ſua vota trahit.

Ibidem.

PRINCEPS ANONYMVS.

Rogabat hunc quiſpiam, quænam artes hominem in altiſſimo honorum culmine collocarent; *Duæ,* ait, *vna Imperatoris, altera Oratoris boni.* Nec id malè: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur, ab illo belli pericula repelluntur. Greg. Richt.

EPI-

EPISCOPVS.

S. IVLIANVS MARTYR.

AVt nullum esse, aut rarum Episcopum, qui omnia ad tantum ordinem requisita habeat, auctor est lib. 1. aduers. Pelag. Hieronymus. Episcopos nihilominus, quòd paternam suorum curam gerant, vel saltem vt id agant, sedulò incumbere debeant, patres appellabat S. IVLIANVS. percontanti namque Præfecto, num Episcopi illi quos secum aggregauerat, eiusdem discipuli effecti essent; respondebat: *Discipuli non sunt, sed patres: per ipsos enim veram natiuitatem suscepimus.* Non existimabat itaque indignũ cum his patribus ad veram patriam properare. Sur. tom. 1. in vita.

S. AMBROSIVS.

Huic Calligonus, qui Valentiniano à cubiculo, insultabat sæpiùs, rogabatque, Tu me viuo contemnis Valentinianum? caput tibi auferã & vitam. At ille verus pastor, suo gregi inuigilans, *Vtinam*, aiebat, *impleas quod minaris. Ego lubens patiar quod Episcopi: tu facies quod spadones.* Episcoporum quippe aduersa quæuis perpeti potiùs, quàm commisso gregi vnquã paterna solicitudine, saltem in iis quæ necessaria sunt, deesse. Ambros. Epist. 33.

SISINNIVS NOVAT. EPISCOPVS.

Fuit hic eruditione ac dicendi lepôre summus. qui cùm Acacium Episcopum inuiseret, quidã sciscitatus, cur veste Episcopo insueta vteretur; & vbinam scriptum reperisset, presbyterum alba veste vti posse. Cui ille; *Tu*, inquit, *mihi dicito, vbinam scriptum sit, Episcopum nigra vti debere.* & adiecit: *Salomon*

lomon nos cohortatus est : Sint tibi vestimenta alba. & Saluator noster eâdem etiam vsus, & in eâ Moysen & Eliam Apostolis exhibuit. Socrat. lib. 6. Hist. Eccl. cap. 20.

ATTICVS EPISC. CONSTANTIN.

Venerat hic consecraturus Episcopum in Nicæam. Vbi cùm Asclepiadem Antistitem reperisset, ætate maturum, quot in Episcopatu annos transegisset, inquirit: eoq; dicente, Quinquaginta : *Felix homo es,* inquit, *tanto tempore boni operis curam agens.* Alludebat ad illud Apostoli: Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Tripart. hist. libro 12. cap. 11.

CHRISTIANVS II. ARCHIEPISC. MOGVNT.

Quid verò ille? Rogabat eum Guilielmus Imperator, sibi consilio suo in militari negotio subueniret. ad quem CHRISTIANVS non nomine dumtaxat, sed reipsa; *Episcopi,* inquiebat, *est docere verbum Dei, non pugnare : Christus namque Petro mandauit, ensem cohiberet.* Brusch. in Episc. Germaniæ.

ARCHIEPISCOPVS ANONYMVS.

Erat in Granatensi regno Archiepiscopus, vir vnicè in egenos munificus ac liberalis : quorũ etiam familiam domosque visitabat interdum. Rogatus itaque à Ferdinando de Talanera, cur, cùm esset Archiepiscopus, in tantum se deiiceret, vt etiam ad populares casas se conferret, præter decorum illius status; respondit: *Tu crede, si fores Episcopus, ampliùs admirareris quæ non facio, & deberem facere, quàm ea quæ nunc præsto.* Floresta.

S. LVDOVICVS EPISC. TOLOS.

Quapropter celebrandus ad extremum etiam iste. qui dum ex longa huius mundi nauigatione in

ſalutis æternę portum volens libenſque properaret; memor occupationum quibus in Epiſcopali munere fuerat irretitus; *Vero verius eſt*, inquiebat, *Epiſcopalem dignitatem non tam grandis eſſe nomen honoris, quàm oneris*. In vita eiuſdem, impreſſa apud Moretum, cap. XVIII.

CONSTANTINVS IMPERATOR.

Verùm Epiſcopalis muneris dignitatem primus inter Chriſtianos Principes CONSTANTINVS MAGNVS agnouit. quem ita ad Epiſcopos locutū commemorat Euſebius: *Ego communis quidam Epiſcopus ſum, ſed vos eorum quæ in Eccleſia; ego verò eorum quæ extra eam ſunt, à Deo conſtitutus Epiſcopus*, ſeu ſpeculator & ſuperintēdens, *videor*. Quā etiam diſtinctionem in Regum coronatione ipſi Reges ab Eccleſia accipiunt. ita enim, dum à Pontifice inunguntur, ad eos dicitur: Accipe coronam regni tui, quam ſanctitatis gloriam & honorem, & opus fortitudinis intelligas ſignificare: & per hanc te participem noſtri miniſterij non ignores: vt ſicut nos in interioribus paſtores & animarum rectores intelligimur; ita & tu contra omnes aduerſitates Eccleſiæ Chriſti defenſor exiſtas. ita Pont. Rom. Euſeb. de vit. Conſtant. lib. 4. cap. 24. Th. Staplut. Dom. 22. poſt Pent. in Prompt. morali.

EVANGELIVM.

S. ANTONIVS EREMITA.

FOrtiſſimus ſanctæ Eccleſiæ paries & fundamentum EVANGELIVM ſeſe offert pertractandum. De quo ſanè etſi nullum eſſet aliud, præclarum habemus ANTONII EREMITÆ teſtimonium.

Venerant ad eum iam ſenem Religioſi,qui vitę normam præſcribi ſibi poſtulabant. Ille ſumpto Euangeliorum codice, *Ecce*,ait, *omnia hîc,ad benè beateq́; viuendum neceſſaria.* Dicere poterat illud Dauidis, Lucerna pedibus meis verbum tuum , & lumen ſemitis meis. Balæus Cent.1.

S. BARTHOLOMÆVS APOSTOLVS.

Inciderat apud eum mentio de Euangelicæ doctrinæ vtilitate & fructu. de quo iſte : *Euangelij lex breuis eſt, & longa.* Notabat autem Euangelij codices numero & litteris paucos & breues: explicatione verò,ac potiſſimùm imitatione,operoſos ac longos. Dion. cap.1. Theol. myſt.

SERAPION ABBAS.

Quin & ille , cùm iam ſe omnibus indumentis exſpoliaſſet, vt Chriſti membra contegeret , & nudus ſederet;roganti, Quis te pater ſpoliauit ? prolato , quem ſub alis habebat, Euangeliorum codice; *Hic*,inquit, *me nudauit.* Propter fidem enim Euangelij, in quo tam præclaræ promiſſiones Eleemoſynis factæ leguntur, ita ſe exſpoliauit. Palladius.

SIGISMVNDVS POLON. REX.

Hic quoque cùm eſſet verè Catholicus , à nonnullis Lutherano elleboro dementatis ſollicitabatur, vt puram reformatamq́ue noui Euangelij doctrinam(ita eam appellant)ſuo populo proponi pateretur. quibus heroico animo; *Non eſt*,inquiebat, *meum de Euangelij puritate inquirere : Epiſcoporum id munus, quorum ego iudicio lubens me libenſq́; ſubmitto.* Prudenter cum Vlyſſe aures claudebat,ne Sirenarũ fallaces voces in ſui exitium excipere cogeretur,inſtar aſpidis ſurdæ, & obturantis aures ſuas,

quæ non audiuit vocem incantantium. Surius in Comm. Rerum in orbe gest.

IOANNES RVRIAS MINISTER EDENBVRG.

Quo laudis honorísve priores, eodem vituperij gradu collocandus iste. Dum namque nouatæ religionis buccinam palàm inflaret, binas ad ſuggeſtum bombardas deferre ſolitus. aſſerebat autem, *Fratrem Euangelicum paratum eſſe debere, non verbo tantùm, ſed & armis, ſi opus foret, Euangelium propugnare.* Guill. Raſtellus.

THOMAS MORVS.

Reiiciendos verò eos Euangelij interpretes, qui propriis viribus fiſi, à communi Eccleſiæ explicatione ſponte aberrant, teſtis eſt THOMAS MORVS. Obiiciente namque Tindallo (quem MORVS reprehenderat, quòd vocem *Eccleſiæ* in congregationem, & *Presbyteri* in ſeniorem verterat) dulciſſimum eius Eraſmum ita vertere, reſpondit: *Si dulciſſimus meus Deſiderius praua illa intẽtione ſic vertiſſet, qua Tindallus; dulciſſimus meus Deſiderius, ne quidem mihi dulcis eſſet.* Th. Staplut. in vita.

EVCHARISTIÆ SACRIFICIVM ET SACRAMENTVM.

IESVS CHRISTVS.

AMplectamur nunc ſpirituale illud alimẽtum, quod ſumptũ reficit, nec deficit: miremur auguſtum illud nouę Legis ſacrificiũ, verè, ſi vllum aliàs, propitiatorium. cuius proinde dignitatem exprimens DOMINVS IESVS, Phariſæis dicentibus patres eorum manducaſſe manna in deſerto, iuxta

iuxta illud; Panem de cælo dedit eis manducare; aiebat: *Non Moyses dedit vobis panem de cælo: sed Pater meus dat vobis panem de cælo verum. Panis enim Dei est, qui de cælo descendit, & dat vitam mundo.* Ioan. cap. 6.

IDEM

Litigantibus Iudæis, & inuicem cauillantibus, quomodo carnem suam dare posset ad manducandum; respondit: *Amen dico vobis: nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis,* &c. Quibus verbis, & EVCHARISTIÆ dignitatem, & miram necessitatem explicauit. Facessant igitur, qui hîc verum Christum sub speciebus contineri negant: cùm ille suam carnem & sanguinem, non in figurâ aut signo, sed verè ac realiter, nec per fidei apprehensionem tantùm, sumi ac manducari expressis verbis præcipiat. Ibidem.

S. ANDREAS APOSTOLVS.

Egregius Christi athleta ANDREAS, magnum etiam augustissimo huic Sacrificio splendorem suo dicto addidit. Ægeæ namque Proconsuli Achaiæ crucis supplicium minitanti nisi idolis sacrificaret, respondebat: *Ego omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, omni die sacrifico, non thuris fumum, nec taurorum mugientium carnes: sed immaculatum agnum. cuius carnes posteaquam omnis populus credentium manducauerit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus.* Ex passione eiusd. scripta à Presbyteris Achaiæ, Sur. tom. 6.

S. LAVRENTIVS PATRIARCHA VENET.

Quàm verò præclara res sit, crebrior huius Sacrificij oblatio, documento sit B. LAVRENTIVS PA-

TRIARCHA. vtpote qui numquam valens ab eâ cessauerit, ex quo die eam faciendi potestatē acceperat. Percontantibus autem, cur tam assiduus sacris operaretur; dicebat: *Qui, cùm posset domino suo frui, non fruitur; facilè declarat se curam eius non habere.* Hinc venerabilis Beda asserit, Sacerdotem non legitimè impeditum, qui celebrare omittit, quantum in se est, priuare sanctam Trinitatem laude & gloria, Ecclesiā spirituali Christi beneficio, ac seipsum medicina & remedio. Sur.tom.1. in vita.

HVGO DE S. VICTORE.

Huic animam agenti, cùm Monachi SS. Eucharistiam, quam anxiè sibi dari expetiuerat, ob continuum vomitum diu dare detrectassent, tandem non consecratam hostiam ritu ceremoniisque consuetis deferunt. Quam cùm æger esset intuitus: *Misereatur*, inquiebat, *vestri Deus: cur mihi illudere voluistis? non est iste Dominus meus.* Illi rubore confusi, sacratam adferunt: qua visa, exspirauit. Hugo Ranulphus lib. 7. cap. 19. in Polychron.

S. NICOLAVS DE TOLENTINO.

Ille ad extremum vsque spiritum sacro hoc Eucharistiæ alimento reficiebatur. vnde in extremo vitæ discrimine, ipsoque agone, idipsum in viaticum petiit sibi administrari. rogantique cur tam ardenti desiderio in illud ferretur; *Vt*, aiebat, *tanto viatico munitus, non deficiam in via, ad patriam cælestem profecturus. & si ob demerita mea improbus Belial hostis mihi occurrerit, possim fidenter dicere; Dominus mihi adiutor, & ego despiciam inimicos meos.* Sur. tom. 5.

B. FRANC. XAVERIVS.

Et quoniam in tam augusto mysterio diabolicæ frau-

fraudis malitia irrepsit, qua verum in eo Christi corpus contineri ambigat humana fragilitas: præsentissimum huic malo remedium dicebat XAVERIVS. rogatus namque, quo tandem modo occurrentes super hoc scrupulos quis animo eximeret, respondit: *Pia & diligenti ipsius mysterij frequentatione.* Horat. Tursell. lib.4. c.23. vit. eiusd.

CORNELIVS MVSIVS.

Fuit is MVSIVS, quem Delphi Batavi sedulum Pastorem habuerant, & in immeritam crucem intempestâ nocte egerant. Is ergo, sui populi insano furore percepto, cùm plures in sacrario superessent consecratæ hostiæ, ne in impiorum manus deuenirent, mente ad Deum conuersa, omnes absumpsit, dicens: *Hoc sumpto viatico armabor ad martyrium: nec deficiam tam salutari refectus sacramento.* P. Opm. in Mart. Holl. manusc.

D. LVDOVICVS F. R.

Sed quid illos tantoperè miremur, quos ad tam ardua mysteria consignauit vocauitque ipse eorumdem institutor & auctor Christus Dominus: cùm & alij æmulæ posteritati consecrati sint, qui nō minùs in hoc genere Religionis præstantes? Ducat hanc aciem Christianiss. REX LVDOVICVS, cuius hac de re celebris memoria. Sciens namque pius & religiosus Princeps, quòd Fides non habeat meritum, vbi humana ratio præbet experimentum; & quòd in augustissimo hoc mysterio, vt doctè in Hymno suo D. Thomas Aquinas,

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmet Fides
Præter rerum ordinem.

dum fortè Missæ sacrificio cum Proceribus in palatij Parisiensis sacello interesset, & illi puerulum formæ præstantissimæ in manibus celebrantis conspicerent, & admirarentur, Regemque vt videret impellerent, respondit: *Qui non credit, vadat & videat. Ego credo, & fidei meritum libens conseruo.* noluit enim sibi aliquando à Domino dici, Quia vidisti me, credidisti. Beati namque qui non viderunt, & crediderunt. Refert præter alios, F. Ioan. Viguerius, in Institut. ad Christian. Theolog. cap. de Eucharistiæ sacramento.

RVDOLPHVS IMP. AVSTRIACVS.

Proximum Ludouico locum sibi vendicat AVSTRIACVS RVDOLPHVS: in quo quàm varium pietatis studium emicuerit, subiecto exemplo illustratur. Erat adhuc in modicâ fortunâ, nec nisi comes Hapesburgensis: & vt nobilitas illa solet, cum paucis equis ad venationem exiuerat. pluuius & inserenus erat dies, viæ sordentes & fractæ. Ecce occurrit Parochus ægro viaticum pedes laturus. Is aspectus pium pectus perculit, & equo desiliens; *Me vehi, inquit, & te qui Saluatorem meum portas, pedibus incedere? indecorum vel impium sit: conscende, & equum hunc cape.* Paret alter. & hic capite nudato subsequitur, ad ipsas ædes infirmi deducit, ab iis eodem habitu reducit, Sacerdos officio attonitus, & mente à Deo motâ, benè abeunti dixit, & simul Imperium ipsi posterisque prædixit. & ab hac religiosa stirpe, illustris illa & omni pietate insignis Austriaca domus, quæ etiam modò Christianum orbem moderatur, incrementum sumpsit.
I. Lips. Mon. Polit. lib. 1. cap. 4.

Philippvs II. Hisp. Rex.

Verùm inter cetera Austriacæ domus exempla, minimè nobis omittendum, quod de Philippo II. Hispaniarum Indiarumq́ue rege suggessit à se obseruatum ex historia Gallica Petri Matthæi, Ioannes Brantius Antuerpiæ vrbis Graphiarius. Cordubę (quę Hispanię ciuitas) anniuersario ritu Christi corpus circumferebatur. dies æstiuus erat, & feruens. comitabatur reuelato capite Philippvs, solisque ardorem Austriaca pietate superabat. At è dynastis vnus, regiæ salutis anxiam curam gerens, monet æstum vitare. cui pius Princeps: *Isto quidem die, sol aut lædere aut offendere quemquam nequit.* Sole namque iustitiæ suos radios emittente in tantum incalescebat, vt alterius ardores etiam vehementes pro nihilo duceret. verè dignus ea laude Princeps, quòd ex nobili illa stirpe, vix vllum pietate & religione parem habuerit, superiorem autē neminem.

Lavrentivs Medices.

Hic quoque admiratione imitationeq́ue dignus. cui dum fatali lecto decumbenti, SS. Eucharistia toties expetita deferretur; è lectulo quasi exsiliens; *Procul à me absit*, inquit, *vt patiar Iesum meum, qui me finxit, qui me redemit, ad me venire. tollite hinc obsecro, vt Domino occurram.* dicebat quippe cū Centurione Euangelico: Domine non sum dignus, vt intres sub tectum meum. Ang. Polit. in Epist.

Henricvs VIII. Angliæ Rex.

Liceat & hunc superioribus addere: qui licet ab obedientia Sedis Apostolicæ desciuisset, maximo tamen honore SS. Eucharistiæ Sacramentum est prosecutus. Itaque non diu ante mortem, sub vnica

ſpecie communicaturus, cùm è ſella aſſurgeret Chriſti corpus adoraturus, & Zwingliani, poſſe regem illâ inualetudine ſedentem Euchariſtiam percipere, dicerent: *Si me*, inquiebat, *non modò vſque ad terram deiicerem, ſed & ſub ipſam terram ſubmitterem: ne ſic quidem ſatis honoris ſanctiß. huic Sacramento viderer delaturus.* Vtinam in omnibus talis! & fuiſſet profectò, niſi perditorum conſiliis, ac propriis concupiſcentiis nimium acquieuiſſet. Sanderus lib. 1. de Schiſm. Angl.

THOMAS MORVS.

Henrico Angliæ regi eiuſdem regni Cancellarium ſubiicio. quem nullo vmquam die Miſſæ ſacrificium neglexiſſe, memorant hiſtoriæ: ita vt aliquando cùm illi intenderet, à Rege vocatus nõ diſcederet, donec integrè abſolutum foret. Vrgentibus autem, Regem eius aduentum præſtolari, aiebat: *Meliori Domino obſequium præſto, & id mihi primùm erit perficiendum.* Th. Staplut. in vita.

EXCOMMVNICATIO.

ARSENIVS ABBAS.

HActenus de auguſtiſſimo illo Eccleſię Sacramento: nunc de cenſoria eiuſdem virgâ, quam EXCOMMVNICATIONEM nominant veteres, dicendum. quâ qui tacti & notati, Eccleſiæ caſtris excluduntur, & magni illius Sacramenti, aliorumque benedictione, fratrumque communicatione priuantur. Prouidum illius vſum expreſſit ARSENIVS: qui in iuniores etiam grauiter delinquentes, rariùs hũc mucronem ſtringebat. dicebat enim: *Iuuenis excommunicatus vinculum illud ſpernit: prouectior verò velo-*

velociter eius dolore corrigitur. Socrat. lib.8. cap.1. Trip. Hist.

Gregorivs vii. PP.

Hunc meritò subnecto; quem nullus aut fauor, aut metus, à iusta huius mucronis iaculatione dimouit. Conceperat in animo Henricum iv. Imp. hoc anathematis gladio coërcere. obstant magnates, & Regem non ita facilè anathematizandum clamant. Quibus Pontifex: *Dum Petro Ecclesiã suam Dominus committeret, dicens: Pasce oues meas. excepítne reges?* Non excepit sanè. generalis enim tradita potestas, Quodcumque ligaueris & solueris super terram, &c. Platina in vita.

B. Franc. Xaverivs.

Cùm autem ij qui hoc Excommunicationis gladio feriuntur, extra Ecclesiæ limen eiiciantur: meritò eorum commercia colloquiaq; vitanda erunt. Et quidem Franciscvm Xaverivm ad Sinas pergentem cùm rogaret magni nominis vir, Præfectum diris deuotum salutaturus coueniret: *Egon'* aiebat, *hominem fidelium cõmunione exclusum adeam salutandi causa?* & post pauca: *Me quidem amicum, non habebit, quamdiu habuerit inimicum Deum.* Hor. Tursell. lib. 3. cap. 14. in vita.

Valentinianvs Imp.

Neque ab hac mente alieni fuêre ciuilis ordinis viri primates. Quid enim de Valentiniano dicam? Acceperat is à fratre Arriano litteras, quibus auxilium contra Gothos efflagitabat. Quibus ille: *Nefas homini bellum gerenti cum Deo opem ferre; cuius potiùs temeritas meritò coërcenda.* Theodor. libro 4. hist. Eccl. cap. 28.

Theo-

THEODOSIVS IMP.

Ab Ambrosio Episcopo anathemate ictus, cùm admissum scelus lachrymis vbertim detergeret, venit ad eum Ruffinus, tanti doloris causam sciscitatus. Cui IMPERATOR, *Tu*, inquit, *Ruffine ludis, & mea mala non sentis? ego gemo calamitatem meam, quia seruis & mendicantibus patent templa Dei, & Dominum suum exorantes ingrediuntur: mihi verò ad eum ingressus non patet, insuper & cæli mihi clausi.* An non hic etiam, vt plerique Principes, se vi & armis anathematizāti Episcopo opponere potuit? potuit certè. at diuinæ potestati, quam Ecclesiæ suæ in hereditatem reliquit, obsistere nec debuit nec voluit. Socrat. Trip. hist. lib. 8. cap. 10.

OTHO BRANDEBVRG. PRINCEPS.

Quàm autem fœda res sit cum Excommunicatis familiariter vti, etiam ratione carentia animalia exemplo nobis sunt. Anathemate ob demerita percussus à Ludolpho Antistite OTHO BRANDEBVRGENSIS, per ludibrium mensæ assidens, canibus frusta carnium obiecit: *Videamus*, inquiens, *an ab excommunicatis* (quod vulgò dicitur) *carnes accipere recusent canes?* Certè recusarunt. Ille saturitatem causatur, canemque tridui inediâ maceratum adduci iubet. at nec ille carnes obiectas attigit. eoque miraculo territus, Ecclesiæ paruit. Chronic. Magdeburg.

EXEMPLVM.

IESVS CHRISTVS.

INstructus redditur animus in futuris, quando præteritorum commouetur exemplis: auctor est Cassia-

Cassianus. hinc MVNDI REDEMPTOR transiturus ad Patrem, postquã abluisset pedes discipulorum, rogabat eos; *Scitis quid fecerim vobis?* & paucis interiectis: *Exemplum dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.* Ille demum magister aliorum vocari dignus, qui se illis præbet bonorum operum exemplum. Ioan. cap. 13.

S. MARTINVS EPISCOPVS TVRON.

Detinebatur ille vi febrium in lectulo per multos dies: neque tamen idcircò à Dei opere cessabat. & pernox in oratione ac vigiliis, fatiscentes artus spiritui seruire cogebat, nobili illo strato cilicio & cinere recubans. Rogatus autem vt saltem vilia ac modica stramenta suo corpori pateretur supponi; *Non decet*, aiebat, *fily*, *Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccaui.* Probè ac scitè ille:

Sic agitur censura, & sic exempla parantur,
Cùm iudex alios quod monet, ipse facit.

Sulpit. in vita.

MACARIVS ABBAS.

Simili etiam modo MACARIVM respondisse tradunt. Cùm enim apud eum verba faceret religiosus quispiam de abstinentia, eamque sibi admodum duram videri diceret; ille, *Confide fili*, ait: *per annos viginti, ego neque pane, neque aqua, neque somno satiatus sum.* Ita suo exemplo alterũ ad abstinentiæ virtutem incitabat. Socrat. lib. 8. hist. Trip. cap. 1.

S. TRANQVILLINVS.

Audiuerat iste Zoën vxorem Nicostrati pro Christo neci dandam; eiusq; exemplo permotus, *Quid*, inquit, *fæminæ nos ad martyrium præcedant? indignum.*

gnum. Itaque ſe Chriſtianum profeſſus, lapidibus obruitur. Sur. tom. 1. in vit. S. Sebaſt.

S. LVDOVICVS F. R.

Et de illo memoriæ proditum, quòd, cùm inquiſiuiſſet ex quodam aulicorum, lauarétne ſuorũ pedes feriâ quinta maioris hebdomadæ, & ille ſibi hoc indecorum videri diceret, ſubintulerit: *Quid, indecorum? non debes abhorrere quod ſuo nobis exemplo exhibuit Dei filius, qui hoc die diſcipulorum pedes lauit. Quanto minùs tu faceres, quod modò Angliæ Rex, qui leproſorum pedes hoc die non lauare tantùm, ſed exoſculari etiam conſueuit.* Ionuil. vitæ eius cap. 84.

RELIGIOSVS ANONYMVS.

Factam de Ludouico mentionem, haud iniuria ſequetur FRANCISCANI cuiuſdam RELIGIOSI prudentia. Aperuerat huic Ludouicus Caroli II. Siciliæ Regis filius, dum in Cathalonenſi detineretur cuſtodia, ſe votum Deo feciſſe perpetuæ caſtitatis, & capiendi inſtitutum D. Franciſci. cumque dubius hæreret, quo tandem loco propoſitam rem exequeretur; pius pater dilationis periculo ob oculos poſito, quantumque ſuo exemplo ſplendoris aliis allaturus ſit, demonſtrato, *Cogita*, inquit, *quantum exempla bona proſunt: magnorum namque virorum non minùs memoria, quàm præſentia eſt vtilis.* Ex vita S. Ludouici Epiſc. Toloſ. cap. XI. impreſſa apud Ioan. Moretum.

S. DOROTHEA VIRGO.

At in femina quoque ſatis illuſtre habemus exemplum. Dicente Sapritio Præſide virgini DOROTHEÆ, diis ſacrificaret, ni legibus acta amaris, exemplum timoris dare eligeret, hoc reſponſum dedit:

dedit: *Omnibus dabo exemplum timoris Dei: vt hi qui timent Dominum, homines rabidos non timeant.* Sur. tom. 1. in vita.

FRANCISCVS I. GALL. REX.

Prodeat hîc etiam in arenam FRANCISCVS. quem ſolitum dicere iis, qui è Cæſario carcere reducem ad reſtaurandas copias incitabant, auctor eſt Peucerus: *Vos non interfuiſtis prœlio ad Papiam.* ita ſemper animo ſe offerebat infelicis illius prœlij crudele exemplum. Peucerus in lect. Chron. anni 1574.

EXPROBRATIO.

LVDOVICVS XI. GALL. REX.

VEluti in quibuſdã carpendi reprehendendiq́;, ita in aliis mira exprobrandi venuſtas. quę ſanè, ſi in vllo alio, certè in LVDOVICO XI. emicuit. Intellexerat namque is Nicolaum Paulinum Burgundiæ Cancellarium, ſuis opibus hoſpitale exteris recipiendis erexiſſe, & dotaſſe. Fuerat autem ille ſeuerus admodum in exigendis multis, & (vt vulgò fertur) ad rem familiarem attentus. Quod feſtiuè notans LVDOVICVS; *Hoc*, inquiebat, *rationi conſentaneum, vt qui plures pauperes effecerit, tandem illis excipiendis hoſpitale inſtituat.* Taxabat ſimul Iudicum in multando rigorem, in pauperum verò cauſis ignauiam & teporem. Corozetus.

BRISÆVS PRÆSES.

Priorem Ludouicus, hic artem arte deludens, ipſum Ludouicum aggreſſus. Iuerat ad venationem exiguo vectus equo, & Præſide ſuo BRISÆO comitatus: cumque eſſet proprij & conſilij, & cerebri, neque facilè conſiliariorum decretis auſcultaret,

taret, oportunè rogabat BRISÆVS: Vnde sereniss. Rex tam robustũ nactus est equum? cui Rex: Quomodo hæc tibi in mẽtem veniunt, cùm sit adeò pusillus? *Quia te*, respondit ille, *& consilium tuum fert.* Gaguinus, in vita Ludouici XI.

PETRVS NANVS.

Nomine pusillus, magnus ingenio ille PETRVS. Erat apud Canem Scaligerum cum Vguccio, perditis iam Luca & Pisis Italiæ vrbibus: cumque illis esset conuiua, & de Edonibus mentio incideret; Vguccius illato sermone, se iuuenem quaternos altiles capos, perdices totidem, & plura eius generis, vnicâ cœnâ absumere solitum narrauit. At PETRVS dictum excipiens; *Non est*, inquit, *quòd hæc à te iuuene comesta admiremur: cùm iam maturus, nec planè dentibus instructus, duas vrbes vno prandio absumpseris.* Fama quippe erat, Vguccium, si se ab inchoato prandio temperasset, satis temporis habiturum fuisse ad sedanda nascentis tumultus initia, & vtrãque vrbem saluandam. P. Iouius lib. 1. Elog.

ANONYMVS.

Audiamus quid etiam ille. Vidit matronã quampiam cultu fastuque tumescentem, ac veste indutam, in quam bonam fundi & agrorum partem absumpserat. cumque illa conquereretur, quòd nimio indumentorum pondere grauaretur: *Quis miretur*, inquit ille, *cùm ampliùs quàm quattuor terræ iugera circumferas.* In Epigram. Tho. Mori.

AMALABERGA FRANCIÆ REG.

Et ne ab hac dicendi venere immunes fęminas arbitremur, AMALABERGAM ad calcem damus: quę indignè ferens coniugis in bello ignauiam, & iniquam sortem, dum fortè illustriores aliquot conui-

uas

uas ille præstolaretur, dimidiam ei triclinij partem apparat. Percõtanti marito, & ægriùs ferenti, quidnam id rei esset; respondit : *Qui parte regni exuitur, etiam triclinij parte cedat oportet.* P. Æmyl.

FACETE DICTA.

S. MARTINVS.

SI omnia illa persequi voluerimus quæ in hunc locum adduci possent, cùm de ratione Apophthegmatis sit, habere coniunctã faceto acumini grauitatem; vererer quòd manus scribentem deficeret, & solus hic titulus operoso volumini materiẽ subministraret. Ne tamen hîc etiã nostris partibus deesse videamur, è multis pauca libauimus, huic loco propria. Viderat fortè B. MARTINVS ouem iam recèns tonsam, &, *Euangelicum*, inquit, *mãdatum ista compleuit: duas habuit tunicas, & vnam largita est non habenti.* & ad discipulos conuersus; *Ita & vos facere oportet.* Sulpit. in eius vita, Dial. 2. cap. 12.

IDEM

Subulcum in veste pellicea conspicatus, *En*, inquit, *Adam eiectus de Paradiso in veste pellicea sues pascit: sed nos, illo vetere deposito, nouum Adam potius induamus.* Ibidem.

MARCVS EPISCOPVS ARETHVSÆ.

Quin & in re seria iocati aliquãdo plures. MARCVS quidem Arethusæ Episcopus innumeris cruciatibus ab infidelium turba affectus, & in sublime feruentissimo æstu leuatus, vt apum vesparumque configeretur aculeis, in tortores iocatus; *Abiecti vos*, inquit, *qui humi repitis: erectus verò ego, & excelso loco collocatus.* Verè excelsus, quem victrix toleran-

lerantia fecerat omni humanâ crudelitate superiorem. Theod.lib.3. hist.Eccl. c.16.

EPHRAIM SYRVS.

Bellè etiam iste. Transegerat ieiunio plures dies, cibumque à ministro deferri sibi mandat. at is ollam confringit, & obsonio pauimentum perfudit. quem pudore pariter ac timore correptum conspiciens; *Bono animo*, ait, *fili : quandoquidem enim obsonium ad nos venire renuit; age, nos ad illud accedamus.* & ad ollæ fragmenta considens, comedit. Nicephor. Call. lib.9. cap.16.

NICOLAVS V. PONT. ROM.

Intellexerat hic quosdam in Vrbe, qui bonos doctosque versus concinnarent: &, *Bonos*, aiebat, *esse nego. cur enim ad me illi non deferuntur, qui etiam malis pateo?* Molestè ferebat homo sapiens, esse in sua Vrbe viros doctos, & à se ignorari. Hermol. Barbarus, in Præfat. Castigationum suarum in Plinium.

LVDOVICVS CRASSVS F. R.

Fastidio eiusmodi narrationum. Quis enim modus, si omnia enumerauero? tamen vt ad politicum latus me conferam, pauca ex illo depromã. & quidem in Frãcia, video LVDOVICVM CRASSVM. Hic in prœlio contra Anglorum regem ab equite quodam vrgebatur, qui etiam apprehenso per frenum equo Regem captum inclamabat. at ipse, gladio exerto, equitem obtruncat, dicens: *At ne quidem in latrunculorum ludo solus Rex capitur.* Corozet.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Eiusdem vt nominis & regni, ita lepôris heres iste. Intellexerat Franciscum, qui postmodum regni gubernaculis successit, spe prouentuum percipiendorum,

dorum, magno ſe ære alieno grauare. vnde anxium eum compellat; *Vacuo*, inquiens, *animo ſis oportet*. & hanc fabellam ſubiungens, *Equitabam*, dicebat, *quandoque cum patre, & proximus mihi videbar vrbi: viſisque templorum pinnis, cùm in via languerem, En, aio, pater, confecta via. Aberamus adhuc ſtadiis pluribus: ille autem ad me; Adoleſcens*, inquit, *ne poſthac viſis templorum pinnis, iter te executum arbitrêre*. tacitè innuens, indignum eſſe, ſpe & ſpecie largitionis, nondum adepti principatus commoda percepturum ſe exiſtimare. P. Æmil. in vita.

IDEM

Cuidam ob vulnerum cicatrices in facie acceptas glorianti; *Hæ ipſæ verò*, inquiebat, *tibi monumento futuræ, ne fugiens vmquam faciem auertas*. Corozetus.

ROBERTVS NORMANDIÆ DVX.

Quanta verò in hoc Principe venuſtas, audite. Profectus erat religionis ergô Solymam, & in itinere morbum contrahit, qui eum à progreſſu retardaret. Quid tandem? Locorum agreſtes, dato pretio, accerſiri imperat. qui Principem humeris ſuis per reliquum viæ deferant. Intereà è domeſticis vnus Normandiam repetit, & num quid ſuæ genti nuntiatum velit, Regem interpellat. ille; *Dices vidiſſe te dæmones ferentes Robertum Ducem in cælum*. innuens ſe ab idolorum cultoribus geſtari, quos dæmonibus comparabat; & Hieroſolymam, cælo. Pol. lib. 8.

IDEM.

De eodem quoque memoriæ proditum, quòd Conſtantinopolim profectus, cùm perbenignè à Conſtantino exciperetur, qui & altiores ſellas ſine

puluinaribus tàm illi quàm ceteris Normandiæ Ducibus apponi curauerat, continuò vestē exuerit, eamque globi instar complicatam sibi supposuerit. quod ipsum etiam comites imitati. Exemptâ autem iam epulis fame, omnes veste relictâ recessêre. Monet abeuntes Constantinus subridens, indumenta resumerent. Ad quem DVX: *Non est*, inquit, *mos Normannis, sedes secum deferre.* Ibidem.

MAXÆMILIANVS IMP.

Hic item à mendico frater salutatus, & fraterno amori condignam eleemosynam elargiri rogatus; vbi ab Adami stirpe hanc consanguinitatem deduxerat, obolum vnum dumtaxat dari iussit, adiiciens: *Abi, & à quolibet fratrum si tantumdem receperis, crede, breui me diuitiis superabis.* Corozet. de Factis memor.

ALPHONSVS REX. ARAG.

Serius ille quidem in omnibus, & supra modum prudens, in faceto etiam hoc agmine non infimum locum accepit. Senensibus quippe, qui se bello Italico quasi medios continuerant, ita vt in neutram partem inclinarentur, per diuisos iam milites spoliatis, dicebat: *Verè Senensibus euenit, quod iis solet, qui mediam domum incolunt; vt ab infernè habitantibus fumo, à supernè verò vrinâ vexentur.* Panor. lib. 4. de Reb. gest. Alphonsi.

IDEM.

Habebat Iacobus Alamanus, homo Christianus quidē, at Iudæis parentibus natus, venale D. Ioannis aureum simulachrum, quingētorum aureorum pretio coëmendum. Ad quem ALPHONSVS subridens: *Non tu sanè ineptus es, & maioribus tuis dissimilis, discipuli & præcursoris imaginem tanti æstimans,*

mans, cùm illi Ioannis magiſtrum & Regem Iudæorum non niſi triginta argenteis vendiderint. Panorm. lib. 1. de Geſtis eiuſd.

ANONYMVS PICTOR.

Ferunt etiam Coloniæ Agrippinæ pictorem, ſed & potorem (hoc enim illi generi commune) ſolitum Chriſti imagines apud caupones pignori dare: rogatumq́ue, cur non diuenderet potiùs ampliori pretio; reſpondiſſe: *Ergo me Iudæum, quàm Chriſtianum mauultis? abſit.* Æn. Sylu. lib. 1. Comm. de Reb. geſt. Alphonſi.

THOMAS MORVS.

Ille quoque ſuam grauitatem tot Reip. muneribus comprobatam, ita ſuaui quadã vrbanitate condiuit, vt neſcias an fuerit Senator grauior, an amicus iucundior. Proponebat Cardinalis Wolſæus in Concilio, expedire Reipub. eligeretur aliquis qui Regis abſentis perſonam repræſentaret: ſeq́ue pro eo declarandum inſinuabat. Annuunt omnes, vno MORO excepto. quem irâ commotus Cardinalis compellans, Oſtendis, ait MORE, te ſtultum Conſiliarium, qui ſolus reſiſtas. Cui MORVS eueſtigiò: *Magnæ ergo gratiæ Deo agendæ, quòd maieſtas Regia in hoc ſuo Senatu vnicum tantùm ſtultum habeat.* Th. Staplut. in vita, cap. 13.

IDEM

Theatrum, ſupplicij locum, conſcenſurus; manum ſibi, quò faciliùs aſcenderet, porrigi poſtulabat, dicens: *Iuua me vt conſcendam, in deſcenſu nemini moleſtus futurus.* Ita ex facilitate ingenij ſimiles facetias, etiam rebus grauiſſimis inſparſit. Th. Staplut. cap. 13. vit. eiuſd.

NICOLAVS FLORENT.

Intuebatur ille equitem plurimis aureorum torquium circa collum ſpiris incedentem; & egregiè ludens, *Hem!* inquit, *ceteri ſtulti vnica vincti catena tenentur: at huius tanta eſt inſania, vt pluribus vix queat coërceri.* Poggius in Facetiis.

ANONYMVS COQVVS.

Hic item cùm præ ſenio Mediolanenſium Principi ampliùs deſeruire vix poſſet, vnicum ab eo in gratiam omnium meritorum poſtulauit ſibi pręſtari. quo rogãte, Quídnam illud? *Vt aſinus etiam fiam*, reſpondit. ac ſtultæ petitionis cauſam ſciſcitanti Principi, *Quia*, aiebat, *video eos quos extuliſti adeò ambitione & ſuperbia inflatos, vt iam pænè in aſinos tranſierint.* Ibid.

ANONYMVS MERCATOR

Mare inſuetum peragrabat, & fortè præ nimia agitatione ſtomachum euacuare cõpellebatur. cui ex adſtantibus alius: *Verè tu gratus es & beneficij memor: quòd piſces, qui te toties pauêre, repaſcas.* Th. Morus in Epigram.

CONVIVA ANONYMVS.

Eiuſdem lepôris etiam iſtud. Ad conuiuium vocatus inurbanus quidam, poculum ab altero accepturus, vidit in eo muſcas demerſas. quas dum collegiſſet, hauſto poculo, rurſus eas iniecit. mirantur conuiuæ, & cur id agat inquirunt. ad quos ille: *Ego quidem muſcas numquam ſumo: ſed neſcio, num quis veſtrûm eas pro deliciis habeat.* Breui Epigrammate id complexus eſt Thomas Morus:

Muſcas è cratere tulit conuiua, priuſquam
Ipſe bibit: reddit rurſus vt ipſe bibit.

Addidit

Addidit & causam, Muſcas ego non amo, *dixit;*
Sed tamen è vobis neſcio num quis amet.

FAMILIA.

NICOLAVS V. PONT. MAX.

MAgnum virtutis morumq́ue documentum eſſe probè inſtructam FAMILIAM, ſuo dicto teſtatus eſt NICOLAVS PONTIFEX eius nominis Quintus. à quo dum ſciſcitaretur quiſpiam, priuſquam eſſet in Pontificem electus, qualis haberetur Eugenius quartus tunc ſuperſtes; *Facile id cognitu,* aiebat: *qualem enim familiam vides, talem illius rectorem Principem eſſe puta.* Auct. Serm. conuiual.

FESTINATIO.

NICOLAVS III. PONT. MAX.

REm oportunè aliquando & nulla interpoſita mora aggredi, admodum vtile iudicabat NICOLAVS III. PONT. vtpote qui vacantibus Eccleſiis pluribus, in id incumbebat aſſiduus, vt eis de viris timoratis proſpiceret. cauſamq́ue tantæ celeritatis interrogantibus, *Magnum,* dicebat, *tum in mora eſt periculum, cùm non deſunt, qui diuina etiam cupidiſſimè occupata diriperent.* Summa itaque in agendo erit prudentia, ſi rerum temporumq́; qualitati res noſtras accommodemus. Platina.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Huius quoque non minùs egregium dictum. Inquiebat autem: *Vbi vrget temporis anguſtia, accelerandum non eſt, ſed maturandum.* Illud enim inconſiderati eſt animi, hoc verò prudentis. Henr. Farneſ. in Apophth. de Princ.

FESTI DIES.

THOMAS MORVS.

DEos genus hominum miseratos dicebat Plato, quòd remissiones laborum illis statuerent, solemnia videlicet FESTA. At Christianis alio in vsu eorum institutio: vt iis videlicet omnium largitori Deo gratiæ agantur; aut ij quos apud eumdem patronos habemus, digna veneratione celebrentur. vnde tãta religione eadem obseruasse dicitur THOMAS MORVS, vt iis etiam, dum in carcere solus degeret, vestibus melioribus sibi allatis indueretur. Mirantibus verò, cur solus cùm esset, id faceret; respondit: *Non ad conspectum populi, sed ad Dei honorem festa colo, & honestè induor.* Volebat certè non interno mentis tantùm, sed & externo corporis splendore dies festos celebrari. Thom. Staplut. in vita.

IDEM.

Neque prætereundum, quòd cùm accepta mortis sententia, diutiùs ab eius executione quàm vellet detineretur, tandem instante festo Translationis S. Thomæ Cantuariensis, *Cras*, aiebat in Vigilia, *vehementer gestio ad Deum migrare: esset enim ille dies mihi admodum conueniens.* eumque quem optabat diem, suo Martyri Deus suauissimè concessit, in quo & Patroni, cuius nomen gerebat, & sancti Apostoli (incidit enim illud festum in Octauam S. Petri) pro cuius primatu sanguinẽ fundebat, celebris memoria in Ecclesia fieret. Thom. Staplut. in vita, cap. 19.

FIDES,

FIDES, FIDELITAS ERGA DEVM ET HOMINES.

IESVS CHRISTVS.

FIDEI FIDELITATISQVE bonum exequimur, ſine quo nulla inter homines, imò & Deũ ipſum, conſiſtere poteſt aut debet ſocietas. Cumque Fides alia Theologica ſit, Moralis alia: de vtraque nobis ſermo. Priorem autem crebris in locis inſigni ſua commendatione exornauit SALVATOR. & quidem à ſe poſtulantibus cæleſtem cibũ, dicebat: *Ego ſum panis vitæ: qui venit ad me, non eſuriet: & qui credit in me, non ſitiet in æternum.* quod aliàs etiam Marthæ inſinuauit, cùm diceret: *Qui credit in me, etiamſi mortuus fuerit, viuet.* Verè Chriſtiani ædificij fundamentum & baſis eſt FIDES, per quam Eccleſiæ auctoritas integritaſque firma & ſtabilis perſeuerat. Ioan. cap. 6.

IDEM

Deprecantibus eum ſuper ſua infirmitate duobus cæcis, Creditis, aiebat, quia hoc poſſum facere vobis? quibus dicentibus: Vtique Domine. contingens eorum oculos, adiecit: *Secundùm fidem veſtram fiat vobis.* & aperti ſunt oculi amborum. Tantum apud Deum impetrare poteſt firmus noſtræ mentis circa eiuſdem potentiam aſſenſus. Matthæi cap. 9.

IDEM

Quærentibus quibuſdam, Quid faciemus, vt operemur opera Dei? reſpondit, dixitque: *Hoc eſt opus Dei, vt credatis in eum quem miſit ille.* Opus ergo diuinum eſt, credere. Præclarè Auguſtinus Ser-

mone 18. sup. Ioan. Ambula per fidem, vt peruenias ad spem: spes non ædificabit in patria, quem fides non consolatur in via. Ioan. cap. 6.

IDEM

Dicenti sibi Marthæ, cùm Lazarum suscitaturus aduenisset; Domine, iam fœtet, quatriduanus enim est, respondebat: *Nónne dixi tibi, quia si credideris, videbis gloriam Dei?* Ioan. cap. 11.

S. PAVLVS APOST. ET SILA.

Quid autem illi? Seruabantur Philippis in custodia, viditque carceris custos vtrumque diuinâ ope vinculis exutum: & mente mutatâ in melius, procidens ad eorum pedes, *Domini,* inquiebat, *quid me oportet facere vt saluus fiam?* qui dixerunt: *Crede in Dominum Iesum, & saluus eris; tu, & domus tua.* Act. cap. 16.

S. PHILIPPVS.

Vide Apophth. de BAPTISMO.

S. MARTHA.

Contendunt etiam cum his Fęminæ, & quidem in prima acie. Soror Lazari MARTHA roganti Domino, crederétne ea quæ de fidei firmitate & resurrectione paulò antè dixerat; *Vtique,* aiebat, *Domine, ego credidi, quia tu es Christus filius Dei viui, qui in hunc mundum venisti.* Ioan. cap. 11.

S. ZÖE MARTYR.

Sed dicet fortassis quis veritatis calumniator, facile fuisse mulierculam spe resuscitationis fraternę in hanc vocem erumpere: alia proinde adducenda exempla. Quid igitur ZOE Christi sponsa, & martyr? Orabat in Natali Apostolorum ad cõfessionem S. Petri, & ab improbis paganis circumuenta, ad

Præ-

Præfectum ducitur. Instat hic, & Marti sacrificet, compellit. Cui illa: *Mulierem Marti sacrificare compellis, vt ostendas Martem vestrum, vtpote libidinosum, fœminis oblectari. At verò si ille potuit impudicissimæ Veneri pudorem eripere, mihi certè Trophæum fidei in fronte gestanti præualere non poterit.* Quis non hîc cum Ecclesia concinet,

Fortem virili pectore
Laudemus omnes fœminam.

Sur. tom. 1. in vita S. Sebast.

S. AGNES VIRGO ET MARTYR.

Vide ANIMI FORTITVDO.

FLECTIVS CONIMBRICÆ PRÆFECTVS.

Ad ciuilia exempla vela damus, & ea quidem quę non Theologicam illã vti prima, sed moralẽ fidem, quam & fidelitatem dicimus, repræsentant. Primum suggerit Hispania in FLECTIO viro nobili, arci Conimbricæ atque vrbi à Sanctio Rege Præfecto. At Sanctius improuidè regnum administrabat; ita vt Pontifice (is Innocentius fuit) auctore, cura tutelaque regni ad Alphonsum eiusdem fratrem transferretur. Constans & fidelis suo regi FLECTIVS, & oppugnationem & arma Alphonsi excipit; nec flectitur, donec Sanctium in exsilio Toleti mortem obiisse renuntiatum. Incredulus tamen inducias postulat, quò Toletum ipsus ire, & coràm arbitrari valeat. impetrat. Cùm ergo venit, Regemque suum fato functum sepultumque videt, tumulo aperto, cum suspiriis, ipsas vrbis Conimbricẽsis claues in manus demortui Regis dat, hæc verba miscens: *Quamdiu te viuere ô Rex iudicabam, quidquid à fideli homine, & in tua verba iurato, exigi exspectarique potuit, id præstiti. Vnum superest, vt clauibus*

tuæ vrbis tibi redditis, solutum me iuramento omnibus denuntiem. Ita abiit, & legitimo pro Rege Alphonsum agnouit. I. Lips. Mon. Polit. lib. 2. cap. 13.

EMANVEL PORTVGALIÆ REX.

Ille quoque seditionis in Castellæ Regem excitatæ auctores, cùm suis rebus diffidentes suppetias poscerent, acriter redarguit. cumq; ipsum regnum offerrent, dicebat: *Numquam vllum imperij additamentum, fide & officio antiquius habiturum me scitote.* Osor. lib. 12. de reb. Emmanuel.

TRIVMPARA REX COCINI.

Vestrâ pace, Christiani Principes, hominem gente quidem & solo, at non animo & mente barbarũ, vobis adiungo: Regem orientalis Indię TRIVMPARAM. Venerant ad eum Lusitani, cum quibus etiam fœdus pacemq; panxit. Mox in suspectam gentem conspiratio, omniumque vna mens, Regem Cocini pertrahere, Lusitanos quos suæ fidei creditos acceperat, traderet necandos. Ille verò obniti, & palàm negare, dicereque: *Omnia se potiùs, quàm fidem amissurum. Vitæ* enim, aiebat, *spatium breue ac definitum: perfidiæ macula sempiterna est.* Iamque ob id victus pulsusque, cùm antiquum fortunę statum rursus offerrent; hac lege, si eos traderet; abnuit, dicens: *Sceptrum & vita eripi potest, fides non potest.* Verus fidei amator & cultor nouerat, quod ante eum Seneca, Fidem sanctissimum esse humani pectoris bonum; quodque nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo præmio corrumpitur.
I. Lips. Mon. Polit. lib. 2. cap. 13.

THEDORICVS AFRICÆ REX.

Quid præterea hic? Domesticum habebat, quo fami-

familiariter vtebatur, magnum fidei cultorem. qui cùm Regi gratificari se posse consideret, si eiusdem cum eo Religionis normam acciperet, ad Arrianos defecit. Quo cognito, Rex amicum suum vltimo supplicio affici mandat, dicens: *Si Deo tuo fidem seruare recusas, quomodo mihi, qui homo sum, eam seruabis?* Theod. lib. 2. Collectaneorum. Cedrenus in Anastasio.

FRANCISCVS PRIMVS GALL. REX.

Claudamus inclyto & memorabili exemplo, quod magnus ille Galliarum Rex FRANCISCVS nobis donet. Ille Carolum Quintum Cæsarem in turbidos Gandenses properantem, comiter ac regaliter deduxit, sola fide Regis, & suâ fortunâ nixum. Mirantibus Galliæ proceribus Regis sui comitatem, quòd tam bellam occasionem recuperandi Mediolanensem Ducatum præterlabi passus esset, hominemque à quo rei summa dependebat, ita dimisisset, in celebri conuentu cùm multa in sui defensionē adduxisset, adiecit: *Etiamsi fides toto orbe exularet; tamen Regibus tenenda erit: qui eâ solâ, & nullo metu viíque astringi possunt.* Notatu digna vox. & res sic habet. Alios Lex aut Pœna coërcet, Principes Pudor & Fides. I. Lips. suprà. Idem de Carolo V. commemorat Guil. Zenocarus in vita eiusd.

RVDOLPHVS DVX SVEVIÆ.

Tenet me ne aliò digrediar RVDOLPHVS, & illustribus viris si non inseri, annumerari tamen postulat. Dederat fidem Henrico IIII. Imp. à quo cùm desciuisset postmodum, & in prœlio quod contra eum ante Mersburgum gerebat, dextram amisisset; iamque ex vulnere langueret; ostensa sibi manu, conuersus ad eos qui eius prœlij auctores, ac fidei

datæ

datæ memor; *Ecce*, inquit, *hæc est manus quâ fidem Henrico domino meo dedi: nunc tandem considerate, num iustè ab eius obedientia defecerim.* Strigelius 2. Sam.

FIDVCIA IN DEVM.

S. HVGO EPISCOPVS LINCOLNIENSIS.

FIdei vt agnata est FIDVCIA; ita non incongruè eiusdem tractationem, illius subsequetur explicatio. Nocte quadam grauibus infestatus curis HVGO LINCOLNIENSIVM PRÆSVL, cùm eas excutere non posset, turbari animo cœpit. ac primo mane ad se reuersus, grauiter ingemiscens, *Heu!* inquiebat, *deliqui, quòd non vti hominem Christianum decet, omnem curam super Dominum, iuxta Prophetæ monita, iactaui.* Sur in vita.

S. ANTONINVS

Præclarus vir, vocauerat ad prandium amicum quemdam: cumque panariæ cellæ præfectus eius iussu omnes panes in egenos distribuisset, bile actus quòd hospitem adduxisset, nihil prandio superesse dixit. at Præsul, *Ne diffidas*, ait, *nam qui iumentis oportuno tempore escam tribuit, is certè nos homines pascere non tardabit aut negliget.* F. Vincent. Mainordus in vit. Sur. tom. 2.

P. FRANCISCVS BORGIA.

De hoc traditum est, cùm Hispali moraretur, accidisse, vt nec cibum domi nec pecuniam haberet. datoque signo, cùm in triclinium conuenirent, ille paululum se colligens, Deum precabatur: moxque hilariore vultu, *Deo fidite*, inquit: *illi curæ sumus.* Dixerat: & ecce pulsans ad ostium, ciborum canistrum

ſtrum defert. quem is conſpicatus, *Diſcite*, ait, *filij Deo fidere: cuius ſi gloriam quærimus, animis corporibuſque nihil vmquam defore, pro explorato habetote.* Ribadin. lib. 2. vitæ eiuſd. cap. 10.

PHILIPPVS AVGVSTVS F. R.

Ducebat item ille copias aduerſus Othonem Imp. cauſa Eccleſiæ tuendæ. cumque ſuos ad fortiter pugnandum inuitaret, aiebat: *Viri commilitones, ſpem capimus rei benè gerendæ, præſertim cùm aduerſus ſacris interdictos & Eccleſiæ ſpoliatores dimicemus. Nos enim etſi per humanæ fragilitatis tenuitatē peccatores ſumus; communionem tamen tenemus fidei & religionis Catholicæ.* Grandis fiducia: Deum non defore iis, qui pro ſui nominis gloria dimicant. Gaguinus lib. VI. de reb. Gall.

Vide Apophth. de DEI CVRA ET PROVIDENTIA.

FINIS.

FREDERICVS IMPERATOR.

FINEM eſſe id cuius gratia quidpiam fit, auctor eſt Ariſtoteles: eſtque verè illud, quod actus noſtros probat. vnde FREDERICVS, percontanti quid homini optimum poſſit contingere, reſpondebat: *Bonus ex hac vitâ exitus.* Verè, *— dici beatus*

Ante obitum nemo, ſupremaque funera debet.

Æn. Syl. lib. 4. Comm. in res Alphonſi.

IDEM.

Erat dux Witenbergenſis ſupra modum animoſus, & vehemētior quàm æquitas aut ratio poſtulabant. hunc FREDERICVS vir ſumma modeſtia cohortabatur aliquando, temperatiùs & moderatè ageret.

ageret. cumque is monita negligeret, solitus erat dicere FREDERICVS: *Cuius finis bonus, ipsum est bonum.* insinuans eam vehementiam (vti accidit) Duci aliquando nocituram.

Sic Crœsum quoque vox iusti facunda Solonis
Respicere ad longæ iussit spatia vltima vitæ.

Phil. Camer. 3. part. Medit. hist.

FOEDVS.

FREDERICVS III. ELECT. IMP.

NVlla fœderum societas diuturna. multa siquidem incidunt quibus destruitur: animis præsertim vera beneuolentia non coalescentibus. Dicebat FREDERICVS III. *In omni fœdere illos esse loco deteriore, qui fœdera seruarent.* Cur ita? quòd eos durissimè plecti videamus ab hominibus, qui arctissimè fœdera custodiunt. Strigelius in Chronico part. 5.

ALCIATVS

Percontanti cuínam fœdera comparari possent, *Testudini*, respondit: *in quâ cùm vna solùmodò chorda discrepare incipit, tota harmonia turbatur.* Ibidem.

IACOBVS STVRMIVS.

Fieri autem vt sociorum vel noua semper confœderatorum accessione maior fiat voluntatum disiunctio, testatus est suo dicto IACOBVS STVRMIVS. Intuebatur ille Principes se vndequaque fœderibus munire, eorumque fiducia multa attentare. at videns quantum ea parerent voluntatum & opinionum dissensum; *Quò magis*, inquiebat, *accrescit numerus confœderatorum, eò magis etiam decrescit vnio volun-*

voluntatum, ex quâ omne robur & quies speranda. Peucerus in lect. Chron.

FOENVS ET VSVRA.

ALPHONSVS ARAG. REX

ÆQui cultor egregius, intemperatam illam habendi libidinem, quæ per iniquas vsuras suo æuo dominabatur, detestatus, rogabatur quidnam sibi videretur FOENVS; *Nihil aliud*, inquiebat ille, *quàm animæ fænus.* ita enim ante eum Ausonius: ——— *Sic turpia lucra*
Fœnoris, & velox inopes vsura trucidat.
Panorm. lib. 3. de Gest. Alphonsi.

IDEM

Percontanti, quo apud eum honore essent Fœneratores; *Eodem*, dicebat, *quo Harpyiæ.* Illæ enim ex rapto viuunt, sicuti & isti. Panorm. lib. 4.

FORMA.

BARTHOLOMÆVS CAPRANVS EPISCOPVS MEDIOLANENSIS.

QVantum ancipiti hoc FORMÆ bono oblectatus fuerit hic, vel ex eo colligimus, quòd numquam, nisi quos natura etiam corporis habitu exornasset, in suam familiam adsciuerit. Rogatus autem cur id faceret; respondit: *Quia turpes animi, turpia corpora incolunt: improbitas in egregio corpore vix comperta.* Ita quidem ille. Cautiùs tamen & veriùs Iuuenalis:

——*Rara est concordia formæ*
Atque pudicitiæ: sanctos licet horrida mores

Tradiderit domus, ac veteres imitata Sabinas.
Æn. Syl. lib. 2. Comm. de Gest. Alphonsi.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Etiam in Principe, præter virtutum splendorem, externam corporis formam suam habere laudem asserebat illustriss. Cardinalis ALDOBRANDINVS. dicebat enim: *Etsi faciendum sit de Principe iudicium ex moribus: habet tamen Principis forma & decor non minimum ad maiestatem ponderis.* Henricus Farnes. in Apophth. de Principe.

FRANCISCVS BORGIA DVX.

Et quis hîc DVCEM BORGIAM transeat, verum humani generis delicium? Viderat Isabellæ Augustæ cadauer (quod à Cęsare iussus in regium monumentum efferri curabat) omnino deforme, & pędore obsitum. ac ingemens, cùm secum tacitus præsentia præteritis adunaret, tandem erupit: *Nimirum hæc rerum humanarum vicissitudo. I nunc, fragile illud formæ bonum demirare.* Hęcce tanti spectaculi consideratio ita eius mentem commouit, vt deinceps non nisi de interiori animæ forma cogitaret. Eleganter & doctè Ouid. lib. 2. Amor.

Forma bonũ fragile est, quãtumq; accedit ad annos,
Fit minor, & spatio carpitur ipsa suo.
Nec semper violæ, nec semper lilia florent,
Et viget amissâ spina relicta rosâ.

Ribadin. lib. 1. Vitæ eius, cap. 7.

FORTITVDO ANIMI, *vide* ANIMI FORTITVDO.

FOR-

FORTITVDO BELLICA.

IOAANNES ZISCA DVX HVSSITARVM.

NVnc illum virtutis actum proponimus, cuius ponderosissima vis, & efficacissimi lacerti, in BELLICA FORTITVDINE consistũt. nec me pręterit, ZISCA Dux inclyte, principatum tibi in hac saltem scena assignari oportêre. Erat Dux Hussitarum bellicosissimus, licet vtroque oculo priuatus: cumq́ue iam morti proximus rogaretur, quomodo vellet tumulari; ille: *Pellem demortuo demite, ex eoq́ue tympani operimentum conficite. Hostes enim, vt viuentis adspectum ferre non potuerunt, ita nec mortui sonitum ferent.* Æneas Sylu. lib. 3. Comment. de Gestis Alphonsi.

CAROLVS IX. FRANC. R.

Illi proximus CAROLVS; qui, cæso in acie Montmorantio, cuius erat ensem Regi præferre, quibusdam eum honorem ambientibus respondebat: *Satis virium mihi est ad gestandum ensem.* Annal. Franc.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Redeo ad ALPHONSVM: qui naufragos auxilium implorantes cùm vidisset; suos cohortatus, opem vt ferrent. Quod cùm facere pertimescerent ob exortam tempestatem, ipse nauem soluit; *Satius est*, inquiens, *vnà cum sociis viris fortissimis occũbere, quàm illos videre ante oculos extrema pati.* Panor. lib. 2. de Gest. eiusd.

IDEM.

Vide PERICVLVM.

CAROLVS V. IMP.

Exiturus erat iste ad prœlium contra hostes: stabatque in acie intra vallum & stationes armatus. at hostis magna balistarum vi eum repellere conatur. monentibus autem suæ saluti prospiceret, id solùm obmurmurabat: *Canes qui latrant non sunt extimescendi: neque est quòd timeatis, cùm præsidio Dei satis vallati simus.* Franc. Robertellus in Orat. funeb. habita Bononiæ.

PETRVS SABAVDIÆ COMES.

Hic autem feudum apud Othonem IIII. petiturus, duplici ante eum habitu comparuit. Latus dextrum auratis vestibus, sinistrum armis insigne. Othoni verò, quid inusitatus hic vestium habitus modusque portenderet, sciscitanti; *Aurum*, inquiebat, *gesto in dextra, ad honorandam maiestatem Imperatoriam: arma autem læua sustinet, vt contra eiusdem maleuolos ad extremum vsque spiritum dimicem.* P. Camer. medit. Hist. cap. VI.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Eiusdem virtutis & fortitudinis iste. Pergebat cum exercitu Mediolanum, & in itinere nuntium accipit, hostem oppidulum quod in transitu situm occupasse; tardiusque aduentare hospitio inibi deligendo. At ille: *Ego super corpora eorum hospitium accipiam, vel illi in meo.* Corozetus de Dict. memor.

STEPHANVS CONTARENVS.

Claudat hoc totum de bellica virtute CONTARENVS, natione Venetus. Hic Senatus iudicio rei maritimæ in Benaco lacu præfectus, dum quippiam aduersi nuntiatum esset, domum properans, euocata de superiori suarum ædium parte coniuge; *Scias*, aiebat,

aiebat, *me Benacensi oræ præfectum, Senatu iubente. Tu itaque intra paucos dies, aut lætum à me partæ victoriæ nuntium exspectato, aut mortis meæ litteras, quibus hoc meum cadauer auitæ sepulturæ mandes.*
Ioan. Bapt. Egnat. lib.6. cap.4.

FORTVNA.

VILLEGISVS ARCHIEPISCOPVS MOGVNTIN.

VOlubilis FORTVNÆ rotas voluimus, & simul in eis admirandam in magnis viris mutationem: eamque licet iniquam quandoque, æquo tamen fortique pectore toleratam. Videamus ergo quot beneficiorum gradibus VILLEGISVM bearit rerum domina FORTVNA. Patre rhedario natus, ab Othone III. derepentè primus inter Electores adoptatur. ne autem repentinus ille honor, eum supra id quod erat, efferret, sæpiùs ructabat: *Vide quis sis, memento quis fueris.* Vnde & rotas suo Musæo appingi curauit, iisque subscribi: *Villegise prioris tuæ* FORTVNÆ *memor, quis nunc sis considera.* Hæc rota postmodum insigne Archiepiscopatui Moguntinensi fuit, atque ab Henrico II. Imp. confirmatum. Obseruabat ergo hic illud Ausonij:

Fortunam reuerenter habe, quicumque repentè
Diues ab exili progrediere loco.

Ioan. Zieglerus de Viris illust. Ioan. Nauclerus gener. 32. Bruschus de Episc.

BENEDICTVS XI. PONT. MAX.

Ille etiam genere obscuro ortus, ac tenui fortuna, virtute ad Pontificatus apicem euectus, primæuæ paupertatis memor erat. Venerat namque ad eum mater: quã splendidiori cultu, ac tali filio digno, or-

nauerãt matronæ Rom. quæ, vbi in conſpectũ eiuſdẽ veniſſet, diſſimulauit Põtifex ſe eam agnoſcere. ac monitus adeſſe matrẽ, *Egon', ait, tam ſpecioſo amictu matrem eſſe credam? non agnoſco. matrem enim & pauperem ſcio, & ignobilem.* Erubuêre cuncti, matrique eductæ pannoſas exuuias reddidêre. quibus indutam, reducunt. Tunc genitricem amplexatus, *Hoc*, inquit, *habitu matrem reliqui, & talem libenter agnoſco, recipioque.* Cranz. lib. 8. Metrop. c. 46.

FRANCISCVS PRIMVS FRANC. R. & CAROLVS V. IMP.

Horum vterque maxima Fortunæ luctatio fuit. omnes enim illius inſultus fortiſſimè & conſtanter ſuſtinuêre. Captus à Cæſarianis FRANCISCVS apud Ticinum amnem, cuſtodiæ in Hiſpaniis traditur. quò perductus, aduertit muro palatij, quod ei carceris loco erat, inſcriptum illud CAROLI ſymbolum, *Plus vltrà.* & ſtudio id factum ſuſpicatus, vt nempe ſuæ conditionis memor eſſet, variam & ancipitem belli aleam conſiderans, eodem charactere ſubiunxit: *Hodie mihi, cras tibi.* quod intuitus poſt dies paucos CAROLVS, firmum ſe formatumq; ad omnes rerũ euentus conteſtatus, laudabilem illam ſententiam ſubiunxit: *Homo ſum, nihil humani à me alienum puto.* Auct. Serm. memorab. Peucerus de Diuinit. Richt. in Axiomat.

GELIMERES VANDALORVM REX.

Quid verò huic ſimile ætas noſtra aut ſenſit aut vidit? Ducebatur iam victus & vinctus vnà cum coniuge, liberis, familia regia, à Iuſtiniano Imp. in triumphum: & non tactus iniquæ ſortis caſibus, pleno & cachinnabili riſu defluxit. cumque eum

ob

ob nimium dolorem mente alienatum existimarēt, dicebat: *Rideo Fortunæ vicissitudines, vt qui modò Rex fuerim, iam seruiam.* Et ita obtinet illud Lyrici;

Fortuna læto sæua negotio, &
Ludum insolentem ludere pertinax,
Transmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alij benigna.

Philipp. Camer. in Oper. success. cap. 12.

REX ANONYMVS.

Gelimeris exemplum aliud illi par non indecorè sequetur, quod Nicephorus postumæ ætati consecrauit. Erat Sesostris Ægyptiorum Rex illustris, & felix, qui Reges quàm plures & maximas nationes suo imperio subiecerat. Verùm ex eo successu in proteruam arrogantiam sublatus, currum aureum & gemmatum construxit; in quo considens, quattuor ex deuictis Regibus qui eum protraherent, iugo imposito adhibuit. quod cùm crebriùs fieret, factum vt celebri quodam die vnus è quattuor istis Regibus, oculis conuersis, assiduè volubilitatē rotæ intueretur. Quem cùm Sesostris rogasset, cur tam frequenter oculos in rotam coniiceret; respondisse ferunt: *Admiror, & cum stupore rotam considero; dum eam instabili modo volui, & nunc quidem sublimia demittentem, rursus autem demissa sublimantem conspicor.* Mouit ea responsio, & magis, cuius illa index erat, rerum humanarum vicissitudo, ne illi deinceps currum traherent: & Fortunæ inconstantia, Sesostri suspecta, & despecta esse cœpit.

——— Sic omnia verti
Cernimus, atque alias assumere robora gentes,
Concidere has. sic magna fuit censuque virisque,
Perque decem potuit tantum dare sanguinis annos,

Nunc humilis veteres tantummodò Troia ruinas,
Et pro diuitiis tumulos ostendit auorum.

Niceph. lib. 18. cap. 29. P. Ioan. Dauid in Orbita Probitatis, cap. 18.

ANONYMVS.

At nostri sęculi & soli est quod subiicio. Occuparat Alexander Farnesius Parmæ Dux, vrbiũ Christiani orbis ocellum Antuerpiam: cùm à viro nobili admoneretur Marti valediceret, gloriam suam ad summum apicem attigisse. & inquiebat: *Solet Fortuna, cùm ad summum venit, rotam voluere; &, summa imis commutans, numquam diu stare.* Quis vaticinium illud verum fuisse negabit, qui subsecutam eius fortunam mente complectitur? Iansonius lib. 5. Mercurij Gallo-Belg. pag. 500.

FVGA.

D. ATHANASIVS.

SAluti per fugam oportunè aliquando consulendum, confirmauit prudẽtissimus ATHANASIVS: qui ab Alexandriæ Præfecto crebris insidiis petitus, necessarios suos de eiusmodi procellis alloquẽs, *Secedamus*, aiebat, *ad tempus. Nubecula est, quæ citò euanescet.* Socrat. lib. 3. hist. Eccl. cap. 12. & Theod. lib. 3. cap. 8.

IDEM

Probro illi dantibus hæreticis quòd fugeret, dicebat: *Si fugere mihi turpe; vobis, innocentem me persequi turpius.* Socrat. lib. 3. hist. Eccl. cap. 6.

ALPHONSVS ARAG. REX

De fuga fugiendíque ratione disserentibus, *Præclarè mihi dixisse videntur*, inquiebat, *qui fugienti hosti argenteum pontem extruendum arbitrati sunt.*

Existi-

Exiſtimabat enim optimus Princeps, vel multo optabilius hoſtem in fugam vertere quàm occidere; vel certè pecunia ſolicitandum, ab acie illæſus diſcedat. Panorm. lib. 4. de Reb. eiuſd.

FVRTVM.

ALEXANDER SEVERVS IMP.

QVia ad cęteras virtutes & vitia curſum flectimus, FVRACITATIS etiã infamiam redarguamus: veluti & eamdem redarguit olim ALEXANDER SEVERVS. qui tãtus huius delicti vindex exſtitit, vt per præconem edixerit frequentiùs: *Nemo principem ſalutet, qui ſe furem cognoſcit.* Æl. Lamprid.

IDEM.

Quin & Furti ſuſpicione infames ne intueri quidem ſuſtinebat: adeò, vt cùm Septimus Arabinus, qui famoſus furtorũ crimine ſub Heliogabalo fuerat, inter Senatores Principem ſalutatum veniſſet, exclamarit: *O numina! ô Dij immortales! Arabinus non ſolùm viuit: ſed in Senatum venit. fortaſſis de me ſperat? tam fatuum eſſe me iudicat?* Vnde iactabat etiam frequẽtiùs illam ſententiam cognitã furibus:

Ὁ πολλὰ κλέψας, ὀλίγα δοὺς, ἐκφεύξεται.

Qui multa furatur, & pauca dat, effugit.

D. LVDOVICVS F. R.

Et ille furari dicebat peſſimum, & pænè inter vitia ſupremum. rogatus autẽ cauſam; *Quia*, inquiebat, *res ablatas iuſto domino reſtituere, ita moleſtum eſt; vt verbum ipſum dum profertur, os & linguam exulceret.* Alludebat autem ad verbum Gallicum (*rendre*) quod propter conſonantiam duplicis *r*, diſſonum & duriuſculum redditur. Ionuil. in Vita eius, cap. 94.

FREDERICVS DVX SAXONIÆ.

Et de hoc ferunt, quòd monitus, Quæstoribus ampliora stipendia constitueret, ne cogerentur aliquando prę inedia decerpere ex alieno, responderit: *Libens ego eis maiora stipendia assignauero, si certum mihi foret eos à furtis cessaturos.* Ita Nazianzenus elegantissimè dixit, plures ex iis qui præsunt, rapere ex facultatibus publicis, Briarei manibus: fuit enim (iuxta Poëtarum commentum) Briareus Gigas, cui centum erant manus. Philip. Camer. in Postil. part. 3.

HENRICVS BOCKHOREN APOSTATA.

Longè aliter iste, quem & carnis & æris sacrilega libido à fide & sacro ordine amouerunt. Habita namque re Venerea cum eis quibus erat à cõfessionibus, & ablatis quarumdam Ecclesiarum pretiosis vasis, quæ, vt ruralis Archipresbyter, ad se deferri conseruãda mandauerat: meritos carceres perhorrescens, ad commune sacrilegorum receptaculum Caluinistas fugiens, tandem Bredano Brabantiæ opido impostor præficitur. Hîc, dum iam pridem sacras aras, quæ in Beginasij sacello inuiolatæ remanserant, demoliri curasset, ipsumque sacellum in suum vsum coaptari, & simul Decalogum ritè in eo describi; Religiosus ordinis Cisterciensis fors illi aderat. Cui dum isthæc conspicienda exhibuisset, tandem percontatus ille, Quo iure hęc veris dominis erepta, in vestrum vsum coaptatis? an fortassis Decalogi, quem hîc inscripsisti? Nil cunctatus IMPOSTOR, sermone patrio, *Papistarum*, ait, *ea bona sunt, & cuiusuis rapinæ subiecta, neque Decalogo comprehensa.* Ita diuinis præceptis sacrilegum illud genus indies illudit. Ex relatu Religiosi præfati.

GAR-

GARRVLITAS.

SENEX RELIGIOSVS ANONYMVS.

CORnicem à Pallade repulſam tradunt veteres, quòd meditationũ peruigilio infeſta ſit, mentiſque agitationem ſua garrulitate obturbet. Eadem de cauſa repulſum hoc GARRVLITATIS vitium à Religioſo quodam viro maturo, accepimus. Hic namque cum fratribus pergens ad S. Antonium, ſemper tacebat; illis mirum in modum garrientibus. ventum tandem ad Antonium, qui præuia ſalute, Mi Pater, ait, admodum facundos & bonos, vt video, nactus es comites. Cui ille: *Boni ſunt quidem, ſed habitatio eorum non habet ianuam: quicumq; vult, intrat in ſtabulum, & ſoluit aſinum.* Indicabat autem eos ſupra modum loquaces, quidquid in buccam venerit effutire. In Vita S. Antonij.

ADRIANVS VI. PONT.

Mirum in modum facetus hic fuit. Venerat enim ad eum quis ex clericis domeſticis, homo intemperatæ linguæ, poſtulans Archiepiſcopatum de Calliard in Hiſpaniis. Cui ille ad poſtulata alludens, (calliar enim tacere Hiſpanis eſt) *Quomodo*, inquit, *eam dignitatem tibi conferri deſideras, cui tu omnino contrarius es, & impar?* Ingenioſè nimiã eius in dicendo libertatem reprimens. Floreſta.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Conſiderabat etiam ille in multiloquio non deeſſe peccatum. hinc garrulos intuitus, *Videte*, aiebat, *has veſicas.* Veſicæ ſiquidem humoribus infuſis diſtenduntur & tumeſcunt, donec eum reſpuant: ita loquaculum illud genus. Panorm. lib. 4.

ANO-

ANONYMVS

Quidam iactabat se apud omnes maximum φιλολόγον. cuius ostentationem de audientibus vnus reprimens, *Non*, inquit, *φιλολόγον te, sed λογοφίλον conspicor.* pulchrè eius loquacitatem mutato nomine redarguens. Theat. vitæ hum.

Vide Apophth. de LIBERE DICTIS, SILENTIO, *&c.*

GLORIA.

S. BASILIVS.

TAndem Virtuti suum præmium rependimus, GLORIAM. Exiguum quippe nobis vitę virtutisque exercitæ curriculum natura circumscripsit; immensum verò sempiternumque honoris & glorię: ad quę sola via est Virtus. Hinc de illis differens aliquando D. BASILIVS, *Si gloriam*, inquiebat, *quæris, & cupis superior multis videri, & in rebus mundanis clarus fieri; sis iustus, temperans, prudens, fortis & patiens in aduersis pro religione suscipiendis.* Ant. & Maxim. Mon. Orat. de gloria.

ANTONIVS SYLVERIA LVSIT.

Denique non paruas animo dat Gloria vires: quę etiam arripuit attraxitq; ANTONIVM SYLVERIAM, arcis Diensis Præpositum. Viderat ad eam expugnandam copiosam Turcarum classem aduentare; & ad nobiles suos serenâ fronte conuersus, *En*, inquit, *viri, tempus nunc, acceptam à maioribus gloriam bellicam, debitamque tum Deo tum Regi nostro fidem, nobis ob oculos ponendi. quæ si intueamur, omnes hostiles apparatus periculaque pro nihilo ducemus.* Profuit

præ-

præſens Ducis animus ad palmam de tanta claſſe obtinendam. P. Maff. hiſt. Ind. lib. 11.

HIERONYMVS OLGIATVS.

Non illum perinde fax honeſtæ mentis accenderat, ſed eum imitatus qui Dianæ Epheſinæ fanum exuſſerat, in Galeatium Sfortiam Mediolanenſem Ducem ſicarij munus obiuit. Rogatus autem, quî tantum facinus attentare auſus; *Solo*, inquiebat, *gloriæ & nominis poſtumi deſiderio permotus.* Cumque iam ſuo corpori gladium admoueret carnifex, paululum ſe colligens; *Age*, dicebat, *Hieronyme, ſtabit vetus memoria tui facti: mors acerba, fama perpetua.* Quam doctè & verè Iuuenalis:

——— Patriam tamen obruit olim
Gloria paucorum, & laudis tituliq; cupido
Hæſuri ſaxis cinerum cuſtodibus.

Egnat. lib. 8. cap. 15.

COMES DOSSVNÆ HISP.

Non minimus vanitatis huius auceps iſte. Obuius namque cuidã è regio palatio venienti, Quiſnam, ait, de me in palatio ſermo? alter pudore & rubore pariter ſuffuſus, Nullus, reſpondit; neque qui ad laudem faciat, neque qui aduerſus eam. Audit ille, & indignatur propter adſtantes, qui eum virum magnum reputabant, & in omnium labris: ac innocentem fuſtibus excipi, deinde 50. aureis donari mandat, dicitque: *Iam tibi materies laudis & vituperij: vtere, & adhibe in palatio.* Floreſta.

SEBASTIANVS DE FLECKENSTEIN.

Fuit hic nobilitate, reique militaris peritia, inſignis. cui dum inter dimicandum Turca quidã ſacculum nummis plenũ, velut redemtionis pretium, obieciſſet; eum tamquam victoriæ remoram ex equi ſella

ſella deiecit; *Ad Ditem veſtrum*, inquiens, *abite diuitiæ. non enim hîc aurum, diuitias, aut alia malorum irritamenta quærimus: ſed virtutis præmium potiùs, & gloriam militarem.* Melch. Soiterus de bello Pannonico, lib. 2.

GLORIÆ VANÆ CONTEMPTVS.

IESVS CHRISTVS.

QVamuis iuſtam gloriam, quę verę virtutis honeſtiſſimus eſt fructus, repudiare leuis ſit animi: inanem tamen aucupari rumorem, vmbraſque falſæ gloriæ (quæ bonorum ſpiritualium latro, ſecundùm Baſilium) conſectari, non minor leuitas iudicanda eſt. Talis autem eſt ea omnis quæ humanæ opinioni & laudi innititur. Hæc erat mens, hæc doctrina Mediatoris noſtri CHRISTI. quem dum admirarentur Iudæi ſuper eruditione & doctrina ſua, dicerentque: Quomodo hic ſcit litteras, cùm non didicerit? verus humilitatis magiſter, *Mea*, inquiebat, *doctrina non eſt mea, ſed eius qui miſit me.* Ita quoties admiranda quædam opera fuerat exſecutus, ſemper ne cui diceret vetabat. nos inſtruens, vt ſi gloriari velimus, in Domino gloriemur: non enim qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt. Ioan. cap. 7.

S. MARCELLVS ABBAS.

Sui magiſtri verus diſcipulus MARCELLVS, cùm Energumenos exorciſmo & precibus curaret, dæmonemque poſſeſſam manſionem relinquere compelleret, clamaretque ille; Iube nos exire, quia in nos accepiſti poteſtatem; nihilominùs in oratione perſeuerat. Siſcitanti autem, cur dæmonibus ceſſu-

ros

tos se confitentibus, nihil præciperet; *Quoniam*, ait, *dicentes me in eos accepisse potestatem, non agebat aliud, quam vt me vanæ gloriæ laqueis implicaret.* In vita eius apud Sur.

S. DOMINICVS.

Quid? nónne & DOMINICVM inanis hæc aura afflauit? Non afflauit certè. cùm enim Tolosæ plures ad Christi fidem conuertisset, tamen Carcosiæ figebat domicilium. Rogatus cur non potiùs Tolosæ moraretur; *Quia*, inquit, *plures ibi me honorant: hîc verò me omnes impugnant*. Maluit vir sanctus se persecutionis quàm inanis gloriæ stimulis conficiendum exponere. In vita eius, lib. 4. cap. 10.

S. ANTONIVS ABBAS.

Quin & hunc tradunt Martiano militum præfecto, pro filia quam nequitiæ spiritus possederat supplicanti, respondisse: *Ne me opem poscas, nam & ipse peccator sum: si in Christum credas, eidem pro filia tua supplex fiam.* Vnica responsione tria simul expressit bona: humilitatis obseruationem & gloriæ fugam, fidei virtutem, infirmitatis remedium. Athan. in vita.

S. IOAN. CANONICVS REGVL. IN ANGLIA.

Et de illo memoriæ proditum, quòd cùm Inclusam visitaret, vt spiritualibus eiusdem frueretur alloquiis; illa quasi primis verbis se visionem habuisse diceret, aquilæ videlicet circumuolantis; adderetque: Tu pater illa aquila es, pro excellentia meritorum tuorum. Quo audito ille recessum parat, dicitque: *Nos eo fine accessimus, vt mutuis sermonibus Dei gratiam conciliaremus. At video, malus dæmon vitiorum nostrorum sagax explorator, per has inanes*

laudes

laudes aditum sibi in animos nostros parat. Ita virgines illæ, dum de virginitate sua gloriam foris expetunt; veluti fatuæ, in vasis suis oleum habere noluerunt. Sur. tom. 5. in vita eiusd.

S. PACOMIVS ABBAS.

Erat quoque hic admirabilis sanctitatis & prudentiæ: cùm namque aduerteret quemdam ex suis duas paruas storeas à se vno die factas (cùm reliqui non nisi vnam confecissent) ex aduerso sibi posuisse, vt ab eo laborantis prædicaretur industria, dixit adstantibus gemens: *Frater iste à manè ad vesperam vsque laborans, totum suum opus dæmoni consecrauit.* ac rogantibus eius rei causam, respondit: *Quia nihil sibi fructus ex eo opere reliquit, cùm plus amarit gloriam hominum, quæ contemnenda erat, quàm Dei largitoris, quæ maximè diligenda.* Quare eum seuerè puniens, conceptæ vanitatis vitium præsenti medicina sanauit. Ibid. tom. 3. in vita.

SARA ABBATISSA.

Etiam fœminis hîc sua laus. SARA quidem Abbatissa, Deo deuota, cùm dæmonis suggestione diu vexata, tandem eam repressisset, eique humani generis hostis apparens diceret: Fateor, tu me vicisti: *Non ego,* inquiebat, *te vici, sed Dominus meus Christus.* In vitis PP.

IOAN. PICVS MIRANDVLA.

Et ne alterius ordinis viros hoc honore priuemus: quis IOANNEM PICVM sileat, qui humanam gloriam fumo persimilem æstimabat? dicebat autem: *Fama viuis nonnihil, mortuis minimè profutura.* tantumque quod sciret ipse æstimabat, quantũ Ecclesiæ vtilitati, eliminandisque erroribus, conducere posse sciebat. Eleganter Boëtius lib. 2. Met. 7.

Qui-

Quicumque solam mente præcipiti petit,
Summumque credit gloriam:
Latè patentes ætheris cernat plagas,
Arctumque terrarum situm:
Breuem replere non valentis ambitum,
Pudebit aucti nominis.

CAROLVS V. IMP.

Require Apophth. de CHRISTI HONORE, *&c.*

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Addamus, quamquam æuo dissitum, sensibus & huic loco tamen assitum, LVDOVICI eius nominis duodecimi exemplum. Qui rogatus causæ Benedicti Scaligeri aduersus Venetos patrocinaretur (illi enim Veronam aliaque opida Scaligeris extorserant) *Non his*, respondebat, *mihi opus, qui pro diuitiis titulos & tumulos auorum demum ostentare soliti sunt*. innuens vanam illam & sine re esse ostentationem, ac de eâ gloriari, stultum & stolidū. Hinc acutè nobilem quemdam, & desidiosum adolescentem redarguens Persius, ita loquitur:

Hoc satis? an deceat pulmonem rumpere ventis,
Stemmate quòd Tusco ramum millesime ducis,
Censorémve tuum vel quòd trabeate salutas?
Ad populum phaleras.——

P. Æmil. in vita.

GLORIA CÆLESTIS.

IESVS CHRISTVS.

INani illa præmissa, superest vt VERAM ÆTERNAMQVE GLORIAM nostræ menti infigamus. Cuius non immemor Petrus Apostolus, ad eam anhelans,

helans, eiusdem retributorem DOMINVM rogabat: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te; quid ergo erit nobis? qui scintillam aliquam illius Gloriæ præfigens; *Amen dico vobis*, ait, *quòd vos, qui reliquistis omnia, & secuti estis me, in regeneratione, cùm sederit Filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Et omnis qui reliquerit domum, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit.* Matth. cap. 19. Mar. 10. Luc. 3.

S. FRANCISCVS.

Mirum in modum huius Gloriæ ardore succensus FRANCISCVS. Cùm enim interrogaretur quomodo tam tenui amictu hiemalis algoris asperitatem temperaret; respondit: *Si supernæ flammâ patriæ per desiderium contegeremur, facilè nos ab hoc frigore tueremur.* Sur. tom. 5. in vita.

IDEM

Dum ob assiduas lachrymas oculorum imbecillitatem adeptus esset, ab eisque sibi temperandum dicerent, ni corporei visus vsu priuari vellet: *Non est*, inquiebat, *ob amorem luminis quod nobis cum muscis commune est, visitatio lucis æternæ vel modicum repellenda: non enim propter carnem spiritus, sed propter spiritum caro lucis beneficium accepit.* Ibid.

S. FVLGENTIVS EPISCOPVS RVSPENSIS.

Fulgebat quoque hoc CÆLESTIS GLORIÆ amore FVLGENTIVS: qui Arrianorum persecutionem iuxta Christi mandatum fugiens, Romæ cùm peregrinaretur; visa vrbis magnificentia, ad collegas versus, in hæc verba prorupit: *Quàm speciosa esse potest Hierusalem cælestis, si ita fulget Roma terrestris? & si in hoc sæculo datur tanti honoris dignitas diligentibus vani-*

vanitatem, quænam præstabitur sanctis diligentibus veritatem? Magna certè, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit. Sur. tom. 1. in vita.

S. PORPHYRIVS.

Similis etiam sententia est, quam in re non omnino dissimili protulit PORPHYRIVS Gazæorum Episcopus. dum namque ex causa quadam Constantinopoli existens, Theodosij iunioris infantem ingenti cum pompa ad sacrum Baptismatis fontem deduci cerneret: Nos (inquit vitæ eius scriptor) mirati tantam gloriam. admirantibus autem dicebat S. PORPHYRIVS: *Si ea quæ paulò pòst euanescunt, tantum gloriæ splendorem habent; quantum habitura sunt cælestia, quæ parata sunt sanctis & electis Dei?* Consideratione dignum quod ait S. Augustinus, Soliloq. cap. 21. & Enarrat. in Psal. 85. Peccatoribus se indies blasphemantibus dat Deus cælũ, terram, fontes, fructuum vbertatem. Qui autem talia peccatoribus largitur, quid eum putabis seruare suis fidelibus? Sur. tom. 1. in vita. Th. Staplut. Domin. Septuag. in Prompt. morali.

IVLIANVS ABBAS.

Videbat & is socios sua domicilia ampliare: &, *Vereor*, inquiebat, *ô viri, ne dum terrena dilatamus habitacula, minuamus cælestia: atque hæc nobis ad modicum tempus conueniunt, cælestia verò æterna.* In Vitis P P.

S. LVDOVICVS EPISC. TOLOS.

Erat is Caroli Regis Siciliæ ex Maria Hungariæ Regina filius, de quo frequens nobis & illustris sermo. Hic terrenum regnum splendidam seruitutem vocitabat: &, *Si domum*, inquiebat, *ac paternum-*

regnum contemplor, paruum id est contemplanti ingentia illa spatia, quæ sursum sunt: in quorum possessionem animus admittitur, si se homo erexerit supra se. Ex membr. vetusta in Biblioth. Fratrum minorum LouanI.

THEODORICVS EPISC. COLONIEN.

Vide Apophth. de MORBO.

S. DOROTHEA VIRGO ET MARTYR.

Prosequamur etiam ardens huius Gloriæ in infirmiori sexu desiderium. DOROTHEA VIRGO, à Fabricio Præfecto aliquamdiu torta, cùm iam ad capitale supplicium duceretur; *Gaudeo*, inquiebat, *me ad sponsum pergere, cuius Paradisus omnium florũ ferax amœniùs vernat, quàm dici posset.* Verè non erit ibi ampliùs neque luctus, neque clamor, sed nec vllus dolor: quæ prima abierunt. Sur. in vita, tom. 1.

S. MARIA OEGNIACENSIS.

Illi comitem se præbet hæc. rogata enim, num ex laudibus humanis, aut diuinis reuelationibus, se vanæ gloriæ stimulis titillari aliquando sentiret; respondebat: *Comparatione veræ gloriæ quam ego exspecto, nihil est, aut æstimari potest omnis humana gloria, aut prædicatio.* Sur. in vita.

RECAREDVS HISP. REX.

Require ÆTERNITAS.

AMEDÆVS SABAVD. DVX.

Vide IN PAVPERES LIBERALITAS.

GRA-

GRATITVDO.

S. TRANQVILLINVS MARTYR.

OPtima beneficiorum custos est ipsa eorumdem memoria, & perpetua gratiarum confessio. vnde contendentem Agrestium Præfectum, Solem summo iure pro numine habendum; TRANQVILLINVS hoc modo compescuit: *Num, inquit, nauibus tibi alimẽta ferentibus gratiæ agendæ potiùs, quàm Regibus? Si ergo Regibus asportata adscribitur annona; quanto magis vni Deo gratiæ agendæ, cuius nutu omnia elementa nostris vsibus deseruiunt.* Sur. tom. 1. in vita.

S. SABA.

Hic Cœnobiorum multorum pater, Agarenis per cellam transeuntibus, apposuit melagriorum & arundinum radices. neque enim aliud ei in cibum. Illi regressi, caseos & dactylos referunt. Tum SABA, *Heu mihi!* inquit, *Barbari isti, parui nostri beneficij memores, referre gratiam munificè studuerunt: nos, qui bonis creatoris fruimur indies, nullam ei studemus referre gratiam per mandatorum obseruationem. Quæ venia? quæ excusatio?* Sur. tom. 6. in vita.

S. RVMOLDVS ARCHIEPISC.

Contendebant apud illum parentes, heroinam stemmate illustrem in coniugem, & simul Scotiæ adsciseeret gubernacula. At ille soli Deo vacans, *Quid*, inquiebat, *Imperium, quid mulierum amplexus, mihi propediem emigraturo profutura sunt? cùm nihil tunc sim habiturus, quod gratitudinis loco Deo, omnium bonorum largitori, queam referre.* Ex vita eiusdem.

B. IGNATIVS LOIOLA

Cùm linguæ Italicę puritati nequicquam incumberet, & vix vlla profectus spes superesset; *Ego*, aiebat, *à bonorum largit ore non plus accepi, conferam tamen in eius laudem hoc quidquid est, quod vt Deo redderem, ab ipso accepi.* Ribadin. in vita lib. 3. c. 3.

THEODOSIVS IMP.

Spectabilis insuper in THEODOSIO hæc Gratitudo fuit. Exhibiturus erat suo populo Circenses ludos, & nuntium accipiebat, Tyrannum Ioannem in Occidente interemptum: cœptoque desistens, populo qui spectatum aduenerat, denuntiat: *Relinquamus hoc propositum, & ad Ecclesiam properantes, Deo gratias agamus, cuius manus Tyranni præsumptionibus obuiauit.* Dixerat. & ecce fit frequens ad Ecclesiam concursus, gratiæque ter maximo Deo redduntur. Socrat. Trip. hist. lib. 11. cap. 18.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Ille etiam hac gloriâ illustris, sæpiùs ad amicos dixisse commemoratur: *Deo tribus potissimùm de causis incessanter gratias ago: quòd me rationale animal esse dederit: quòd Christianum: quodque inter Christianos, Regem.* An non meritò Platoni præferendus? qui, cùm etiam sibi de primo gratularetur; adiecit, se diis gratias habere, quòd ciuis esset Atheniensis, ac Socrate magistro vsus. Æn. Sylu. de dict. Alphonsi.

CAROLVS V. IMPERATOR.

Conquerebatur apud eum domesticorum quispiam, quòd cum suæ Maiestatis obsequio omnem operam impẽdisset, minùs tamen sibi de celebriori officio prouideri, quàm cęteris. At CAROLVS, *An nescis*, ait, *quò Soli Luna est vicinior, eò minus ab illo acci-*

accipiat luminis? Significabat autem id Magnatibus vſu venire, vt qui illis officio aut miniſterio propinquiores, ſint à promotione remotiores. Chyt. in Orat. de vita Caroli.

GRAVITER DICTA.

ALPHONSVS ARAG. REX.

VT facetè & iocosè dicta ſuum leporem & venuſtaté, ita grauiter prolata ſuam etiam energiam habent & grauitatem. Durante inimica illa contentione, quæ erat inter Franciſcum Sfortiam & Nicolaum Picinium, ſciſcitabantur Matricienſes Legati ex ALPHONSO ARAGONIO, vtrum illorum ſibi in amicitiam adſciſcere vellet? Quibus ille: *Vtroſque tamquam amicos habeo, & ab vtriſque velut hoſtibus cauendum mihi exiſtimo.* Sentiebat quippe perdifficile ita vnius familiaritate vti, vt alterius qui huic hoſtiliter inſidiatur, offenſam non incurras. Panorm. lib. I. de Geſt. Alph.

DVX VENETIARVM ANONYMVS.

An aliud à VENETORVM DVCE exſpectandum? Galliarũ Rege ad Ticinum capto, factũ vt eiuſdem Orator, ſubtriſti vultu Regis ſui cladem nuntiaturus, adueniret in Palatium: quo tempore etiam Imperatoris Caroli legatus Ducem præſtolabatur, lætus admodum, obtentæ iam palmæ deferens nuntium. conſpicatuſque vtrumque DVX (vt erat prudentiſſimus) quò ſe in neutram partem inclinari teſtaretur; *Faciam*, inquiebat admodũ grauiter, *iuxta mandatum Apoſtoli: Gaudebo cum gaudente, & flebo cum flente.* Eoque dicto vtriuſque animum placauit. Auct. Serm. memor. Corozet.

GVBERNARE.

SIGISMVNDVS IMPERATOR.

VElut is qui in puppi ſedens flectit gubernacula, ſimul nauem ipſam flectit reflectitque: ita ad Reipublicæ clauum conſtitutus, eam regit dirigitq;. Quis illud ipſum intellexiſſe SIGISMVNDVM inficiabitur? apud quem dum quiſpiam gloriabundus vrbanos Magiſtratus deſpiciendos diceret, militumq; tribunos extolleret; excandeſcens, *Tace*, inquiebat, *ô Thraſo: nullâ nobis militiâ foret opus, ſi ſuas quiſque ciuitates & imperia iuſtè recteque gubernaret.* Significabat bellorum fomitem Prælatorum ſocordiam: adeoque nihil verius, quàm illud Horatij:

Quidquid delirant Reges, plectuntur Achiui.

Æn. Syl. de Dict. Alph.

FRANCISCVS BORGIA DVX.

Quare prudenter dixiſſe fertur iſte: *Qui ceteris præeſſe volunt, non vnâ omnes qui parent regulâ metiri oportet: ſed bonos milites imitari; qui pro fiſtulæ captu, machinam bellicam ſulphureo puluere implent, ne diſſiliat.* Ribad. lib. 4. vitæ eius, c. 8.

ALEXANDER SEVERVS IMP.

Tempora confundimus, ſed in re eadem. Suſpectos habebat SEVERVS IMP. eos, qui vltrò honores ambirent, eoſque Reipub. pernicioſos exiſtimabat. Itaque cùm vrbi ſuæ Præfectum deſignaſſet, iſque fugam capeſſeret, ne publico iſti muneri deſeruiret; retractum, reluctantem, & inuitum eodem nihilominùs ornauit, dicens: *Inuiti, non ambientes in Rempublicam collocandi.* Æl. Lampridius.

PETRVS

PERVS ALDOBRANDINVS CARD.

Dignitate & ordine ceteris prior, non item æuo ille. rogatus, quísnam benè gubernaret: respondit; *Qui vim habet numinis.* Sensit autem cum Homero, neminem rectè gubernare, nisi ex dono Dei. Henricus Farnes. in Apophth. de Principe.

HÆRESIS, HÆRETICI.

AGATHON ABBAS.

INfandam humani generis luem perniciemque cum formidine attingimus. quâ infecti, velut caupones pessimi (vt est apud Hieronymũ in cap. 1. Isaiæ) faciunt ex vino aquã, cùm è conuerso Christus aquam mutarit in vinum. Verè monstrum horrendum, informe, ingens, cui lumen omne tam diuinum, quàm naturale ademtum: Deo inimicum, bonis omnibus inuisum; & inter illos AGATHONI Abbati. Cui dum varia per calumniam imponerentur crimina, & ille humilitatis ergô omnia in se libens agnosceret; postrem ùm eum Hęresis labe pollutum obiiciunt. Tum ille: *Absit hoc malum ab animâ meâ.* Quærentibus autem, cur ad Hæresis nomen commoueretur, alia verò crimina tam æquo animo sustineret; *Quia,* ait, *peccatorem me scio: hæresim autem quæ à Deo separat, non fero.* In vitis PP. de patient. & humilit. Part. 2.

APHRAATES MONACHVS.

Ille hanc pesté minimè in semetipso: at neque in aliis hic sustinebat. Cùm namque Valens Imp. Antiochenos crudeli modo diuexaret, quòd Arrianum dogma suscipere recusarent; APHRAATES eos confirmaturus, celeri gradu processit. Vidit eum Impe-

rator è porticu; & quo properaret, rogat. *Oratum*, ait ille, *pro tuo imperio.* At hoc domi factũ oportuit, inquit Valens. *Rectè dicis*, subdit APHRAATES, *& verè feci, donec Christianis in pace esse licuit. Tu autẽ nunc turbatis Ecclesiis ignem iniecisti, quem pro virili restinguere conabor.* Huius ignis (proh dolor!) nimis euidens & frequens testimonium exhibet Belgicum hoc solum: in quo vix pedem ponas, qui non ilicò exustas exesasque templorum machinas contingat. Theod. lib. 4. cap. 26.

S. POLYCARPVS MARTYR.

Iste Marcioni fortè obuiam factus, rogatusque ab eo, An me agnoscis POLYCARPE? *Agnosco*, respondit, *primogenitum Satanæ*. Hac laude dignos eos reputabat, qui ab Ecclesiæ gremio transfugissent. Euseb. lib. 4. hist. Eccles. cap. 14.

HÆRETICI FVGIENDI.

PAPHNVTIVS MONACHVS.

CVm ergo tam nefanda pestis sit HÆRESIS, quis nõ eam velut colubrum fugiet, & vt summam perniciem summo etiam conatu detestabitur? Viderat PAPHNVTIVS Maximum Episcopum inter hæreticos quadam occasione consedisse; & assurgens, manuque eum trahens, *Haud patiar*, inquit, *venerabilem Episcopum in cathedra pestilentiæ sedere, & cum impuro hoc grege verbo communicare.* Hic erat antiquus ille feruor & zelus primorum Athletarum: qui simul etiam cum illis pænè interiit abiitque. Sozom. lib. 2. cap. 24.

MOSES ABBAS.

Quid verò hic? Missus à Valente Imp. rogatu

Mauię Saracenorum Reginæ Alexandriam, vt Episcopali infula insigniretur; vidit Lucium Arrianum paratum sibi imponere manus. cui MOSES: *Absit, vt tua manus me consecret. Tua namque inuocatione Spiritus sancti gratia in neminem descendit.* Cui Lucius: Vnde isthæc coniicis? *Non coniicio,* inquit alter, *sed certissimum id mihi. pugnam etenim contra doctrinam Apostolicam, eique contrariam proponis, verbisque blasphemiæ impiè facta coniungis.* Insignis castigatio, & ab omnibus laudata. Theod. lib. 4. cap. 21. Sozom. lib. 6. cap. 8.

SS. ALEXANDER ET CAIVS.

Illi item capite damnati, dum vnà cum Marcionistis ad supplicij locum ducti essent, vnicum illud deprecabantur, vt separatim ab iis occiderētur. *Ne,* inquiebant, *sanguis noster cum illis misceatur, qui parùm rectè de Catholica fide fuerunt opinati.* Tam timoratæ per ea tempora fuerunt Christianorū mentes, vt ne mortui quidem hæreticis se commisceri sustinerent. Bapt. Fulgos. lib. 1. cap. 3.

S. ALEXANDER EPISC. ALEXANDRIÆ.

Huius etiam præclara vox: *Par est, vt nos qui sumus Christiani, omnes qui contra Christum loquūtur, tamquam Dei hostes & corruptores animarum deuitemus.* Et sanè, quæ participatio iustitiæ cum iniquitate? quis consensus templi Dei cum idolis? Socrat. hist. Eccl. lib. 1. cap. 3.

S. ANTONIVS.

Quid autem, ceteris si non præferendus, meritò tamen adiungendus, ANTONIVS? qui ne verbis quidem Manichæos vmquam dignatus. dicebat enim: *Talium amicitiæ atque sermones, non nisi mera animæ pernicies.* ac de Arrianis aliquando ita sentiebat,

bat, vt serpentibus deteriores diceret eorum conciones. Athan. in Vita.

FRANCISCVS I. FRANC. REX.

Lubeat his etiam annectere priscum illum Christianorum Principum feruorem, & quidem Christianissimi Regis FRANCISCI; qui, quamuis fœdus cum Henrico VIII. Angliæ Rege inierat, nũquam tamen à Sedis Apostolicæ obedientia se subtraxit. quin Henrico per Oratores contra Rom. Pontificem suppetias postulanti, respondit: *Aliis in rebus fraternum animum exhibiturus sum; sed in his quæ Religioni aduersantur, nulli me associauero.* Verè digna tali Rege vox, & à Polo, qui tum superstes, non parùm laudata. N. Sanderus, lib. 2. de Schism. Anglic.

IDEM.

Quin æternę memorię consecrari dignum, quòd sæpè adstante Procerũ conuentu, in hæc verba proruperit: *Si scirem brachium meum hæresi infectum, rescinderem, & comburerem.* Vtinam nihil ab illo mutati Regni illius successores! Auctor rerum Memorab.

PVERI ANONYMI.

Habeat & hîc suum locum PVERILIS ætas, & exemplum præbeat bonæ laudatæque indolis, & cũ hac huiusce virtutis. Narrat Theodoretus, PVEROS quosdam Christiana fide imbutos, in tantum hæreticos abhorruisse, vt cùm fortè pilâ in foro luderent, eaque è manibus prolapsa, sub Lucij hæresiarchę asinũ transiret, eiusq; calcem tangeret; eam contrectare noluerint, sed inclamauerint: *Contaminata est, polluta est; neque, nisi per ignem expietur, contrectanda.* Lib. 4. hist. Trip. cap. 14.

HISTO-

HISTORIA.

ALPHONSVS ARAG. REX.

TE te rerum omnium, & Principum potissimùm virorum, curiosa indagatrix compello: quę res gestas Regumque Ducumque, & tristia bella ad seros nepotes transmittis. Oblectatur tui præsentia ALPHONSVS, dum Capuæ decumbens ex febri, nihil solatij in morbi sui molestiis persentisceret. Q. Curtij Alexandrum in manus sumens, omnem ægritudinis languorem superauit, dixitque: *Valeat Auicenna, valeat Galenus, & alij medici: viuat vnus Curtius restitutor sanitatis meæ.* Ant. Panorm. de Gest. illius, & Æn. Syl. de eiusd. Dictis.

CAROLVS V. IMPERATOR.

Sed & Historiæ scriptorem, virum bonum prudentemque, ac propositi tenacem esse debere, docuit nostri & futuri fortassis sæculi decus & æuiternum ornamentum CAROLVS V. IMP. Austriacus. Audiebat Ioan. Sleidani historiam, quæ res à se gestas continebat, coram se legi. & identidem dicebat: *Mentitur nebulo.* ad extremum adiiciens: *Quænam istorum scriptis veritas fidesque insit, cùm veritatis fideique lucem in seipsis extinxerint?* In vita Caroli apud Surium & alios.

FREDERICVS SAXONIÆ DVX.

At quæ non vtilitas ex historiis? Curabat sibi præscribi historiarum epitomen Elector FREDERICVS, quam etiam in grauissimarum rerum deliberatione adhibebat: nec rarò dicebat: *Haud voluptatis ergô tantùm historiarum cognitione oblector; sed potissimùm, quòd ea ad benè beateque viuendum viua exem-*

exempla & commonefactiones ob oculos ponant. Historia namque meritò hoc encomio gaudere debet,

— quòd gestis præsit custodia rebus,
Et det, quod caueas, quodq; sequaris iter:
Priscaq; ne veteris vanescat gloria sæcli,
Gaudeat inuisis eruere è tenebris:
Et sua virtuti dare præmia, & impia rursum
Sedula famosis mittere facta notis.

Georg. Richt. in Axiom. Oeconom.

HOMO.

ISOCASIVS QVÆSTOR LEONIS IMP.

IMbecillitatis fragilitatisque exemplum HOMINEM producimus, & simul ISOCASIVM Quæstorem. qui, traditus ab Imperatore Leone ob certa quædam flagitia Iudici examinandus, cùm in habitu condemnati ad prætorium duceretur, percontanti, Viden' quo in statu sis? *Video,* inquit, *neque nouum id mihi, si homo cùm sim, humanis casibus subiiciar.* & hic, vt quõdam ille, nihil à se humani alienum existimabat. Zonar. lib. 3. Annal.

CAROLVS V. IMP.

Require FORTVNÆ INCONSTANTIA.

ÆNEAS SYLVIVS.

Antequam primo illo honore pręfulgeret, audiebat differentes quosdam de humanæ sortis fragilitate. &, *Comœdia,* inquiebat, *est vita, cuius vltimus actus in morte agitur. nemo bonus poëta habetur, nisi ad finem vsque omnes actus prudenter explicet.* Præclarè pariter & doctè monet Ethnicus:

Disciteque ô miseri, & causas cognoscite rerum,

Quid

Quid ſumus, & quidnam victuri gignimur, ordo
Quis datus; humanâ quâ parte locatus es in re.

Lib. 3. Comm. eiuſd. de Reb. Alphonſi.

FERDINANDVS IMP.

Ille etiam humanæ conditionis memor, HOMINEM cælo, terra, mari, arboribus brutiſque dicebat longè inferiorem. & ſciſcitanti cauſam, *Quia omnia hæc,* inquiebat, *tempeſtatem præſentiunt; ſolus homo mala ſua nec ſentit, nec proſpicit.*

Nam gens hominum fertur rapidis
Obuia fatis, incerta ſui.
Stygias vltrò quærimus vndas.

Chron. German. Imp.

FRANCISCVS BORGIA DVX.

Hanc Ferdinandi conſiderationem nulla conuenientiùs quàm FRANCISCI BORGIÆ ſubſequetur ſententia. Grauiter eum affligebat Tertiana, ita vt pęnè ipſas medullas ſuo æſtu concoqueret. cumque vi morbi debilior factus iaceret; ſe recolligens, *Heu!* ſuſpirabat, *quàm iam didici nihil eſſe in humanis perpetuum.* Quod idem mente aliquando complexus Iuſtus Lipſius V. C. Epitaphio ſuo, quod Louanij viſitur, ipſe inſeruit:

HVMANA *cuncta fumus, vmbra, vanitas,*
Et ſcænæ imago, & verbo vt abſoluam, NIHIL.

Ribadin. in vita Borgiæ.

THOMAS MORVS.

Quin, quòd tota hæc vita noſtra nihil aliud ſit, quàm ad mortem damnatorũ, in hoc mundo tamquam in carcere poſitorum, continua expectatio; quò alij ocyùs, ſeriùs alij euocantur; hac hypotheſi docuit vir & ſapientia & ſanctitate celebris THOMAS MORVS. dicebat enim: *Velut qui è carcere ad*

pati-

patibulum ducitur, quò duæ quidem viæ ducunt, vna breuis & recta, per circuitum altera; nescit quánam ducatur, nec longiorem sibi viam promittit propter alterius viæ incertitudinem: ita iuuenis, etsi videat senem per circuitum duci ad mortem, & ignoret an eò ipse ducatur, longiorem tamen ob id sibi vitam promittere non potest. Quis enim inter homines

> —— *tam Diuos habuit fauentes,*
> *Crastinum vt posset sibi polliceri?*
> *Res Deus nostras celeri citatas*
> *Turbine versat.*

In vita Th. Mori, cap. 12. apud Staplut.

HONOR.

ABBAS DE BAIGNE ANONYMVS.

VIrtutem velut vmbra sequitur HONOR: cuius proinde appetitus si moderationis fines non transilit, reprehensione caret. Habuisse eum quemdam ABBATEM DE BAIGNE meminit Corozetus in suis Memorab. à quo cùm Ludouicus XI. peteret, Abbatiâ cederet; subtiliter & modestè, *Quadraginta*, inquiebat, *annis vacaui, vt priores alphabeti litteras A B addiscerem: at iam totidem requiro, vt subsequentes D C ediscam.* Significabat autem, se demùm post annũ suæ professionis quadragesimum in Abbatem electum, & velle annis totidem eodem munere perfungi, priusquam cederet.

ALPHONSVS REX ARAG.

Esse autem vnicam ad honores viam, Virtutem, hoc modo declarabat ALPHONSVS. Suadenti enim sibi cuidam familiari, tranquillè dum posset & securè viueret, neque se tot tantisque periculis obiectaret,

ctaret, respondisse fertur: *Non temerè à Romanis, & iis quidem sapientioribus, Honoris templo Virtutis fanum coniunctum est: vt in id nemini, nisi per illud, transitus pateret.* Non itaque per voluptatem & otium; ——— *sed semita certè*

Tranquillæ per virtutem patet vnica vitæ.

Panorm. lib. 1. de Gest. eiusd.

IDEM

Interrogatus, quid honor esset sine vtilitate; *Perinde*, respondit, *ac si peracutùm cernas, sed offensus caligine in tenebris oberres.* Anne fortassis innuere volebat illud Poëtæ,

——— *Virtus sine censu languet vbique.*

Panorm. lib. 2.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Vide Apophth. de MANSVETVDINE, *&c.*

REX ANONYMVS.

Quàm verò apud quosdam illud obtineat, Honores mutāt mores, at rarò meliores, docet is quem subnectimus. Erat filius Carbonarij homo humili loco natus, qui populi sui suffragiis in REGEM deligitur: quo audito pater accurrit lætus, natumque splendore regio conspicatus, cùm se ab illo non videri existimaret; An, ait, me cognoscis fili? cui ille, *Quid*, inquit, *pater, ego meipsum non cognosco, & quomodo te agnoscam?* Gotscal. Serm. 17. Part. æstiualis, lit. C.

ANONYMVS.

Aliud insuper adiiciam. Dum electus esset in Archiepisc. Tolosanum Franciscus Simenez, amico, quem summum habebat, felicem suarum rerū successum nuntiauit. Cui ille; *De successu*, respondit,

qui tibi ex animo euênit, gaudeo plurimùm: & ſimul non parum doleo, me amicum nunc amiſiſſe. reſpiciebat namque ad vulgatum illud, Honores mutant mores. Hinc laudatur illud Poëtæ:

Naturæ celas vitia, es dum pauper: at illa
Imperium nactus conſpicienda dabis.

Floreſta.

HONORIS CONTEMPTVS.

S. PETRVS APOSTOLVS.

CLaro illuceſcente Sole, minor vmbra corpori comes: ita, quò plures quibuſdam virtutum radij, eò minorem honorum vmbram ſibi comitem deſiderant, in ſolum virtutum omnium largitorem Deum, quidquid eſt honoris & gloriæ, referentes. Præſtolabatur Cornelius vir iuſtus B. PETRVM ad ſe accerſitum, eiq́ue obuius factus, ad pedes procidit & adorauit. At PETRVS eo ſe honore reputans indignum, eumq́ue manu eleuans, dixit: *Surge, & ipſe homo ſum.* Actor. cap. 10.

S. MALACHIAS EPISC. HIBERNIÆ.

Hunc etiam honoris tituliq́ue contemptum in MALACHIA habemus. qui vocatus & compulſus ad onus Archiepiſcopale, omnibus quibus potuit modis, renuit. Anathema verò, ni pareat, minitantibus; tandem acceptauit, dicens: *Ad mortem me ducitis, ſed obedio ſpe martyrij.* O virum inſignem! nec honorem affectantem, neq; mortem pro Chriſto formidantem. Sur. tom. 6. in vita.

S. FRANCISCVS.

Et quid verus pauperum & humilitatis pater FRANCISCVS? Rogatus à domino Hoſtienſi (qui ordinis

dinis eiusdem protector, ac postmodum sub nomine Greg. IX. Pontificatum administrauit) vtrū suos fratres etiam ad Ecclesiasticas dignitates vellet promoueri; dignam FRANCISCO vocem respondit: *Minores ideò vocati sunt fratres mei, ne maiores fieri præsumant.* Sur. tom. 5. in vita.

S. ANTONIVS EREMITA.

Hic item frequentibus litteris à Constantino Imperatore vocatus, venire recusauit: ne maiori honorū pondere grauaretur. dicebat autem: *Siquidem ad Imperatorem venero, Antonius ero: sin minùs, Abbas Antonius.* Niceph. Callist. lib. 8. Eccles. hist. cap. 40.

FRANCISCVS BORGIA SOC. IESV.

Memorabilis etiam illius contra omnes honorum insultus constantia. abdicato quippe illustri Ducatu, mundiq; pompa pro nihilo habita, sępiùs oblatum Cardinalatus honorem recusauit. dicebat autem: *Deum precatus sum, vt mihi vita priùs abire liceat, quàm titulis iterùm bonisque onerarer inuitus.* Erat tamen ille, cuius, si vllius alterius, virtuti meritissimus debebatur honos. Quā benè & verè Boët.

Quid dignum stolidis mentibus imprecer?
Opes, honores ambiant,
Vt cum falsa graui mole parauerint,
Tum vera cognoscant bona.

Ribadin. in vita, lib. 2. cap. 3.

IDEM.

Venerant ad visendum eum officij causa Dynastæ. cumque speciosis nimiùm titulis vterentur, tædio affectus, rogabat titulis temperarent; *Ne,* inquiens, *Deo exprobrasse videamini, quòd in me eximium vocationis beneficium contulerit: néve pluris*

facere videar quæ abieci, quàm quæ assumpsi. Idem cap. 8. lib. 2.

IDEM

Vlyssiponam dum ingressus; Ioan. III. Rex misit, qui eum salutaret. Hic cùm, fessúsne de via esset, interrogaret; & (Domini) nomen iterùm atq; iterùm repeteret; FRANCISCVS lepidè respondit: *Fessus quidem sum de via: sed magis (Domini) quâ me oneras potiùs quàm honoras, appellatione.* Idem lib. 4. cap. 1.

BENIVOLVS QVÆSTOR.

Claudat hunc ordinem ille. Vocabat eum Iustina Valētiniani mater, religione Arriana, & mādabat, legē cōtra Catholicos promulgaret. id recusantē, maioribus cingulis inuitat. Ille verò se discingens, balteum ante pedes Augustæ proiecit, dixitque: *Neque hunc honorem, neque maiorem expeto pro impietatis mercede.* Tripart. hist. lib. 9. cap. 20.

ALEXANDER SEVERVS.

Ingeramus calamū ciuilibus exēplis, & ex iis primum omniū depromamus ALEXAND. SEVERVM, honores titulósque despicientem. Imperator creatus, vix tertio lustro suæ ætatis emenso, ob virtutes eximias, magnificis titulis à Senatu decoratus, nūquam præsens eos est passus. Aiebat enim: *Oportet vt res gestæ, maturiorque ætas ea nomina pariat.* Itaque nomina quæ alij ad honestandam fortunā omnibus studiis sibi adsciscere laborarunt, ipse adhuc adolescens, oblata non admisit. Lamprid. Fulgos. lib. 4.

CONSTANTINVS MAGNVS.

Vide tit. de LAVDE CONTEMPTA.

GODO-

GODOFREDVS BVLIONIVS.

Et quis hunc pro merito laudauerit? Erant eius consilio & armis expugnatæ Solymæ: vnde Christiani principes, suis humeris subuectum, vno ore Regem proclamarunt. Hic verò regni titulum rogatus non abnuit, auream autem coronam suo capiti superimponi omnino noluit, dicens: *Indignum est, aureo illic diademate hominem vti, vbi Rex regum* CHRISTVS *pro hominum salute spineam portauit.* Platina in vita Paschalis II. Pont.

CAROLVS MARTELLVS BRAB. DVX.

Neque in hoc vllum incrementum habuit regni tituliqué libido. Nam cùm in Regem Franciæ post mortem Chilperici expeteretur, renuit, inquiens: *Imperare Regibus, quàm Rex esse malo.* Vnde hoc ei Epitaphium inscriptum:

Ille Brabantinus Dux primus in orbe triumphans,
Malleus in mundo specialis Christicolarum.
Dux Dominusque Ducum, Regum quoque Rex fore spreuit,
Non vult regnare, sed Regibus imperitare.

Barland. in Duc. Brab. pag. 16.

CAROLVS MAGNVS.

Est hîc etiam illustris CAROLVS, deletis Saxonibus, & finitimis populis debellatis, cùm admodum metuerent ne tandem Imperator factus, se de illis totaque gente vindicaret; ad eum prostrati veniunt, seque obsequio suo lubentes deuouent. quibus ille in brachia acceptis; *Nolo,* inquit, *vos mihi seruire, sed Deo.* Vera Christiani Principis vox. Seb. Munst. lib. 9. Cosmog. c. 19.

WENCESLAVS BOHEMIÆ REX.

Non minoris animi WENCESLAVS. Rudolpho

Auſtrio vitâ functo, illi Romanũ deferebatur imperium. ſed quâ virtute promeruit, eâdem modeſtiâ recuſauit, aſſerens; *Satis ſuperque mihi laboris eſt, paternam ditionem æquis legibus gubernare: externis libens abſtineo, eiſque me dignioribus cedo.* Munſt. de German. lib. 3. cap. 499.

IOVIANVS IMP.

Require IMPERIVM EIVSQVE ADMINISTRATIO.

FRANC. SFORTIA DVX MEDIOL.

Non parum etiam laudis meritus eſt SFORTIA, cùm Mediolanenſium & totius pænè Lombardiæ parto imperio, vrbem Mediolanum eſſet initurus. præparatum enim ſibi cum triumphali honore auratum currum conſcendere detrectauit, dicens: *Eiuſmodi ornamenta Imperatoriæ maieſtati debentur.* Quo facto, victoria illa, quæ rara erat, & hoſtes, & inſolentis animi affectus, qui plerumque victoriam comitantur, ſuperauit. Fulgoſ. lib. 2.

HORÆ CANONICÆ.

S. HVGO LINCOLNIEN. EPISCOPVS.

HORARIAS PRECES, Clericorum penſum, ſtatuto tempore & ordine perſoluiſſe, Deo gratum eſſe & acceptum, ſuo exemplo docuit Lincolnienſium Antiſtes HVGO. qui etiam in itinere conſtitutus, numquam ab hac debita perſolutione ceſſauit. quin, cùm aliquando ceteri comites primo mane abire vellent, ille: *Quónam ibimus, Horis matutinis nondum recitatis?* quibus eas differentibus, & iter accelerandum ne latronibus præda fierent aſſerentibus; HVGO, *Vos quod lubet facite,* inquit. *Ego ſanè*

sanè hinc non exeo, donec solito more preces persoluam. Mira res! solus ille postmodum subsecutus, liber transiit: aliorum verò hi capti, illi spoliati, in prędonum manus deuenerunt. Sur. tom. 6. in vita.

S. Lvdgervs Primvs Episc. Monaster.

Memorabile illud factum dum recolo, aliam Lvdgeri viri sanctissimi pietatem nec obliuisci possum, nec prætereundam censeo. Euocatus hic à Carolo Magno Imp. dum sub vesperā venisset, primo diluculo ab Imperatore accersitur: eâ ipsâ horâ persoluendis de more Canonicis horis insistebat. cumq; his expletis vēturum se respondisset, & iam tertium à Cæsare nuntium acciperet, tandē in conspectum Caroli venit. qui, cur venire distulisset, subiratus rogat. Ille vultu & mente intrepida; *Ego, Imperator, tuum mandatum ita in omnibus exequendum putaui, vt Deum tibi vbique præferendum non dubitarem.* Quo responso delectatus Imperator, gratias egit, quòd talem eum experiretur, qualem esse crediderat. Thom. Staplut. in vita Thomę Mori. Sur. in vita.

Thomas Morvs.

Hic etiam isto in genere pietatis admodum fuit liberalis, qui pro more, Sacerdoti, superpellicio indutus, cōcinebat: monitus autem hunc humilitatis modum Regi minimè placiturum, tamquam dignitati eius minùs congruum, respondit: *Domino meo Regi displicere non potest, quod ipsius Regis Domino obsequium impendo.* Ibidem apud Staplut.

HOSTIS.

HENRICVS IIII. IMP.

NOn parum solatij mortem Inimici etiam cum gloria obitam adferre, paucis confirmabimus. Vitâ functo Rudolpho Imp. cùm eius cadauer mirifico apparatu tumularetur, quidã HENRICI IV. assentatores id haud æquo animo tulêre, eò quòd vix vmquam inter eum & Imperatorem conuenisset. At HENRICVS; *Sinite*, inquit. *Quàm velim omnes qui mihi aduersantur, hoc cultu fastuque tumulari.* Matt. Castrit. de heroic. virt. Princip.

CAROLVS IX. FRANC. REX.

Nec multum dissimili modo hic. Conspicabatur in furcâ suspensum Gasparis Colignij perduellis cadauer; & comitatui fœtorem non ferenti, *Hostis*, inquiebat, *mortui bonus est odor*. Annal. Fr.

ERGA HOSTES CLEMENTIA.

RVDOLPHVS IMP. AVSTRIACVS.

MAgna profectò ea virtus est; quæ, vt infinitam gloriam, ita & summum amorem laudemque apud omnes meretur;

Parcere subiectis, & debellare superbos.

Benè igitur RVDOLPHVS dicenti cuidam, se Ottacarum Bohemiæ Regem è medio sublaturum, si facto præmium apponeretur; respondebat: *Etsi noster hostis sit, non efficiet tamen, vt iustitiæ & moderationis fines transeamus.* Æn. Syl. lib. 3. Comm. de Reb. Alphonsi.

IOAN.

IOAN. IMPERATOR.

Pari clementiæ iustitiæque zelo efferbuit IOANNES. Cui dum insinuaret quidam se facilè Henricum suum ad regnum Bohemiæ cōpetitorem veneno sublaturum, aiebat: *Si me inscio hoc perpetrasses, & subornasses fugam ad me, Crux tibi merces futura: & tu me modò huius sceleris auctorem petis?* verè imitatus Vatis Regij mansuetudinem, qui etiam suorum hostium interfectores numquam est passus esse inultos. Ibidem.

SIGISMVNDVS IMP.

Quid autem de SIGISMVNDO loquar? cuius mansuetudinem potentissimi affectus, ira atque gloria, quatere non potuerunt. Hic enim hostes bello superatos, non modò à delicti offensa liberare, sed & inter familiares adoptare solitus: & ob id à Laurentio Hungariæ Palatino reprehēsus, *Tibi*, inquiebat, *vtile videtur hostem occidere, quia mortui bella non excitant. At ego inimicum occido, dum parco: & amicum facio, dum extollo.* Præclarè sentiebat præclarus Imperator, pulchrius esse benefaciendo, quàm potentia hostē vincere. Tibi ergo CÆSAR clementiss.

Et tecum hoc commune deis, quod vtriq; rogati
Supplicibus vestris ferre soletis opem.

Idem.

IDEM

Obiurgatus à suis, quòd fugatos hostes non insequeretur, comprehensos verò occideret; *Satis*, dicebat, *vicit, qui hostes fugauit.* Vtinam & nostri orbis Monarchis persuaderi posset, illam tum demum esse victoriam, quæ sine sanguinis effusione contingit. Æn. Syl. lib. 2. de Gestis Alphon.

ALPHONSVS ARAC. REX.

Age. ALPHONSI ARAGONII clementia, quàm clarum quamque memorabile exemplum haberi debet? Cùm namque expugnato Stephato, Centuriones ac milites, qui Regi maledixerant, mirâ cũ humanitate excepisset, quos tamen morte mulctandos iudicabant alij; respondebat: *Malim ex clementia & humanitate erga hostes, quàm ex victoria laudem pacisci.* Quæ illa vox? egregia sanè, & verè regia: ac dignus qui eam protulit, eo elogio celebretur, quo Augustum Ouidius olim extulit, quòd

—nec ALPHONSO *Deus est moderatior vllus,*
Iustitiâ vires temperat ille suas.

Panorm. lib. 3. de Gest. eiusd.

IDEM.

Caietam vrbem obsidebat, & compulsi Opidani præ inedia ad bellum inutiles vrbe pellere. In quos cùm incidisset ALPHONSVS, monitus à circumstantibus eos trucidaret; *Nequaquam*, ait, *bellum contra puellas, fæminas, senes, ac innocentem iuuentutem suscepimus: sed contra viros armatos, manus nobiscum de victoriâ concertantes.* & ita imbelli ætati sexuique pepercit. Hanc pietatem nostra tempora clamant, & desiderant: quibus (heu!) gloriosum, si trucidatis infantibus ac senibus, eam ætatem abducunt, quę vel libidini apta est, vel labori, vel vtrique. Panorm. lib. 1. de Gest. eiusd.

Require CLEMENTIA.

HVMILITAS.

IESVS CHRISTVS.

EXempla etiam eorum percurramus, qui à iactantiæ vitio remoti, virtutum omnium alumnam,

nam, veramque custodem, toto conatu sectati sunt. qui tanto maiores in cōspectuDei apparuêre, quanto se apud homines reputarunt minores. Vt autem SALVATORIS nostri summam humilitatem taceamus, certè præclara eiusdem de hac virtute dicta iudiciaque nullatenus erūt pretereunda. Cùm persoluto statere, à discipulis inquireret, quánam de re inter se altercarentur? accedentes rogabant: Quis putas maior est in regno cælorū? & aduocans IESVS paruulum (quem alij fuisse Ignatium Episc. Antiochenum existimant; alij veriùs Marcellum Pont.) statuit eum in medio eorum, dicens: *Amen dico vobis, nisi conuersi fueritis*, scilicet ab hac stulta contentione & ambitione, *& efficiamini sicut paruuli*, nempe quoad sinceritatem, qua alter se alteri non præfert: *non intrabitis in regnum cælorum. Quicumque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste*, videlicet humiliter de se senserit per virtutem, vt ille per ætatem; *hic maior est in regno cælorū*. Hinc preclarè Ambros. Quisquis cupit diuinitatis tenere fastigia, humilitatis ima sectetur. Matth. cap. 18.

S. HILARIVS

Miræ humilitatis vir. Venerat euocatus ad Synodum, Leonis papæ auctoritate coactam, sed tardiùs quàm oportuerat: vetuit Leo ne quis assurgeret venienti. Ille conspicatus sibi locum non dari inter Episcopos, nihil molestè ferens, humi resedit; inquiens: *Domini est terra, & plenitudo eius.* Herm. Gigas.

S. FRANCISCVS.

Ille etiam hanc virtutum omnium altricem mirificè coluit. cùm namque mensæ accumberet, & qui ex ordine refectionis tempore legebat, de Virginis

ginis Deiparæ angustiis quædam in medium proferret, continuò assurrexisse dicitur, ac humi prouolutus, dixisse: *Numquid ego peccator ad mensam sedere debeam, cùm Dei genitrici in diuersorio locus denegatus fuerit?* Marulus lib. 1. Exempl. cap. 8.

FR. ÆGIDIVS COMES S. FRANCISCI.

At quanta humilitatis vis sit & efficacia, non minùs piè quàm acutè FR. ÆGIDIVS hoc simili explicauit: *Humilitas*, inquiebat, *mihi fulminis instar esse videtur, quod ferit quidem, sed nulla post se sui vestigia relinquit.* Ita sanè Humilitas omne peccatũ non odit solùm, verùm etiam dissipat, & tamen vt homo in oculis suis nihil sit, efficit. Libet hîc attexere, quomodo humilitatis vim complexus sit Iac. Billius in Antholog. sacra; vbi ait:

O Deus! ô quantis vita est humana periclis
Subdita! quis tali vitet ab hoste necem?
Quoquò oculos verto, subeunt discrimina mille,
Tensa animæ cerno retia mille meæ.
O Deus! ecquisquam fugiet tot retia? Vano
Mens ea quæ fastu libera semper erit.

Surius tom. 7. in vita. Th. Staplut. Dom. IV. Aduent. in Prompt. Morali.

S. HVGO LINCOLNIEN. EPISC.

Admirabatur summam eius humilitatẽ Guilielmus Lincolniensium Cancellarius: ac dubitare cœpit, num qua mentem eiusdẽ attigisset elatio. dixitque: Domine, S. Martinus leprosum osculo sanauit; cur & tu leprosos quos oscularis, non sanas? cui incunctanter ille: *Osculum Martini leprosum sanauit, osculum autem leprosi animam meam sanat.* Illa est vera humilitas, ait in Moralibus Gregorius, quâ quis

quis de se parua æstimat, & bona alterius sine liuore commendat. Sur.tom.6. in vita.

S. GREGORIVS MAGNVS.

Quid tantoperè priores illos miramur? Ipse GREGORIVS ad supremum honoris apicem præter voluntatem euectus, & dictis & factis in tanta dignitate humilitatem seruauit maximam, ita vt aliis de se præclara testimonia ferentibus diceret scriberetque: *Ego nihil sum aliud, quàm seruus seruorũ Dei.* Quo nomenclaturæ titulo deinceps gauisi summi Pontifices. Ioan. Diac. lib. 2. cap. 1. Marul. libro 1. cap. 5.

B. IGNATIVS LOIOLA.

Et ille summa spectantibus, ab imis suadebat incipiendum: néve altum saperent, sed humilitate sibi viam ad excelsa munirent. dicebat autem; *Tum demùm ædificium stare poterit, si humilitatis fuerit fundamento constitutum.* Ribadin. lib. 5. vitæ eius, cap. 3.

FRANCISCVS BORGIA.

Hic quoque virtutum omnium & humilitatis potissimùm cultor, quo die Hebdomadis maioris Christum discipulorum pedes abluentem Ecclesia recolit, ad Tyrones verba faciens; *Nullum*, inquiebat, *hodie in mundo locum reperi. Sextum enim iam annum ad Iudæ pedes illum mihi fingebam; nunc dum Christum attentè considero iis aduolutum, lauare, tergere, osculari, nullum mihi inde expulso relictum video locum.* Idem lib. 4. cap. 1.

IDEM.

Quin & de eodem meminit præfatus auctor, quòd, cùm in Præpositum generalem adscitus esset, electores collegas suos obnixè rogarit, se orationi-

bus

bus & consilio iuuarent; *Iumentum*, inquiens, *factus sum apud vos. Si oneri ferendo par non sit, onus cum clitellis tollitur. Idem vos facite, imperium tollite, si tanto oneri impar videar.* Ibid. lib. 3. c. 1.

S. MARIA MATER DEI.

Nunc ancillarum Christi humilitatem referamus: eo enim nomine se dignam dumtaxat reputabat DEI GENITRIX. ab Archangelo namque salutata, & Altissimi mater nuncupata, nullatenus eo titulo elata fuit; sed innatam humilitatem professa, *Ecce*, inquit, *ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum.* Luc. cap. 1.

S. PAVLA.

Graccharum hæc stirpe nobilis, humilitate nobilior; cùm omnibus propter Christum exuta, hominum tamen aculeos euadere non posset, seque stultam à pluribus reputari intelligeret, in hanc vocem erupit: *Theatrum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. nos stulti propter Christum. sed stultum Dei, sapientia est hominibus.* Marul. lib. 5. cap. 2.

ROMANVS IMPERATOR.

Neque fuit ab hac virtute alienus ROMANVS. qui, cùm in cœnobio, in quod à filiis dominandi libidine accensis fuerat detrusus, argueretur à fratribus quòd domum mundaret, respondisse fertur: *Luculentiùs regnat, qui seruorum Dei humilitatibus deseruit, quàm qui potentibus mundi peccatoribus imperat.* Benè in eumdem ferè sensum Horatius:

Latiùs regnes, auidum domando
Spiritum, quàm si Lybiam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Luitprandus lib. 5. cap. 1.

CARO-

CAROLVS V. IMP.

Sed & inuictiſſimi Cæſaris noſtri inſigne ad humilitatem documentum eſt. Poſtremo eiuſdem ex Germania receſſu, cùm Vliſſingę ventos nauigationi propitios expectaret, factum, vt cum Seldio Ferdinandi fratris Legato in ſeram noctem de rebus ſeriis ageret. Iam & nox & lumina ſomnum poſtulabant: ſignoque nolâ dato, nullo è miniſtris ſomno vinoque ſepultis accurrẽte, ipſe CAROLVS candelam arripit, Seldio quouis modo renitenti præfert: eique per gradus ad quietis locum deducto; *Hoc tibi monumentum*, ait, *Cæſaris illius* CAROLI *habeto Seldi, tot exercitibus & ſatellitibus quondam ſtipati. quem nunc ſolum, & à familia etiam deſertum vides, & cui tu tot annis ſeruiuiſti, ille tibi ſeruiit, & lumen prætulit.* Quid hoc Principe humilius? quid modeſtius? Sanè

———quò fortuna altiùs
Euexit ac leuauit humanas opes,
Hoc ſe ſupprimere magis felicem decet.

Cythr. Orat. de Carolo v.

HVMILIS SVI ÆSTIMATIO.

S. IOANNES BAPTISTA.

SVbiiciamus magnæ huic virtuti ſuũ effectum, qui eſt contemptus ſui. Humilis enim hoc ſolo ſuperbus (vt habet Bernardus Serm. 16. in Cant.) quòd laudes contẽnit. Ita Dominici aduentus præcurſor & prænuntius, cùm benè admodum & præclarè apud omnes audiret, & Iudæi mitterent Hieroſolymis Leuitas, qui prædicationis eius excellentia permoti, ſciſcitarentur quis eſſet; tamen neque

ſe

ſe Chriſtum, neque Eliam, aut vnum è Prophetis confitens, aiebat: *Ego vox clamantis in deſerto.* Cumque inſtarēt illi, quānam poteſtate baptizaret; proteſtatus ſuum baptiſma non eſſe tantæ excellentiæ, ac futurū erat illud nouę Legis à Chriſto inſtituendum; ſubiiciebat: *Ego baptizo in aquâ, medius autem veſtrûm ſtetit, quem vos neſcitis: ipſe eſt qui poſt me venturus eſt, qui ante me factus eſt: cuius ego non ſum dignus, vt ſoluam eius corrigiam calceamenti.* Ioan. cap. 1. Mat. c. 3. Luc. c. 3.

CENTVRIO EVANGELICVS.

Quis illius humilitatem pro merito admiretur, quam ipſe Saluator noſter tantoperè admiratus perhibetur? miſerat quippe ad eum amicos, ſeniores Iudæorum, qui ſuper infirmitate filij deprecarentur, per quos etiam dicenti Domino, Veniam & curabo eum, ipſe reſponderi iuſſit: *Domine noli vexari: non enim ſum dignus, vt ſub tectum meum intres. propter quod & meipſum non ſum dignum arbitratus, vt venirem ad te; ſed dic verbo, & ſanabitur puer meus.* Luc. cap. 7. Matth. c. 8.

S. PETRVS APOSTOLVS.

Ille quoque conſpicatus ſe ad Domini præceptū concluſiſſe multitudinem piſcium copioſam; procidens ad genua eiuſdem, aiebat: *Exi à me, quia homo peccator ſum Domine.* Luc. cap. 5.

S. FRANCISCVS.

Quid de iſto dicemus? quē, dum rogabatur quam de ſeipſo opinionē conciperet, reſpondiſſe tradunt; *Maximi peccatoris.* inferentique alteri, tuta ipſum conſcientia id aſſerere non poſſe, inquit: *Si quantumcumque ſceleratum hominem tantâ fuiſſet Chriſtus miſericordiâ proſecutus, arbitror ſanè, quòd multo*

multò me gratior exstitisset. Sur. tom. 5. in Vita, & Bonauent. cap. 5.

S. ÆGIDIVS COMES S. FRANCISCI.

Huic id vnum curæ, sui magistri præuiis insistere vestigiis. Rogabatur aliquando, Quidnam agis pater? ille: *Vix quidquam, nisi malum.* at, Quo pacto, ait alter, cùm sis Minorita? quem iteratò compellans ÆGIDIVS, *Vter*, inquit, *paratior est: Deúsne ad dandam, an homo ad percipiendam gratiam?* Dicente illo, Deus proculdubiò ad dandam. *Ergo*, subintulit, *viden' me vera dixisse, malè me facere, qui Dei gratiam etiam paratam, non semper recipiam; nec in ea, vti par est, ambulem.* Sur. in Vita tom. 7.

S. LVDOVICVS EPISC. TOLOS.

Vtebatur religioso quodam consultore LVDOVICVS TOLOSANVS ANTISTES, priusquam sacro ordine & habitu S. Francisci esset initiatus: dumque maturè cum eo deliberaret, & humilitatis sibi vestigia præfigeret, tandem ita orsus: *Scio nihil tam gratum Deo, quàm si vitæ merito magni, tamen non magni, sed humilitate infimi videamur: cùm tanto quis Deo sit pretiosior, quanto propter eum est vilior sibi.* Ex Vita eiusd. cap. XI. impressa apud I. Moretum.

SYLVANVS EPISC. TROIANVS.

Erat hic etiam vir sanctissimus, qui admiranda à Deo orationis virtute impetrauerat. Et ecce importunè eum sollicitant incolæ, vt nauem onerariam, quæ immobilis permanebat, in mare suis precibus deduceret. Ille humili vultu voceque, quasi indignabundus, *Absit*, inquit, *à me, qui peccator sum, istud postuletis: neque enim id attentare est mearum virium, sed iusti alicuius.* Ita humiliter de se sentiunt veri

Dei ministri, quo inanis gloriæ inquietos stimulos euadant. Tipart. histor. lib. 12. cap. 8.

FRANCISCVS BORGIA SOC. IESV.

Priores illos minùs admirabitur, qui mentem oculosque in BORGIAM coniecerit. Venerat de via fessus, & hospitium extra opidum subire compellitur, ac in illo stramineum thorum. accubat cum eo Bustamantius, qui tota nocte imprudens emisso phlegmate (laborabat enim tussi) collegam fœdabat. primo diluculo, cōperto quod res erat, veniam precatur. cui humilis pater: *Non est quòd ea ex re labores: nec enim dignior vsquam me locus sputo aspergi aut fœdari potuit.* In vita eiusd. lib. 4. c. 5.

IDEM

Acceperat impostorem quemdam triremibus addictum, quòd se Franciscum Borgiam simulasset, iactassetque. quo intellecto; *Si*, ait, *triremibus addicitur, qui meum nomen sibi vendicat; quid de me fieri par est, qui non inane nomen porto peccatoris?* Ibidem cap. 1.

HYPOCRISIS.

IESVS CHRISTVS.

DEduxit me scribendi æstus ex salutifera humilitatis valle, ad impios subdolosque omnis nequitiæ vestices, HYPOCRITAS. quorum conuersatio congregatioque, quia noxia & sterilis, ideò eos tanta diligentia & cura à nobis eliminandos, toties insinuauit DEI FILIVS: & luculenter quidem, pluribus concurrentibus ad audiendum eum, *Attendite*, dicebat ad discipulos, *à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.* eiusq; naturam & conditionem, alio

alio in loco, præſertim Matth. cap. 23. latè deduxit. Prouidè etiam monet Ethnicus:

Cedamus patriâ, viuat Arturius iſthîc,
Et Catulus, maneant qui nigrũ in candida vertãt.

Luc. cap. 12.

EVGENIVS CARD.

Quapropter non malè ſenſiſſe dicendus eſt iſte. Percontanti enim, quóſnam Eccleſiæ maximos reputaret hoſtes; *Hypocritas*, replicauit. Quid ita? illi enim falſis veri imaginibus, velut quadam Gorgone armati, cuncta euertere moliuntur: quamuis interim cælum ipſum ne corruat, humeris ſuſtinere videantur. Auct. dict. Memorab.

FREDERICVS III. IMP.

Memorabilis quoque & non ſilenda huius vox. Audiebat dicentem quemdam è domeſticis, ſe aliquando in ea loca peruenturum, in quibus nulli forent hypocritæ. & dicebat: *Vltra Sauromatas ergo, & glacialem Oceanum tibi eundum: ſed neque cum eò veneris carebit hypocriſi locus, ſi modò & tu homo es, non Deus.* Neminem inter homines reputabat, qui non aliquâ ſui parte fictus fucatuſq; ſit. Æn. Syluius de Frederico III.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Æquè illuſtre eſt quod ſequitur. Cùm poſt Africanã victoriã in Ænariam inſulã veniſſet ALPHONSVS, audiens Antoniũ Picentem ordinis Eremitarũ, magnũ hypocritã vermiculari morbo abſumptum; dixiſſe fertur: *Ideò Deus tantoperè in hypocritas ſæuit, quia dum homines decipiunt, Deum ipſum tamquam ſceleris mediatorem interponant. Ideóque adhuc viuentes vt plurimum plectuntur, vt intelligant mortales, quanta ea culpa ſit, quæ Deum etiam in ipſa*

vita habeat indubitatum vltorem. Panorm. de Gestis. & Æn. Syl. de Dict. eiusd.

IACTANTIA, *vide* OSTENTATIO.

IDOLA DII GENTIVM.

S. IVLIANVS MARTYR.

DÆMONIA GENTIVM DEOS pertractamus: de quorum superstitiosa vanitate quia alio in loco egimus, vnicum dũtaxat vtriusque sexus exemplum in præsenti proferemus, quo clarè nobis pateat, quàm liberè eam aspernati olim viri sancti. Et quidem compulsus iis litare IVLIANVS, abdicato veri Dei cultu, hac voce Præsidem compellabat: *Dij vestri lapidei sunt, aut ærei. Si ærei, meliores eis sunt cucumæ, quæ ad hominum vsus è metallo conflantur. Sin' lapidei, respuendi sunt: quia ex ipsis sternuntur plateæ ad euadendum lutum.* Sur. tom. 1. in vita.

S. ANASTASIVS MARTYR.

Vide ARGVTE DICTA.

S. CÆCILIA.

Nec minùs prudenter & animosè sponsa Christi CÆCILIA. quæ iussa ab Almachio Pręfecto idolorum acerræ thus imponere; *Nescio*, aiebat, *vbinam tuos oculos amiseris: nam quos tu deos dicis, ego & omnes qui sanis oculis sumus, videmus esse lapides, æs, & plumbum.*

Heu miseri! qui vana colunt, qui corde sinistro
Relligiosa sibi sculpunt simulachra, suumque
Factorem fugiunt, & quæ fecêre verentur.

Idem tom. 6. in vita.

S. AGATHA.

Vide ARGVTE DICTA.

Require

Require Apophth. de CHRISTO, *&* CONSTANTIA RELIGIOSA ET PIA, *&c.*

IEIVNIVM.

IESVS CHRISTVS.

ARdentes dæmonũ ſagittas IEIVNII frigore reſtinguẽdas, dicebat Hieronymus: eoq́; corporis paſſiones certo certiùs ſanandas, ſi debito modo adhibeatur. Et quidẽ diſcipuli Ioannis acceſſerũt cũ Phariſæis ad IESVM, rogantes: Quare nos & Phariſæi ieiunamus frequenter, diſcipuli autem tui non ieiunant? audierant enim dicentem eum, ſe cũ peccatoribus verſari, vt eos ad pœnitentiam vocaret: vnde quaſi inferũt, Quare ergo non doces diſcipulos tuos ieiunare? quibus ille, ex congruentia temporis argumento ſumpto, *Non poſſunt*, ait, *filij ſponſi lugere, quamdiu cum illis eſt ſponſus: venient dies, cùm auferetur ab eis ſponſus, & tunc ieiunabunt*. Significabat autem præſentiam ſuam eſſe cauſam lætitiæ & hilaritatis ſe ſequentibus: non luctus aut doloris, cuius index eſt ieiunium. Matth. cap. 9.

SYLVANVS ABBAS.

Hic in deſerto Scythiæ vnà cum Zacharia diſcipulo die ieiunij iter faciens, ad cœnobiũ quoddam diuertit: vbi comiter exceptus, manducauit. cumq́; inde ſecederet, diſcipulum in via bibentem reprehendit, quòd eo potu ieiunium ſolueret. qui, Iam vterque illud ſoluimus in cœnobio, ait. cui SYLVANVS; *Minimè*, inquit: *nam illud non ieiunij ſolutio, ſed charitatis communicatio fuit*. Exiſtimabat itaq; poſſe aliquid prægustari in ſodalitio exterorum: eumq́ue morem Ægypti monachis celebrem fuiſſe, au-

ctor est Cassianus. Sabellicus lib. 2. Ebor. de Castig. corp.

ANONYMVS ANACHORETA.

Venerant ad eum Cassianus & alij quidam, quos admodú liberaliter accepit. Rogatus autem, cur in fratrum susceptione regulã ieiunij more Palestinæ non obseruaret; respondit: *Ieiunium semper mecũ est, vos verò non semper. & quamuis ieiunium res sit vtilis & necessaria: in nostrâ tamen voluntate est. Charitatis autem plenitudinem lex Dei exigit à nobis.* In vitis P P. cap. de Hospital.

ANONYMVS.

Eiusdem mentis iste. Diuerterant ad eum quoque duo Eremi illius incolæ: quos, licet ipse vesperè de more cibum non caperet, humaniter ad cellam & mensam deduxit, dicebatque: *Ieiunium suam mercedem habet. Qui manducat propter charitatem, duo mandata implet: quoniam propriam voluntatem à se abdicat, & mandatum implet, reficiens fratres.* Ibidem.

MARCIANVS ANACHORETA.

Neque minori admiratione dignum reor MARCIANVM: qui cùm Anitum se inuisentem ad vescendum hortaretur, & is recusaret quòd ante vesperam cibum non sumeret; *Nos quoque,* inquit, *eamdem quam tu viam amplectimur & vitam: ieiunium cibo præferimus, quo etiam ante vesperã non vtimur: at charitatem ieiunio præstantiorem scimus, vtpote quæ lege Diuinâ præcipitur, cùm illud sit nostri arbitrij & voluntatis.* Theod. in histor. Sanctorum Patrum, cap. 3.

S. BERNARDVS.

Arguebatur aliquando hic, quòd ad hospitum aduen-

aduentum extra ordinem cœnasset. at, *Non ego*, inquit, *sed charitas comedit & bibit.* Æn.Sylu.lib.2. Comm. in Panorm.

S. LEO PONT.

Quantæ verò vtilitatis sit cum bona rectiq; conscia mente ieiunium, crebriùs inculcatum à LEONE accepimus. cui in ore ea vox: *Parum fructuosè corpori esca subtrahitur; nisi mens ab iniquitate reuocetur.* Hinc in quadragesimali Hymno canit Ecclesia:

Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Ieiunet vt mens sobria,
A labe prorsus criminum.

In vita eiusd.

S. HIERONYMVS.

Ille etiam Saluiam ad hanc corporis castigationem cohortatus, *Melius*, inquiebat, *est stomachum tuum dolere, quàm mentem: imperare corpori, quàm seruire: gressu vacillare, quàm pudicitia.* In Epist. ad eamdem.

YPERICIVS ABBAS.

Hic autẽ percontanti, quid esset Ieiunium; *Frœnum*, aiebat, *Monachis aduersus peccatum. Qui autem illud abiiciet, velut equus furens desiderio fœminæ rapietur.* In vitis PP. part. 2.

THOMAS MORVS.

Valet autem in Ieiunio, quod in aliis virtutum operibus locum habet, illud: Fides libenter accipit quidquid arduum videtur incredulis; vt de Quadragesimali ieiunio scripsit Augustinus. at nostri temporis Politici & hæretici, iuxta Persarum & Ægyptiorum institutum (cui adhærere malunt, quàm Ecclesiæ Catholicæ & SS. Patrum decretis) non

nisi propter modestiã quamdam,&carnis infrenatę dominium abstinent,quocumque tandem die. quibus non minùs sapienter quàm facetè respondit THOMAS MORVS, Christi martyr celeberrimus; *Hoc si ita est*, inquiens, *nec coniugati facilè ieiunabunt,qui facilius remedium in promptu habent: neque etiam virgines,ne impudici iuuenes eas à carnis illecebris titillari aduertant: denique nihil hoc aliud est, quàm vt suam quisque libidinem prodat.* Th. Staplut. in vita eius, cap. 12.

Lege tit. de ABSTINENTIA *&* CASTIGATIONE CORPORIS.

IGNORANTIA.

COMES AVIONENSIS.

IGNORANTIAM, quę, Boëtio teste, miseros tramite deuio abducit, plures in seipsis laudasse accepimus; neque expendisse illud Senecæ in Octauia:

Inertis est, nescire quid liceat sibi.

Ita Ludouicus Franciæ Rex, non ille quem pietas & doctrina commendauit, COMITEM AVIONENSEM in cœnobio S. Martini de Turri, inter canonicos in choro Psalmos decantantem, scommate & risu excepit. qui non minùs liberè, quàm eleganter subintulit: *Rex indoctus, est asinus coronatus.* Corozetus.

ANONYMVS.

Venerat ad presbyterum illitteratum & ignarum quispiam homo (vt apparet) facetus. qui dum multa ex eo inquireret de Scripturarum explicatione, alter se nescire fassus, hunc locũ in medium attulit; *Littera occidit.* quod scitè excipiens ille: *Benè cauisti,* ait,

ait, *mi Domine, ne te littera occideret, quia nullam calles.* De quo ita lusit Th. Morus in Epigramm.

Magne pater, clamas, Occidit littera: in ore
Hoc vnum, Occidit littera, semper habes.
Cauisti benè tu, ne te vlla occidere posset
Littera: nam nulla est littera nota tibi.

Vide Apophth. de DOCTRINA IN PRETIO HABITA. *item*, INSCITIA.

IMPERIVM, EIVSQVE ADMINISTRATIO.

IOVIANVS IMPERATOR.

IMPERIVM ob oculos ponimus: cuius prudens rectaque administratio, populũ seruitutis atq; interitus euidentibus periculis eripit. Qui Iuliano Apostatę successit IOVIANVS, cùm ad imperiũ concordibus populi votis vocaretur; clamabat: *Ego Christianus sum, infidelibus nolim imperare.* insinuans non esse potestatem nisi à Deo, eaque vtendum non esse apud eos qui Deum ignorant. Niceph. lib. 10. cap. 13. Eutrop. lib. 11.

LEO MAGNVS IMPERATOR.

Et huius cæleste dictum. Dum quidam ab eo vrbis præfecturam petiisset, eaque alteri contra spem data esset; apprehensâ Imperatoris purpurâ, *Qui*, inquiebat, *tali purpurâ ornatur, mentiri non decet.* Cui IMPERATOR: *Sanè hoc quoque Imperatorẽ decet, nemini cedere, aut subditum esse, maximè vbi id cum Reipub. incommodo fieret.* Cedrenus in Leone.

MICHAEL IMP.

Quid autem iste? Hortabantur eum amici, se for-

titer Leoni opponeret, remque armis experiretur. At is ægrè ferens se ad bellum ciuile incitari, misso ad Leonem diademate & purpura, vltrò imperio regnoque cessit, dicens: *Malim vitam propriam amittere, quàm vel vnam Christiani sanguinis guttam effundere, aut meo nomine effusam cernere.* Cedren. in vita.

THEOPHILVS IMP.

Eiusdem Cedreni auctoritate constat, THEOPHILVM Imperatorem contemplatum quãdoque è vestibulo palatij nauẽ onerariam plenis velis portum petentem, rogasse cuius ea esset: dicentibus quibusdam, Theodoræ tuæ coniugis; *Quid,* inquit, *nescitis me diuinitus in Imperatorem euectum, vxorque mea nauclerum me facit? Anne vlla vmquam reperta est Augusta, quæ maritum suum viderit mercatorem?* iussitque è vestigio nauem cum mercibus & armamentis flammis tradi. Ibid.

SIGISMVNDVS IMP.

Interrogatus, quem virum imperio dignum existimaret; *Eum,* aiebat, *quem neque res secundæ extollerent, neque aduersæ deprimerent.* Benè Claudian.

———Tunc omnia iura tenebis,
Cùm poteris Rex esse tui.

Æn. Syl. lib.4. Comm. de Reb. Alphonsi.

VALENTINIANVS IMP.

Quamuis autem eximia laude non careat recta imperij regnique administratio, suas tamen difficultates habet & pericula. ita vt verissimũ sit illud, Honores onera. Cõtemplatus est id VALENTINIANVS Imp. à quo dum Salustius quidam, pro nauatâ in eiusdem electione operâ, eam gratiam posceret, vt præfecturæ oneribus quâ perfungebatur, liberare-

beraretur; *Ideóne*, ait, *hanc mihi molem imposuisti, vt ne digito eam attingeres.* Zonar. tom. 3. Annal.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Voluebat idipsum animo ALPHONSVS. qui non ignorans perdifficilem regni imperiique administrationem, eò quòd tam varia essent subditorum ingenia & sensus; dicebat: *Quàm optarem quemuis popularium meorum Regem fuisse! tum demum quippe experti, Regum Principúmve curas agnoscerent.* Panorm. lib. 3. de Gest. eiusd.

Vide Apoph. de REGE *&* REGNO, *ac* PRINCIPE.

IMPIETAS. *Require* BLASPHEMIA, IN CHRISTIANOS ODIVM, *&c.*

INCONTINENTIA. *Vide* LIBIDO.

INFERNVS.

ABBAS OLYMPIVS.

SVbeat nunc animum inextinguibilis ille ignis, in Dei furore (vt loquitur Scriptura) succensus: qui succensione non indiget, & ardore quo impios adurat, non caret: cuius vel sola cogitatio peccati libidinem refrenat, & in Dei amore proficiamus, impellit. Ita ABBAS OLYMPIVS, cùm cellulam perexiguam incoleret, quam & æstus impetebat & cyniphum aculeata turba, rogatus, quî in ea tanto tempore moraretur; *Libens*, respondebat, *ista tolero, vt futuris cruciatibus eripiar. Cyniphes quippe perfero, vt immortalem effugiam vermem; Ignem verò, sempiterni ardoris supplicia, perhorrescens.* Climac. in Prat. Spirit. cap. 141.

ALE-

ALEXANDER ABBAS.

Venerat ad eum quidam è fratribus Eremitis querulus quòd acedia animique torpore infestaretur; ideoq; locum mutare se velle affirmabat. Cui ALEXANDER: *Fili, signum est te neque cælorum neque inferorum regnum in mente habere: nam qui ista concipit, crede, acediam non sentit.* Ibid. cap. 142.

FRANCISCVS BORGIA DVX GAND.

Et quis BORGIAM non eloquatur? Tertianâ laborabat graui & ardente: cumque alterno ac nouercali die recurrente, ignis medullas concoqueret; *Ecquænam*, inquiebat, *illos flammæ vrunt, qui ob flagitia apud Inferos æternas pœnas sustinent: quiq; expiante igne, cum certa beatitudinis spe purgantur.* Ribad. in Vita, cap. 5.

THOMAS MORVS.

Prodeat hîc etiam MORVS: vir, si alius vllus, religiosus & timoratus. qui percontanti, quænam expeditum magis ad Inferos iter redderent; dicebat: *Luxus & libido.* quod etiam hoc disticho, Progymnasmatibus suis inserto, indicauit:

Si quis ad infernos properat descendere Manes,
Huc iter accelerant Balnea, Vina, Venus.

In Epigramm. Th. Mori.

SENEX ANONYMVS.

Res mira quam refert venerabilis Beda. Senex quidam vitę restitutus in Eremum cõcessit: vbi supra hominem austeram & religiosam vitam duxit. Increpabant vicini, quòd se enecaret. quibus ille in lacrymas solutus: *O vtinam vobis datum ea videre, quæ ego vidi! certo certiùs adfirmo, has pœnas nihil esse ad æternas illas, quæ mihi visæ.* Beda de Gest. Angl.

ANO-

ANONYMVS.

Fuit hic Miniſtellus Lutheranorum, qui magna vocis contentione in Purgantem ignem fuerat debacchatus, ita vt illum iam planè ſe ſuſtuliſſe gloriaretur. cui vir quidam primarius: *Tu quidē Purgatorium dicendo ſuſtuliſti, vtinam etiam infernum auferres.* Nimirum, vt omni prorſus timore ſublato, liberè in quoduis ſcelus prolabamur. Hiſt. noſtri temporis.

INGRATITVDO.

CASTRVTIVS LVDOVICI IMP. PRÆFECT.

QVemadmodū nihil rationi conformius, quàm beneficium beneficio cōpenſare: ita nihil magis ab ea remotius, quàm beneficiorū acceptorum obliuiſci, & gratiā ingratitudine præmiari. Cōquerenti apud Piſas corā Ludouico Imp. de CASTRVTIO, quòd ſe probris affeciſſet, Guidoni Tarlato, eique ingratitudinem obiicienti, germano ſermone reſpondit CASTRVTIVS: *Beſtiæ calcaribus & fuſtibus opus ſuum exequuntur: nec de ingratitudine credendum ei, qui numquam fuit gratus.* Imperatore verò in cachinnum ſoluto, Tarlatus, eo non ſalutato, equū conſcendit, & abiit. Auct. Serm. Conuiu.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Obiurgabatur, quòd in Aluarum Lunam, hominem planè ſibi ingratum, tanta cōtuliſſet beneficia, quorū ne memoriam quidem haberet. &, *An ignoratis*, inquit, *ingenti beneficio non niſi ingenti ingratitudine ſatisfieri?* Et ſanè:

Obruit ingentes iſta procella viros.

Panorm. de Geſt. eiuſd.

FRAN-

FRANCISCVS BORGIA DVX.

Huius item frequens illa vox, pręsertim cùm aucupio vacaret: *Carniuoras feras agreste ingenium exuere, atque mansuetas reddi, quis non miretur? hominem verò rationis & orationis participem, tot tantisq́; beneficiis ornatum, adeò ingratum, vt vocanti Deo parere nolit?* Ribad. in Vita, lib. 1. c. 5.

ANONYMVS.

Quidam multis beneficiis affecerat hominem rusticum & agrestem: qui tamen benefactorē suum miris modis lacessere non desinebat. quod intuitus ille, *Hem!* inquit, *quàm verum est commune adagiū:*
Si vngis, pungit: si pungis, rusticus vngit.
Auct. Serm. Conuiual.

BELLISARIVS IVSTIN. IMP. PRÆFECTVS.

Require INVIDIA.

ALPHONSVS ARAGONIVS.

Quid?iam ingratitudinis limites emensum reuocat me & reducit ALPHONSVS. qui offensus cuiusdam, de quo optimè meritus erat, ingratitudine, hoc se dicto repressit: *Quare ego isti succenseo? cùm Deus ampliora in me beneficia contulerit, & ego longè Deo ingratior sim, quàm hic erga me fuit?* Ita hæc virtus in magnis & heröicis animis elucet: cùm indomitæ mentis sit, indomitæ etiam iræ laxare fręnos. Ioan. Strigelius.

THOMAS MORVS.

Videbat vir inclytus & summus, homines tam facilè beneficiorum obliuisci, tardè autem maleficiorum. & ait; *Beneficia pulueri; si quid mali patimur, marmori insculpimus.* Thom. Staplut. in Vita, cap. 11.

INSCI-

INSCITIA.

ARSENIVS ABBAS.

S*Cire aliquid laus est, pudor est nil discere velle*, aiebat magnus Cato. Sunt tamen qui etiam INSCITIÆ suos fructus & emolumenta adscribunt. Et quidem ABBAS ARSENIVS, percontanti Euagrio monacho Græcarum litterarũ peritissimo, cur monachi Ægyptij rudes alioquin & indocti, tantis essent virtutibus ornati præ aliis; respondit: *Nos, qui alienis confidimus laboribus, nõ possumus ita tamquam ex propriis fructum percipere: ij verò qui in propriis laboribus occupantur, meritò etiam proprios fructus colligunt.* Sur. tom. 4. in Vita.

S. ANTONIVS.

Famâ nominis eius permoti quidam Philosophi, cùm ad eum venissent, & velut indoctum despexissent; ad illos conuersus, *Quidnam*, inquit, *prius est, sensus, an litteræ?* item: *Sensúsne ex litteris, an è conuerso, ex sensu litteræ?* Asserentibus autem sensum esse auctorem & inuentorem litterarum, *Ergo*, intulit ANTONIVS, *cui sensus incolumis est, hic litteras non requirit.* Athanas. in Vita.

S. AVGVSTINVS.

Quid ille? audiuerat mira narrantem Potitianum de conuersione quorumdam aulicorum ex lectione vitæ S. Antonij: & Alipium qui fors aderat, inuadens, *Quid?* inquit, *surgunt indocti, & cælum rapiunt: & nos cum doctrinis nostris sine corde. Ecce vbi volutamur in carne & sanguine.* Coll. ex lib. 8. Confess. cap. 8.

DOMI-

DOMINICVS IDIOTA.

Erat is religiosæ & laudabilis vitæ, at planè inscius. cui cùm aliquando Gerardus à Nazaretho vellet litterarum elementa tradere, eáque addiscere ei esset perdifficile, dicebat: *Verè magis Deo placere potero iustè viuendo, quàm si tempus perdidero horum quidquam inutiliter addiscendo.* Gerard. à Nazareth, cap. 6.

ANONYMVS

Roganti cuidam, cur inscij & indocti vsque adeò amplectantur suas commentatiunculas, & si quid fortè oportunius dicant; *Miraris?* inquit. *Quódnam quæso animal impensiùs amat suos fœtus, asino & simiâ?* Appositè certè, inscios asinis & simiis comparabat. Ita enim eorum personam induens Persius, cauillatur:

Non ego cùm scribo, si fortè quid aptius exit,
Laudari metuam: neque enim mihi cornea fibra est.

Auct. Serm. conuiual.

Huc refer Apophth. de IGNORANTIA, DOCTRINA, *&* ERVDITIONE.

INTEGRITAS VITÆ, INNOCENTIA.

IESVS CHRISTVS.

INNOCENTIÆ puritatem, verum omnium virtutum fontem, amplectimur: quam Christianum populum decere, vel maximè ex eo constat, quòd DOMINVS NOSTER suos adhortatus, subiūgat quasi concludens: *Estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et iterùm alio loco oues eos nominat, & agnos: oues quidem, vt innocentia

tia Christiana ouibus æquetur; agnos, vt agnorum naturam simplicem, mentis simplicitas imitetur. Matth. cap. 10.

Require CONSCIENTIA BONA.

ALPHONSVS ARAG. REX.

At in ALPHONSO etiam admirabilis hæc virtus fuit. qui percontantibus suis, cur rariùs satellitio stipatus incederet; respondebat: *Innocentiam comitem habeo.* Innuebat autem REX prudentissimus, eum demum ab omni improborum incursu munitum, qui propriam innocentiam habet comitem: adeoque verum esse illud Horatij:

Integer vitæ, scelerisque purus,
Non eget Mauri iaculis, nec arcu, &c.

Panorm. lib. 2. de Gest. eiusd.

ALBVQVERTIVS PROREX INDIÆ.

Veniat & ex vltimis orbis finibus ALBVQVERTIVS. qui, dum grauis tempestas ingrueret, & quâ vehebatur, nauis in discrimine esset, vidit puerum aquis in nauim defluentibus pęnè suffocatum. quo, & simul animo arrepto, *Huius*, aiebat, *innocentiâ fretus, confido me Christi benignitate è fluctibus emersurum.* Audiit Christus, adfuit, & emersit. Osor. lib. 8. de Reb. Eman.

INTEMPERANTIA.

MACARIVS ABBAS.

QVemadmodũ omnes appetitiones sedat Temperantia, & efficit vt rectæ rationi pareant: sic huic inimica INTEMPERANTIA, omnem animi statum inflãmat, conturbat, incitat. Vnde MACARIVS accedenti ad se è fratribus cuidam sub meridiem,

qui præ æstu aquam ad restinguendam sitim postulabat, eiusdem intemperatum bibendi desiderium temperauit, dicens: *Vmbra tibi sufficiat: multi namq; nunc iter agentium, aut nauigantium, hac releuatione priuantur.* Socrat. Trip. hist. lib. 8. cap. 1.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Neque caruit hac laude ALPHONSVS: qui, contemplatus quàm insatiabilis esset humanus animus, & *——— quòd nemo quam sibi sortem*
Seu ratio dederit, seu fors obiecerit, illa
Contentus viuat:
dicebat: *A diis olim, Ioue, Neptuno, & Plutone, omnia trifariam sorte diuisa; & quisque ea contentus, quæ sibi obtigit. Homini verò, neque quod satis, neque quod minus, satis vmquam est.* Panorm. lib. 4. de Gestis Alphonsi.

INVIDIA.

BELISARIVS IVSTIN. IMP. PRÆFECTVS.

AGgredimur, *-quo Siculi non inuenêre Tyranni Maius tormentum,———*
INVIDIAM, dirum homini exitium. Cuius viuum exemplar est BELISARIVS. dum namque subactis Vandalis, actoque de Persis triumpho, Iustiniano Imp. suspectus redderetur, oculis eius iussu orbatur. At is tugurium ad viam regiam cõstrui curauit, vbi stipem à prætereuntibus sibi erogari, hac verborum formula postulabat: *Viator da obolum* BELISARIO: *quem Virtus extulit, cæcauit* INVIDIA. Procop. & Crinit. lib. 9. cap. 6.

CAROLVS V. IMP.

Quid autem magnus ille CAROLVS? Postulabat ab eo

ab eo Dux Gandiæ Borgia, ſæculum deſerendi facultatem; & non obſtante quòd prudenti eiuſdem conſilio opus haberet IMPERATOR, impetrauit. Tũ adſtantes ita compellans CAROLVS; *Ego de hoc facto*, ait, *ſic ſentio: plures eius æmulos futuros, quàm imitatores.* Legerat fortaſſis illud Silij Ital. lib. 1. Bell. Pun.

Dum malus obtrectat facta immortalia liuor,
Non ſinit adiutas ductoris creſcere laudes.

Ribadin. in vita Borgiæ, lib. 1. cap. 20.

ACTIVS SINCERVS.

Re & nomine ſincerus ACTIVS, hanc etiam peſtem exoſam habuit. cumque aliquando coram Frederico Cæſare altercatio incidiſſet inter Phyſicos, quidnam potiſſimùm oculorum perſpicuitati conduceret; variis varia ſuadentibus, ſubintulit ille: *Nihil vſque adeò huic morbo medetur, quàm Inuidia.* Obſtupuêre Imperator & medici. ad quos ACTIVS: *Numquid inuidia omnia facit maiora & ampliora?* protulitque Ouidianum hoc diſtichon:

Fertilior ſeges eſt alienis ſemper in aruis,
Vicinumque pecus grandius vber habet.

Pontanus.

ANONYMVS.

Habebat hic Demeam, hominem inuidum, ſibi familiarem. de quo rogatus, cur ita demiſſo in terram vultu & luminibus incederet; *Quia*, inquit, *alterius proſperitate dolet.* Hoc enim inuidorũ proprium, obſtipo capite lumine terram figere, & exporrecto labello aliorum felicitatem trutinari.
Ex relatis Auct.

IOCOSE DICTA.

CLAVDIVS VIEXMONTIVS.

POterat ſub aliis præſens titulus contineri : at quia vrbano Ioco ſua elegantia & lepos non deeſt, hunc etiam ſub breuitate tranſcurrimus. CLAVDIVM VIEXMONTIVM referunt, dum confeſſionem cuiuſdam excepiſſet, qui clandeſtinas dęmonis ſuggeſtiones detegere trepidabat, iocatum: *Næ tu es fidelis diabolo ſecretarius. quippe qui times, ne fidem apud eum perdas, ſi peccata ab eo ſuggeſta, in confeſſione prodas.* In Inſtit. de ſal. Pœnit. peccator.

S. FRANCISCVS.

Commemorat de iſto Nauarrus, quòd rogatus quà perrexiſſet homicida, qui iuxta eum tranſierat; manus per manicas emittens, reſpondit : *Iſthac non tranſiuit.* videlicet per manicas. Vnde concludit cũ Adriano Nauarrus: Qui ſic iniquè interrogatur, poteſt optimè reſpõdere quod neſcit, intelligendo non eo modo ſe ſcire, quo illud dicere teneatur. In Manuali cap. 12. num. 8.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Lubens hunc inſero, eiuſque iocos laudo. Narrabat apud eum Alexander vir doctus, ex veterum monumentis, ſacerdotes olim ſolitos & cane & capella abſtinere : vt non attingere modò, ſed ne nominare quidem eis liceret. & ille; *Peſſimè*, inquit, *hoc ſeruatur ab Alebreti filio* (erat is S.R.E. Cardinalis) *qui & capræ carnibus, Biarnenſium imitatus mores, pro deliciis vtitur ; & agmen canum venandi gratia ſuſtentat.* Paul. Æmil. in Vita.

IDEM

IDEM

Referenti cuidam, Valentinum Borgiam à Consaluo contra iusiurandum retentum, & vinctũ missum ad Ferdinandum; *Ergo*, ait, *posthac pro Punicâ Hispanicam fidem sumus celebraturi.* Idem.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Claruit etiam hoc dicendi lepôre ALPHONSVS. quo Virgiliana lectione occupato, & quidem vbi de Didonis morte agitur, dum fortè terræmotus concitatus esset, aliis obstupentibus, *Anne*, dicebat, *mirum vobis videtur, si in morte tam celebris Reginæ terra intremiscit?* Panor. lib. 1. de Gest. eiusd.

MINACIVS.

Quidam hoc nomine, dum aleæ iactu pecunias & vestes perdidisset, nudus ante tabernam consedit, grauiter eiulans. Cui è familiaribus vnus: Cur in tantum ploras? quid habes? Ille, *Nihil*, inquit. Cur ergo ploras? subintulit alter. *Ideò*, inquit MINACIVS, *quòd nihil habeam.* Pog. in Facetiis.

DECOCTOR ANONYMVS.

Dum sua DECOCTOR *subeuntem limina furem*
Quærere sperat as nocte videret opes;
Nocte quid in nostris circũspicis ædibus? *inquit:*
Hîc ego nil mediâ cernere luce queo.

ANONYMVS.

Habebat hic ancillam obesam & præpinguẽ, cui pro deliciis erat frequens vsus salis & vini. rogatus ille, cur ea ita perpetuò sisteret & excitaret sitim; ait:

Ne caro præpinguis, sale non condîta, putrescat,
Nostra vorat multum Phyllis obesa salis.
Hinc ne concipiat duros vesica lapillos,
Se liquido semper perluit illa mero.

Collig. ex G. Sabini Poëmatib.

IRA.

IOANNES ABBAS ET PESIVS ANACHOR.

IRAM, quam Insanię initium nuncupauit Ennius, in proscenium post Iocos adducimus, quòd hi plerisque aliquando subitæ iracundiæ causa & fomes. IOANNES monasterij in Scythia ABBAS, cùm ad PESIVM Anachoretam visendum venisset, ab eoque inquisiuisset quantũ in solitudine (in qua per annos 40. vixerat) profecisset; respõsum hoc ab eo accepit: *Sol omnia perlustrans, numquam me adspexit manducantẽ.* cui ilicò adiunxit IOANNES: *Neque me iratum.* Haud minoris meriti existimans nõ irasci, quàm corpus quotidiano ieiunio atterere. Benè monet Statius 8. Theb.

——Ne frena animo permitte calenti,
Da spatiũ tenuemq; moram: malè cuncta ministrat Impetus.

Marul. lib. 3. Ebor. De pace & concord.

PASTOR ABBAS.

Mirum, quantum primores illos Eremi incolas & Anachoretas deterruerit IRACVNDIA, & ad eam procliuitas. Rogabat PASTOREM familiarium quispiam, quo sensu illud Euangelij accipiendum esset, Qui irascitur fratri suo sine causa, &c. Qui iustæ irę causam definiuit hoc modo: *Tum demum ex causa irasci potes, si à Deo timeas separari: qui ob alias iniurias irascitur, sine causa irascitur.* Quàm remoti ab hoc sensu ij, quibus ob atomum excitatam bilis finditur. Ita vt

—— Arcadiæ pecuaria rudere credas.

In vitis PP. Marul. suprà.

MONA-

Monachvs Ægyptivs.

Illum prioribus ſubnecto, vtpote eiuſdem cum illis ſenſus. Interrogatus enim, cur in tantũ ſe omnibus corporis voluptatibus ſubtraheret; reſpondit: *Vt hac ratione omnem Iræ cauſam præcidam. Ira enim vt de voluptatibus generatur, ita etiam voluptatum ſuppreſſione ſopitur.* Nic. Call. lib. 11. hiſt. Eccl. cap. 43. ex Euagrio.

Macarivs Monachvs.

Addi meretur Macarivs. qui ſciſcitanti, quid ita iniuriarum erga homines memoriam tenentes, vim animæ reminiſcendi enecaremus; aduerſus dęmones autem, cùm acceptorum ab eis malorum reminiſcimur, detrimentum nullum ſentiamus; reſpondit: *Ideò hoc fit, quòd prior illa affectio præter naturam, poſterior ſecundùm naturam ſit.* Ibid.

IRRISIO.

Flandri popvli.

Abominabilis eſt Domino omnis Irrisor, & illuſores deludit: vt habet inter Prouerbia Salomon. Quod Flandriæ popvlo olim euenit: rebellabant & tumultuabantur aduerſus Ludouicum ſuum Comitem; qui Philippum Valeſium Franc. Regem in auxilium vocabat. Quo audito, illi Gallum gallinaceum lineo panno expreſſum editiori loco collocant, & cum eo hanc vocem inclamant: *Cùm hic gallus reſonabit, Rex repertus* (ita Philippum, quaſi illegitimè ad regnũ vocatum, appellabant) *Caſletum occupabit.* Aſt & illud paulò pòſt, & omnes eos occupauit: magno & merito eorumdem damno. Ann. Franciæ.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Paullò mitior ille. Promouerat ad consilium hominem indoctum & inexpertem. accurrunt ad eum plures, qui de eiusdem inscitia conquerantur. quibus ille: *Quot numero estis in palatio?* alij, Cētenario, inquiunt. Infert LVDOVICVS: *Quid? vos tanto numero non sufficitis ad rem quamuis discutiendam?* & ita confusos dimisit. Corozet.

STEPHANVS MOLDAVIÆ COMES.

Irruperant in eius fines plura Turcarum millia; quibus se ita fortiter opposuit, vt breui tēporis spatio omnes fuderit, profligarit, & bonam partem cęciderit, ac Oratores ad Byzantij Imp. cum muneribus & hoc dicto mittit: *Latrunculi aliquot Turcici, nescio cuius instinctu, meos fines depopulare ausi: sed, Deo comite, suæ temeritatis mihi pœnas dedêre. Si similes illis adhuc tibi supersint, velim ad me eos destinari, quò & illi meritas pœnas luant.* & ita tanti Imperatoris potentiam quasi sibilo & cachinno excepit. Paral. Ab. Vsp. pag. 452.

IVDEX, IVDICIVM.

IESVS CHRISTVS.

AD IVDICIVM properamus, & IVDICEM: qui, vt sol non alius pauperi est, alius diuiti, sed omnibus communis; ita nec personam spectare debet, sed rei æquitatem. Reprehensus COÆTERNVS DEI FILIVS apud homines agens, quòd Sabbato curasset; *Nolite*, respondit, *secundùm faciem iudicare, sed iustum iudicium iudicate.* Iudicare dignè de subditis nequeunt (inquit Greg. in Moral.) qui in subdi-

ſubditorum cauſis, vel gratiam vel odium ſequuntur. Ioan. cap. 7.

IDEM.

Quin & verum illud Terentij eſſe, Iudicem videre oportere, ne quid accuſandus ſit; idem clarè edocuit, dum ad eum Scribę & Phariſæi adducunt mulierem in adulterio deprehenſam. inclinans enim ſe deorſum, digito ſcribebat in terram: cumq; perſeuerarent interrogantes, erexit ſe, dixitque: *Qui ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat.* Quo audito, vnus poſt alium abiit. Natura quippe Apophthegmatis eſt, compeſcere aliis inſultantes. Ioan. cap. 8.

CÆCVS EVANGELICVS.

Tantum autem meritò iudicare cuilibet licere, quantum in ſeipſo expertus eſt; docuit ſuo exemplo CÆCVS ille EVANGELICVS, qui à Domino viſum recepit. Iudæi quippe eum vocantes, compellant, Da gloriam Deo, nos ſcimus quia homo peccator eſt. qui reſpondit: *Si peccator eſt, neſcio: vnum ſcio, quia cæcus cùm eſſem, modò video.* Ioan. cap. 9.

LIBERIVS EPISCOPVS.

Rogabat hunc Conſtantius Imperator, ſubſcriberet proſcriptioni & excommunicationi Athanaſij. qui prudenter & diſcretè, *O Imperator*, inquit, *iudicia Eccleſiaſtica decet cum maximâ proferri iuſtitiâ.* Trip. hiſt. lib. 5. cap. 17.

BOSO REX ARELATENSIS.

Hunc eo iuſtiùs libet addere, quòd veræ iuſtitiæ iudiciique in ſeipſo exemplum exhibuerit. Cùm namque ob alapam Epiſcopo ſuo ſacris operanti inflictam, apud Othonem primum Rom. Imp. capitis damnatus eſſet, & Archiepiſcopus cum clero pro

illo intercederet; ipſemet reus ſe eorumdem ſupplicationi opponens, *Non eſt æquum*, inquit, *vt rectum Imperatoris iudicium executioni non mandetur: cùm non conueniat vel vllum verbum è principis ore fruſtrà egredi.* Munſterus libro 2. Coſmogr. de Arelato.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Clementiſſimus etiam ALPHONSVS, nũquam ita manſuetudinis & noxiæ lenitatis ingreſſus eſt fines, vt iudicij æquitatíſve planè ſit egreſſus. Quare cùm equitum ſuorum quiſpiam multa per luxum & libidinem abſorbuiſſet, & grauiter ære alieno opprimeretur; intercedentibus aliis, ne quod ære nõ poſſet, corpore lueret; reſpondit: *Si tantum pecuniæ in ſui regis aut patriæ commodum expendiſſet, audirem. nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt vt corpore luat.* Panorm. de Geſt. eiuſd.

TROCHONVS PRÆSES.

Habeat inter cęteros locum TROCHONVS Gratianopolitani Senatus Pręſes. Erat vir nobilis, qui furore potúve percitus, ruſticum enſe diſtricto aggrediebatur. Hic fugam capit: at fruſtrà, altero inſtanter eum conſequente. quid faciat? machæram, quam fortè ſecum habebat, educit: minas adiiciens iuſtæ defenſionis. Alter vitæ prodigus, innocentem vrget & pellit: donec ab eo ipſo, & loco & vita per machęram pellitur. Res ad TROCHONVM iudicem delata: qui, æquitate cauſæ attentâ, *Licuit*, inquit, *machæra ſe contra enſem tueri.* & id rectè. cùm liceat vim vi repellere, adhibito (vt dicunt Canoniſtæ) inculpatæ tutelæ moderamine. Eiuſd. Trochoni, in Decretis Curiæ.

PRIN-

PRINCEPS ANONYMVS.

Adiiciam & aliud facetũ. Quodam PRINCIPE ad venationem egrediente, Astronomus qui fortè in illius aula, rogatus qualis aura futura esset; serenam prædixit. quod audiens colonus, pluuiam asserit, idq; euidẽtibus signis. Vix nemora ingressus PRINCEPS, densissimus imber oboritur. Laudat itaque colonum suum; &, *Ita censeo*, inquit, *astrorum cursui posthac intendas: tu verò* (ad Astronomum versus) *ad rastra te promptiùs conferes.* Idem Georgius Sabinus ita expressit:

Dixerat Astrologus cælum sine nube futurum,
Principe siluarum lustra petente suo.
Dixerat è contrà ruiturum nubibus imbrem,
Vertere consuetus bobus arator humum.
Vix ingressus erat Princeps nemus ilice densum,
Cùm subitò pluuiæ præcipitantur aquæ.
Laudat aratorem Princeps, ipsumq; doceri
Astra: sed Astrologum sumere rastra iubet.

IVDEX CORRVPTVS.

INNOCENTIVS VI. PONT.

ABduci nõnumquam, imò plerumq; hoc æuo, Iudices, & excæcari largitionibus potentûm, testis est experientia. Quòd suis tribunalibus vitium proscribere conatus INNOCENTIVS, sacri palatij auditoribus stipendia cõstituit, ne muneribus pellecti, contra æquum decernerent. Dicebat autem: *Famelici non facilè alieno cibo abstinent, si quouis modo oblata sit edendi facultas.* insinuãs quod in Sermonibus Horatius, ——— *Malè verum examinat omnis*
Corruptus iudex.

Platina in Vita.

ALEXANDER SEVERVS IMP.

Re & nomine SEVERVS iniustitiæ vindex & vltor iste. Intellexerat Vetronium Thurnium virum genere nobilẽ, munera ab his & illis accipere, quibus multa se apud Cęsarem posse persuadebat, eum itaq; comprehensum & palo alligatum, fumo suffocari iussit, & per præconem clamari: *Fumo punitur, qui fumos vendidit*. Et mirum in modum suo fauore prosequebatur eos,

——— est animus quibus
Rerumque prudens, & secundis
Temporibus dubiisq; rectus;
Vindex auaræ fraudis, & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ.

Ex Chron. orbis refert Georg. Richterus.

IVDICIVM NON TEMERE FERENDVM.

NICODEMVS.

SApientiam Iudicis ex eo spectari, vt non solùm quid possit, sed quid debeat etiam; neque quantum sibi permissum, sed quatenus cõmissum, ponderet; auctor est Tullius. His enim perpensis, non temerè quis ad ferendum de quopiam IVDICIVM se ingeret: quod etiam sentiebat olim NICODEMVS. Nam cùm Pharisæi multa de Christi operibus ex seruis Pontificum aliisq; audirent inuiti, eos acriùs perstrinxêre, seductosque esse, imò & maledictos inclamauêre. quibus NICODEMVS (ille, qui venerat ad Iesum nocte) *Numquid lex nostra iudicat hominem, nisi priùs audierit ex ipso, & cognouerit quid faciat?* Non temerè ergo, sed ex causæ & æquitatis cogni-

cognitione procedendum insinuat. Ioan. cap. 7.

Moyses Abbas.

Quid de illo? accersebatur vt de fratre qui deliquerat, sententiam diceret. Venit, saccumque arenâ plenum humeris detulit. Rogatus, quidnam illud esset; *Peccata*, inquit, *mea sunt, quæ vix ferre præualeo, minimè ergo aliena iudicauero.* Iac. de Vorag.

Pastor Presbyter et Monachvs.

Venit ad Pastorem religiosus quispiam, de cœnobio exire contendens, eò quòd cum fratre, qui malè apud quosdam audiebat, remanere nollet. cui ille: *Ne facilè malum credideris, quod audiuisti.* cumque alius se ex relatu viri fidelis id accepisse assereret, adiecit: *Si fidelis esset, numquam id tibi dixisset.* Idem.

S. Franciscvs.

Idipsum nobili exemplo etiam testatus est Franciscvs. qui, dum iter agens, incidisset in hominem miserum & nudum, ingemuit, eiusq; nuditati condoluit. At frater illi comes; Quid, inquit, mœrore consumeris pater? etsi hic indumentis indiget, abundat forsan concupiscentiis. Franciscvs amoris fraterni non dissimulator, iussit protinus suâ se tunicâ detegeret, & pauperem contegeret; addens: *Disce non tam temerè de proximo tuo iudicium ferre.* ab eoq; veniam supplex peteret, mandauit. Fulgos. & alij in Vita eiusd.

Vide Apophth. de Conscientia bona.

IVDICIVM DEI.

HENRICVS MOGVNTINVS ANTISTES.

IVSTVM IVDICIVM iustitiamque commendauimus. At vt quilibet discat non reputari apud Deum insontem, si quis ea violat aut contemnit; exempla mira & supra fidem, sed à fidis scripta, proponam. Frederico Ænobarbo Imperante, HENRICVS MOGVNTIÆ PRÆSVL, vir imprimis pacis cupidus, Romæ accusatus, tamquam ad tale munus prorsus inutilis & ineptus: idque instigantibus per Arnoldum, qui ei successit, maleuolis. Eò ventum, vt duo Cardinales Moguntiam missi, de causâ inquisiuerint, HENRICVM damnauerint, & Episcopatu abdicauerint. Tulit HENRICVS, neque quidquam questus, quàm, *Iniustè iudicastis: Iesum Christum æquissimum Iudicem appello, apud quem me exhibebo: venite.* Illi ioco illudentes, Cùm præcesseris, inquiunt, sequemur. nec vanè. iste enim post annum ferè & dimidium vitâ functus: quem hi vno die secuti. I. Lips. Mon. Polit. lib. 2. cap. XI.

ABBAS HERVELDENSIS.

De hoc etiam memoriæ proditum non absimile priori exemplum. Erat Burchardus Halberstadiensis Antistes, qui iniquam diu litem cum ABBATE HERVELDENSI, manu magis quàm iure sustinebat. neque spes illi aut potentia, aduersario resistere. Ecce paucis ante mortem diebus, quam & rei illius vexatio consciuerat, vel saltem accelerauerat, Comitem Palatinum ad se vocat; & per eum extrema hęc Antistiti denuntiari rogat: *Scio me lege meliorem, lite tamen imparem simul cum vitâ cedere. ad Deum iudicem*

dicem appello. Paret ergo se, vt causa coram eo tribunali dicatur, vbi gratiâ & potentiâ spretis, sola iustitia potest polletque. Neque diu pòst ABBAS interiit, & Antistes cùm equum conscenderet, velut fulmine ictus concidit, desiitque hac voce: *Abripior ad diuinum tribunal iudicandus.* Lambertus Schafnaburgensis, circa annum ∞. LIX. I. Lips. suprà.

PETRVS ET IOANNES CARVAIALII.

At notior res, & cognomine prodita in Ferdinãdo quarto Hisp. rege. Erat is in iudicando præceps & rigidus. quò factum, vt duos fratres in occulta cęde suspectos, at suspectos tantùm, nec conuictos, de editâ rupe præcipites dari iusserit. Cùm id fit, clamant & vociferantur: *Insontes morimur; at quoniam Regis aures iustissimæ defensioni obstructæ sunt, eum ad summum Iudicem prouocamus, diemq́; trigesimum ab isto qui nobis vltimus, dicimus.* Dicta nihil valuerunt: sententia tenuit; etiam ipsorum vadatio, nec tempore nec die fallax. Quis neget diuinum illud, & serium monitum:

Discite iustitiam moniti, & non temnere Diuos?

I. Lips. ibidem.

IOANNES HAYNVS PRESB. ANGLVS.

Eiusdem etiam propositi iste. Erat ex iis quos Anglia Christo martyres peperit. Iam enim mortis sententiam, Elizabethæ Reginæ iussu contra se inauditum prolatam, intellexerat: & ad iudicem Gaudæum conuersus, *Si ita*, inquit, *Senatui & Reginæ visum vt moriar, ad summi & immortalis Iudicis tribunal causam meam reseruo.* Martyrol. Anglic. anno 1582.

FREDERICVS ROM. IMP.

Claudebam, sed FREDERICVS interuenit, vt

etiam

etiam personam suam exhibeat in hoc theatro. Principe immiti & crudeli nihil apud eum magis exosum. vnde dixisse eum ferunt: *Væ vobis Principes.* & causam reddens, *Quales*, dicebat, *se dum vixêre aliis præstiterunt; tales, cùm moriuntur, in se iudices experturi.* & quid mirum? nam

Si quis quæ fecit patitur, iustissima pœna est.

Æn. Syl. de Dict. Alphonsi.

IVDICIVM EXTREMVM.

IESVS CHRISTVS.

ET hoc quidem occultum DEI IVDICIVM, aliud erit longè maius, longè horribilius, publicum illud, quo omnes nos adstabimus ante tribunal Christi, vt referat quisque prout gessit in corpore: &, vt Manilius,

Quæsitor scelerum veniet, vindexque reorum,
Qui commissa suis rimabitur argumentis.

Cuius iudicij districtam discussionem crebris parabolis insinuauit eiusdem futurus iudex CHRISTVS: idque vel maximè, vbi ad Pharisæos conuersus, dicebat: *Quoniam omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die Iudicij.* Intelligunt autem per verbum otiosum, illud, quod iustæ necessitatis aut pię intentionis ratione caret. Matth. cap. 12.

REX ANONYMVS.

Legimus in vita S. Iosaphat, fuisse Regem potentissimum, qui vitam in luctu & mœrore peragebat. Miratus & indignatus frater, eum increpat. ille ingemens responsum supprimit, & non ita diu pòst, mittit de nocte tibicines ad fratris ædes, qui horribiles

biles ederent clangores (hoc enim illo æuo ſolenne erat, quoties in aliquem capitis ſententia ferretur.) Quid faciat hęc inaudiens frater? turbatur, clamat: & atro habitu ſumpto, ac cinere conſperſus caput, primo manè ad regiam adproperat, Regis ad pedes ſupplex prouoluitur, delicti, ſi quod eſſet, veniam poſtulat. Cui REX: *Si tu tantum me timeas fratrem tuum, quem numquam læſiſti; numquid ego meritò timere debeam diem illum, quo coram ſupremo Iudice, quem toties offendi, mihi erit comparendum? Si tu in tãtum horrueris tubam illam humanam; quis non horreat diuinam, quâ omnes qui in monumentis ſunt, audient vocem Filij Dei.* Pręclarum, & verè imitandum Regis exemplum. Refert Bernard. de Buſto in ſuo Roſario. item Spec. Exempl.

IVRAMENTVM, PERIVRIVM.

IESVS CHRISTVS.

IVRAMENTVM, quod omnis controuerſię eſt finis, cum reuerentia adhibitum, licitum ſemper fuiſſe & ſanctum, ex vſu omnium gentium & tribunalium euidenter conſtat. quamuis in vanum & ſine cauſa vſurpatum, reprehenſibile ſit: obligans nihilominùs, in re honeſtâ, iurantẽ. Significauit vtrumque Euangelij auctor CHRISTVS, dum viſis turbis in montem ſecedens, eas doceret, inquiens: *Ego autem dico vobis non iurare omnino, neque per cælũ, &c. Sit ſermo veſter, Eſt, eſt; Non, non. quod autẽ his amplius eſt, à malo eſt.* Quo loco non vetuit ne quis iuraret (vt noſtri Anabaptiſtę fingunt) ſed duos Phariſæorum errores correxit, qui putabant quauis occaſione iurandum per creaturas; & tale iuramen-

tum non esse obligatorium. Dicit ergo nullo iuramento iurandum, nisi necessitas compellat. quia quod extra necessitatem adhibetur, à malo, id est, diabolo est introductum: vt explicat Maldonatus. Matth. cap. 5.

D. LVDOVICVS FRANC. REX.

Huius doctrinę sedulus imitator iste, frequenter dixisse cõmemoratur: *Libens lubensque candentis ferri adustionẽ paterer, si iuramenta eo pacto regni mei finibus proscribere possem.* Audiuit hæc qui vitam eiusdem conscripsit Ionuilus, & refert cap. 83.

IDEM.

Eodem auctore accepimus, dum ad pactum cum Saracenis de captiuorum redemptione stabiliendũ, genus quoddam iuramenti pietati Christianæ dissentaneum exigerent, recusasse se eâ formâ iuraturum. Instantibus verò Proceribus, eo pacto iuraret, nisi captiuos omnes periculo vellet expositos; *Integrum*, inquit, *eis sit facere quod lubet: ego malim certè pius Christianus occumbere, quàm irato Deo beataq; Virgine vitam ducere.* Ibid. cap. 46.

MARCELLVS II. PONT.

Et is Pontificatu inito, rogatus à Cardinalibus, vt de more illi diplomati subscriberet, quo iuramento obligaretur, se certum tantùm Cardinalium numerum assumpturum; ratus non esse sufficientem iurisiurandi necessitatem, renuit, dicens: *Re id præstiturus sum, verbis nolim.* Onuph. Panor. in Vita.

CONSTANTINVS MAG. IMP.

Iurauerat apud illum Arrius, se numquam eis opinionibus adhæsurum, propter quas eum Alexander Episc. Ecclesia eiecerat. Libertati itaque ab IMPERA-

PERATORE restituitur, hoc dicto: *Si recta est fides tua, benè iurasti: sin' autem impia, & tamen iurasti, Deus de cælo de te ferat iudicium.* & ita Imperatore eluso, abiit: at Dei vltionem non euasit. Theod. lib. 1. Eccl. hist. cap. 14.

IVTHA OTHONIS II. FILIA.

Exemplis quæ de Iuramento scribere cœpimus, IVTHA OTHONIS II. FILIA finem imponet. Nutriebatur apud Ratisponam in Cœnobio religiosarum virginum. Vnde eius fama permotus Vdalrici regis Bohemiæ filius, eam vi rapuit, & matrimonio iunxit. Detestatus illud facinus Imperator, iureiurando affirmat exercitum se in Bohemiam ducturum, & Vdalricum, eiusque filium pœnas sceleris daturum. Castra mouēt, hinc Otho, illinc Vdalricus: cùm IVTHA (victo magnitudine periculorum muliebri pauore) per media tela patris colloquium, priusquam furor ardeat amplior, exposcit. Impetrat non alloquium tantùm, sed & pacem: at iusiurandum quo se obstrinxerat, vrget pater. Cui illa; *Vana est religio quæ sceleri locum facit. vim criminibus sacramenta non addunt.* Prudenter notabat iuramenta impia seruanda non esse. Munsterus de Germ. lib. 3. cap. 499.

IVRISPRVDENTIA.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

IVdicibus, qui IVRIS SCIENTIA carerent, Midæ auriculas affingebant veteres. neque aliud ad stolidos iudices ornamentum deuenire potest. Quantum verò Reipub. vtilitati, imò & necessitati, conferat hæc scientia; docuit CARDINALIS ALDO-

BRANDINVS. Ille enim, *Facillimum est*, inquiebat, *sine Iurisprudentia ius ipsum peruertere: difficillimum etiam ius dicere, nisi cognoscatur.* Henricus Farnes. suprà.

IDEM

Iuris scientiam in Actione magis quàm cognitione consistere dicebat. Rogatus namque, quē inter Principes maximè iustum existimaret; *Eum*, ait, *qui vitæ potiùs exemplo populum, quàm vocis testimonio instruit.* Ibidem.

IVSTITIA.

S. PAVLVS APOSTOLVS.

COmmendemus etiam virtutum omnium dominam atque Reginam IVSTITIAM. sine quâ (vt habet Cicero in Officiis) nihil præclarum, nihilque laudabile homini euenire potest. Vnde eam in seipsum exerceri optabat Gentium Doctor PAVLVS: qui Festo se roganti, an Hierusalem ascendere vellet, & ibi iudicari; fortiter respondit: *Iudæis non nocui. Si enim nocui, aut dignum morte aliquid feci, non recusô mori.* Act. cap. 25.

LIBERIVS EPISCOPVS.

Require IVDEX, IVDICIVM.

MARTINVS V. PONT.

Nullum tam crebrò, quàm IVSTITIÆ nomen ex eius ore prodibat. vnde sæpiùs ad Satrapas suos, vrbiumque Rectores, illud regij Vatis vsurpabat: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* Plat. in Vita.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Veritatis testimonio inductus, solitus est dicere: *Neque Iustitia sine Principis auctoritate, neq;* Principis

cipis auctoritas sine Iustitia quidquam valet. Nihil enim aliud est IVSTITIA, quàm vis & robur Atlantis, quo mundum suis humeris sustentat. Henr. Farnes. suprà.

IDEM

Interroganti, quid de Iustitia sentiret; respondit: *Ars est & viuendi & vincendi.* illa quippe

——— Vtilibus rectum præponere suadet,
Communesq; sequi leges, iniustaque numquam
Largiri socius.

Ibidem.

FREDERICVS & RVDOLPHVS IMP.

Vide CLEMENTIA, & MANSVETVDO.

ALPHONSVS ARAGONIVS

Æqui cultor iustissimus persæpè in ore habebat: *Principes qui Iustitiam negligunt, persimiles sunt illis, qui morbo comitiali laborantes, cadunt.* Sciebat enim animæ nutrimentũ esse Iustitiam: quâ à Principe sublatâ, nihil ei superesset ad veram vitam. Panor. & Æn. Syl. de Dict. Fact. Alphonsi.

IVSTINVS BYZANTII IMP.

Inter priores haud indecorè se offert IVSTINI Imperatoris, licet æuo longè prioris, virtus. Cùm enim esset corpore morbido, ac raró ius diceret, iniuria & lites creuerant. quid ageret? Præfectum plena potestate ad coërcendum deputat. Qui sumptis factæ potestatis infulis, pro Tribunali sedebat. accusatur primò vir nobilis, & in Aula gratiosus. Is spernit se sistere, & in Aulam pergit. Pergit etiam Præfectus, & ad Principem (apud quem hic reus) intrepidè querelas defert, & simul insignia acceptæ potestatis. Hîc Imperator, non secùs ac Vespasianus olim, *Tu*, inquit, *quod es, esto: & ius tuum in me,*

quidni meos? exerce. Duc, si peccaui, sequor: duc, si quis hîc alius, sequetur, vel trahetur. Præfectus oculos & manus in Senatorem coniicit, eumque iudicio conuictũ verberibus afficit, & magno ære mulctat. Ita paucis diebus vim & vitam Iustitia recepit. Coll. ex Mon. Polit. I. Lipſ. cap. 10.

LABOR.

AGATHON ABBAS.

AMplectimur illud, ſine quo nihil mortalibus dedit vita, vẽdidêre dij: cuius memoria dulcis, finis iucũdiſſimus. de quo interrogatus aliquãdo AGATHON, vtrùm antecelleret laborẽ custodia interior, an verò è cõuerſo; reſpondit: *Homo arbori ſimilis, cuius velut folia, ſunt labor corporalis; fructus, custodia interior.* In Vitis SS. PP.

DOROTHEVS MONACHVS.

Huic etiam ſolẽne quotidie lapides ad mare colligere, è quibus annuatim hoſpitium fabricabat ægrotis. Cui dum quidam diceret, Cur in tantũ conficis corpus tuum? *Quia*, inquit, *me illud occidit.* Sciebat enim (vt eſt apud Fauſtum Andrelinum in diſtichis) quòd

Corrumpant forti celſas cum pectore mentes
Otia plumoſo deſidioſa toro.

Sozom. Trip. hiſt. lib. 8. cap. 1.

S. EPHRÆM.

Nullus etiam hunc LABOR deterruit, quem tam ſeria vox commendat & ornat. ita enim Religioſum conſodalem affari ſolitus: *Ne moleſtus tibi ſit labor: nam multi etiam nihil agentes, à negligentiâ & torpore turbati ſunt. Diſce igitur operans, ne diſcere cogâre*

cogâre mendicans. Idem in illud, Attende tibi, cap. 5.

S. EVSTACHIVS.

Miſſos à Traiano milites, hoſpitio & conuiuio excepit: hoſpiti verò pro ſolutione ſolicito; *Ne vereâre*, inquit, *mea ſeruitus & hæ manus exoluent mercedem.* Quàm benè cum Apoſtolo de ſe dicere potuit, Nullius veſtem concupiui, ſed ad ea quę mihi opus erant, miniſtrauerunt manus iſtæ. Sur. tom. 6. in Vita.

SENEX ANONYMVS.

Sciſcitanti cuidam, quid eſſet humilitas, quæve eius viæ; dixit: *Humilitas magnum quid eſt & diuinum; viæ verò eius, Labores corporei.* Doroth. Doctr. 2.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Quis hîc ALPHONSO aditum præcluſerit? qui à Matthæo Siculo notæ pietatis viro reprehenſus, quòd propriis manibus laboraſſet; ſubridés, *Numquid*, ait, *Deus & Natura, nequidquam Regibus manus contulere?* Panor. lib. 2. de Geſt. eiuſd.

IDEM.

Venerat ad eumdem Senior, non modico vino madidus. qui, vt intemperantiam ſuam excuſaret, dicebat: Verè lac ſenum eſt vinum. Cui ille ſubiunxit: *Sed Regum cibus eſt honos; quem dij immortales non otio aut luxu, ſed improbis laboribus & multo ſudore homini vendunt.* quia, vt rectè C. Manilius,

——— longa dies acuit mortalia corda,
Et Labor ingenium miſeris dedit: & ſua quemque
Aduigilare ſibi iuſſit fortuna premendo.

Ibidem.

LAVS.

IOANNES PONTIFEX.

QVod rebus fortiter gestis honesta subsequatur commemoratio, admodum LAVDABILE dicebat Seneca. & quamuis omnem laudem abominati sint viri sapientes; nihilominùs IOANNES PONTIFEX, cùm immodicè à quodam laudaretur, *Etsi*, aiebat, *plurima mihi affingat, multùm tamen hac laude oblector*. Cur ita? quia per eam monebatur, qualis esse deberet. Æn. Syl. lib. 1. de Gest. Alph.

S. GREGORIVS PP.

Magna etiam fuit huius erga laudantes se modestia. nam cuidam se mirificè extollenti respondisse fertur: *Deum precare frater, vt his quæ de me prædicas, dignus efficiar: sicut & tu dignus es, cuius opinio improbari non debet. Quare licet me tua commendatione inferiorem agnoscam, charitati gratias ago.* Ita prudentiss. PONTIFEX & laudanti se satisfecit, & humilitatis limites non excessit. Ioan. Diac. lib. 4. cap. 62.

S. CONSTANTIVS MONACHVS.

Haud parum est & exiguum, esse laudabilem, & laudari nolle; sed arduũ & excelsum. Quo in genere emicuit supra alios CONSTANTIVS Anchaonitanæ Ecclesiæ MONACHVS. nam cùm è longinquis terris quidam, eum videndi gratia, aduenisset, ostensumque sibi despexisset, eò quòd staturâ esset pusillâ & breui, (quasi corporis vitium animi virtutibus officere posset) irrisorem suum osculo excipiens, *Quàm lætor*, inquit, *quòd tandem nactus sim hominem, à quo iure paruipendendus existimor. Ego sanè*

vt

vt habitu, ita & virtute pusillus sum. Quo facto dictoque satis declarauit, quantum ab humanæ gloriæ concupiscentia abesset, qui sic exultabat contemptus & irrisus.

Sic qui fauoris gloriam veri petit,
Animo magis, quàm voce laudari volet.

Greg. Dial. lib. 1. cap. 5.

CONSTANTINVS MAGNVS.

Et hunc beatum dicebat quidam Antistes, qui hîc in terris dignus esset, cui rerum summa committeretur, quique in cælis cum Dei Filio regnaret. At is eiusmodi sermonem indignè ferens, *Noli*, inquit, *hæc verba in vanum fundere: Deum potiùs orato, vt & in hac & in futura vita, eius famulatu inueniar dignus.* Euseb. de Vita eiusd. lib. 4. c. 48.

ALPHONSVS REX ARAG.

Etiam inter hos sibi locum & laudem vendicat ALPHONSVS. Mirum in modum eum extollebat è Proceribus vnus, quòd esset regis filius, regis frater & nepos. verùm ille: *Nihil minori apud me loco est. Laus enim illa non est mea, sed maiorum. à me itaque elicienda, si qua erunt ornamenta.* Panorm. lib. 2. de Alphonso.

IOANNES HVNIADES.

Simili mente iste. Vocauerat Huldricum Ciliæ Comitem, ad se veniret in castra. at is renuit; Egon', inquiens, Comes & Princeps ad te hominem nouum? Erat enim IOANNES non ita pridem in nobilium collegium adscitus. cui ille: *Non tuis maioribus, sed tibi me comparo: quamquam nec illis cedam, qui pugnando pro Christiana religione nobilitatis titulo accepto, maius lumen posteritati meæ comparaui.* Significabat cum Alphonso, gloriosius à seipso inclarescere,

 rescere,

rescere, quàm ab auis atauisque suæ claritatis radios desumere. Panorm. suprà.

CAROLVS V. IMP.

Vide Apophth. de ADVLATIONE.

LECTIO.

S. CYPRIANVS.

PERLEGE *quodcumque est memorabile*, monet Ausonius: *& vt tibi prosit*, inquit,

Conditor Iliados, & amabilis orsa Menandri
Euoluenda tibi. - Et verè nihil adeò ad morum vitæque instituendæ rectam rationem facere, ac lectionem clarissimorum Scriptorum, auctor est cum aliis CYPRIANVS. Qui in Tertulliani lectione ita fuit assiduus, vt nullo vmquam die ab eâ vacaret: & Paulo Scribæ crebriùs diceret, *Porrige magistrum*, nempe Tertullianum. Hier. in Catal. vir. Illust.

S. BERNARDVS.

Ille Prophetarum & Apostolorum scripta, quibus inhærebat assiduus, magno in pretio habebat. &, *Verè*, aiebat, *hi sunt fontes veritatis, quibus per deuotam meditationem inhærendo plus proficiunt homines, quàm longos commentarios euoluendo.* Proinde apud amicos iocari solitus, *Nullo ego, præterquam quercubus & fagis, magistro sum vsus.* Auct. vitæ, lib. 1. cap. 4.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Vide Apophth. de DISCENDI CVPIDITATE, LIBRIS, *&c.*

LEX.

LEX.

Pivs v. Pont.

AD Leges me conuerto, ſine quibus nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerũ natura omnis, neque mundus ipſe diu poteſt. quas non ita ab omnibus æqualiter obſeruari, quę tamen omnes æqualiter obſtringebant, indoluit quandoque Pivs v. Pont. & veterum illud vſurpabat: *Leges ſunt velut aranearum telæ, quibus muſcæ irretiuntur, quasque hirundines perrumpunt*. Hinc vulgus etiam non ineptè per aranearum telas ac retia, Hieroglyphicè, Legum notat inæqualitatem. Auct. Serm. mem.

Pivs ii. Pont.

Haud aliter iſte, licet ætate in hoc ſacro ordine prior, dixiſſe fertur: *Leges ſanctæ ſunt, & vaganti fræna licentiæ imponunt: eæ tamen in plebem vim habent, in potentes mutæ ſunt*. Platina in Vita.

Liberivs Pont.

Ille item Conſtantio Imp. ſibi dicenti, hæreticarum Eccleſiarum communionem amplecteretur, & ſic Romam, quâ exulabat, rediret; reſpondit: *Iam Romæ fratribus valedixi. nam leges Eccleſiaſticas obſeruaſſe, pluris faciendum cenſeo, quàm Romæ habuiſſe domicilium.* Theod. lib. 2. cap. 17.

Lavacrivs Præses Franciæ.

Neque tantùm Legum obſeruantiam in pretio habuiſſe laudem meretur; ſed & iniquas pręcauiſſe, ſuam gloriam habet. Ita Ludouico xi. Gall. Rege exitium Curię Pariſiorum minitante, niſi latas à ſe leges iniquiſſimas promulgarent & approbarent; re intel-

intellectâ, Regem adeunt Patres. quos cùm ille rogaret, Quánam de causa huc aduenistis? aliorum nomine LAVACRIVS, *Vt mortem*, respondit, *oppetamus potiùs, quàm iniquas leges ferri patiamur.* Rex tali responso permotus, leges scriptas sua manu dilacerauit. Bodinus in Method. Hist. cap. 6.

CAROLVS MAGNVS.

Quid verò ante illum CAROLVS; quem fortitudo, constantia, pietas, MAGNI nomine apud posteros decorauit? Ille capulo cui insignia propria insculpta erant, edicta signabat. dicebat enim; *Eiusdem est & confirmare & defendere leges.* Corozet. de Dict. Fact. memorab.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Æquissimum autem esse illud Ausonij,

Pareto legi, quisquis legem sanxeris.

ostendit suo dicto ALPHONSVS. cui frequens in ore: *Ineptè agunt Principes, qui aliis honestè beateq; viuendi leges proponunt; ipsi verò nihilo temperantiores melioresque se præbent.* Panor. lib. 5. de Gest. eiusd.

LVDOVICVS XII. GALL. R.

Et ille, cùm Subpręfectum Aurelianensem, quocum familiariter fuerat vsus, quemque sępiùs iniustitiæ reum liberarat, capite damnasset; admirantibus nonnullis, *Contendi*, inquiebat, *priuatus pro amico: regnum adeptus, leges tueri debeo.* Non ignorabat, quòd

Inde datæ leges, ne fortior omnia posset,
Cœptaque sunt purè tradita sacra coli.
Exuitur feritas, armisque potentius æquum est.
Et cum ciue pudet conseruisse manus.

Annales Franc.

VITOL-

VITOLDVS LITVANIÆ DVX.

Alia mente VITOLDVS. cui pro deliciis erat, differentem se moribus & habitu à popularibus præbere, ac dicere: *Plebs legi, Principi lex subiecta esto.* quasi magistratum, vtpote legum custodem fidelissimum, nō deceat primùm imperatis parere, vt subditi ad eorum imitationem incitentur.
Æn. Syl. Comm. in Res gest. Alphonsi.

LIBERALITAS.

LEO X. PONT.

NOn ita claudenda est res familiaris, vt eam aperire nō valeat BENIGNITAS; nec ita referanda, vt omnibus pateat, inquit in Officiis eloquentię pater. sed considerandum, vt pro dignitate cuique tribuatur. Ad cuius rei gloriam ardentiùs nemo anhelauit LEONE X. PONTIFICE, cuius egregia illa vox: *Principis loco indigni sunt, qui fortunæ muneribus beneficâ manu vti nesciunt.* Quare meritò suum etiam Proculeium hoc versu celebrat Horatius:

Viuet extento Proculeius æuo,
Notus in fratres animi paterni:
Illum aget penna metuente solui
Fama superstes.

P. Iouius in Leon. x. lib. 4.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Rogabatur ille, quódnam beneficium existimaret maximè gratum; & respondit: *Quod non fuit petitum.* præclarè certè. Quò enim quis sua sponte impensiùs benefacit, eò magis naturam immortalium deorum attingit. quia

Gratia

Gratia quæ tarda est, ingrata est: gratia namque
Cùm fieri properat, gratia grata magis.

Henricus Farnes. suprà.

IDEM

Dicere solitus, *Principum* LIBERALITATE *Musas esse pascendas.* Musæ enim quæ honesta, non quæ quæstuosa, sequuntur. Ibidem.

CAROLVS IX. F. R.

Erat hic inter Principes sui æui munificentissimus. Qui reprehensus quòd pecunias non daret, sed profunderet; *Regem*, aiebat, *in dando facilem esse oportet. Nam populus fluminis instar pecunias in fiscum ceu ad Oceanum defert.* Annal. Franc.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Quid & ALPHONSVM loquar? Res pernota est, bonum fuisse & prudentem; sed & liberalem, dicta eiusdem & facta loquuntur. Deferebatur ad eum summa decem millium aureorum, cumque ex adstantibus quidam se eâ beatum fore diceret; *Accipe*, inquit ALPHONSVS, *quantacumque ea est, & beatus esto.* Verè huic dicere poterat, quod alteri accommodat Ouid. in Fastis:

Quid moror, & variis onero tua pectora causis?
Eminet ante oculos quod petis ecce tuos.

Panorm. lib. 4. de Gest. Alph.

RICHARDVS BRITANNIÆ REX.

Eadem laude clarus RICHARDVS. qui cùm apparato conuiuio aduerteret duos equites attentiùs colloqui, & vasa quædam sumptuosiora adspicere & mirari; accessit, & quibus de rebus verba facerent, sciscitatur. confitetur vnus; Dicebamus, ait, voto nostro tum demum fore satisfactum, si duo ex hoc vasorum numero nobis obtingerent. Cui Rex subri-

ſubridens; *Ne ob id contenti eſſe deſinite, en vaſa hæc veſtra ſint.* An non hîc de illo exclamaret Claudianus, quod de Eutropio;

Nil negat, & ſeſe vel non poſcentibus offert?

Bap. Fulgoſ. lib. 4.

IDEM.

Natalitiis Saluatoris, dum ſacellum auro gemmiſque exornari curaſſet, & Aquenſis Antiſtes Bonefacij Pont. Legatus in eo rem diuinam peregiſſet; iamque paramenta veſteſque pontificias exueret; REX nihil de ornamentis amoueri iubet, apprehenſaque Legati manu, *Æquum,* ait, *mihi non videtur, Pontificium Legatum alienâ veſte ornamentisque ſacrificare: quare quidquid in hac æde eſt ornamentorum, tuum eſto.* Ibidem.

CAROLVS V. IMPERATOR.

Huic in hoc virtutis ſplendore ſimilis CAROLVS. cuius illa vox: *Regis Liberalitas aptiſſimè cum Sole conuenit: nam velut is indurat lutum, & emollit ceram; ita hæc quorumdam animos emollit, quorumdam indurat.* Collig. ex Cyt. in Orat. de Vita eiuſd.

LIBERE DICTA.

S. PAVLVS APOSTOLVS.

MVltos in dicendo commendauit gratia & venuſtas, pleroſque commendat & iuuat audacia & libertas: præſertim ſi is qui dicit, iuſtè & cum ratione dicit. quo modo feciſſe APOSTOLVM PAVLVM Sacræ teſtantur litteræ: dum enim in carcerem miſſus, & cæſus ob ſanatam puellam Pythoniſſam, tandem per magiſtratum dimitti iuberetur; *Cæſos,* dicebat, *nos publicè, indemnatos, homines Romanos,* *miſe-*

miserunt in carcerem; & nunc occultè nos eiiciunt? Non ita, sed veniant, & ipsi nos eiiciant. quasi dicat, Veluti nos publico probro affecerunt, ita & publicè nos inculpatos & insontes ostendant. Actor. cap. 16.

IDEM.

Quin idem in concilium productus, cùm se bonâ conscientiâ ante Deum vsque in illũ diem conuersatum diceret; Princeps Sacerdotum Ananias os eius percuti iussit. Ad quem PAVLVS, *Percutiet te Deus paries dealbate,* inquit. *Et tu sedens iudicas me secundùm legem, & contra legem iubes me percuti.* Actor. cap. 23.

S. ANASTASIVS EPISC.

De ANASTASIO autem accepimus, interrogatum, cur ita pecunias suas profunderet, per cauillationem liberè respondisse: *Ideò, ne à communi pernicie Iustino auferatur.* Niceph. Call. lib. 17. c. 36.

PRÆTEXTATVS ROTHOMAG. EPISC.

Erat Fredegundis Franciæ Regina, improbitatis omnis & inhumanitatis sentina. Hęc PRÆTEXTATVM PRÆSVLEM, cui eximiam virtutem & vitę innocentiam inuidebat; lethali vulnere percuti iusserat. ac mœsta (vt simulabat) accurrit (crediderim, vt oculos in eius angore pasceret) questus & iram miscuit, quòd in talem virum patratum esset scelus, & auctor lateret: at PRÆTEXTATVS vicinâ morte liberior, *Minimè*, inquit, *latet, fateor me eius scelere percussum quæ reges occidit.* Per dolum quippe Chilpericum maritum suum occidi curauerat. I. Lips. Mon. Pol. lib. 2. cap. 2.

IOANNES PAYNVS PRESB. ANGLVS.

Fuit hic ex iis, quos Angliæ laniena sub Elizabetha

betha absorpsit: qui dum Eleoti cuiusdam testimonio, læsæ Maiestatis reus denuntiaretur, liberè & impauidè; *Est*, ait, *contra legem diuinam & humanam, vt vnius infamis hominis testimonio reus condemnetur.* Martyrol. Angl. an. 1582.

S. PELAGIA.

Quid verò viros hîc persequor? quasi hac dicendi libertate constantiaque caruerit fæmineus sexus. Vnicam PELAGIAM propono, quæ ad boue͂ æneum conde͂nata, ac iussa à Diocletiano vestimenta exuere, magna voce eum appellans; *Recordare*, ait, *vxores pellicesque tuas eadem quâ ego carne indutas.* vestibusque reiectis, nuda ad succensam machinam properauit. Metaphrast. in Vita.

SIGISMVNDVS IMP.

Ciuilia adscribam, & inter ea primùm SIGISMVNDVM IMP. Dum namque quidam Constantiæ omnem libertatem ademtam quereretur, inquiebat: *Secùs se res habet. Quin si deesset hîc summa libertas, tu numquam tam liberè loquereris.* Indicabat magnę libertatis signum, liberè posse loqui. In dictis Sigism. apud Æn. Sylu.

MILES ANONYMVS.

Graue illud & serium. iocosum hoc à Ducis Saxoniæ milite profectum:

Tempore quo bellum cum Cæsare Saxo gerebat,
Seria festiuo hæc res fuit acta ioco.
Bellica Saxonici quidam Ducis arma secutus
MILES, *ab aduerso milite captus erat.*
Ex quo Cæsareus cupiens resciscere Princeps,
Esset quanta Ducis copia, quanta manus?
Ille suis aquilam qui territat ensifer armis
Saxo tuus, quantum roboris, inquit, habet?

MILES *ad hæc*; Demiror,*ait*, cur talia quęras:
Cum Duce luctatum méne fuiſſe putas ?
Georg. Sabinus in Epigramm.

LIBERTAS.

MATTHIAS CORVINVS.

LIBERTATIS (cui proprium teſtatur Cicero, ſic viuere vt velis;) portum ingredimur. & quis inter homines non libens eum ſubeat? MATTHIAS CORVINVS Ladiſlai Regis Bohemiæ filius, cùm in Georgij Pogiebraci (qui poſtmodum regno ſucceſſit) poteſtatem deueniſſet, multoq; apud eum tempore,non indecoro tamen carcere,detineretur: tandem ad Hungariæ regnum adſcitus eſt. mittuntur nūtij in Bohemiam. Quibus auditis,Georgius adoleſcentem regium ſibi cœnanti, præter morem, ex imo loco aſſidere iuſſit. eóque percunctante, & attonito cur ita id fieret; Quid, inquit Rex, mihi exſolueris MATTHIA, ſi læti nuntij te reddidero certiorem? Cui ille: *Nihil mihi, ô Rex, libertate aut lætius aut gratius euenire poteſt; quam ſi conceſſeris, me æternùm tuo honori deuinctum ſcito.* Verè & ſcitè Comicus:

Liber captiuus aui ferè ſimilis eſt.
Semel fugiendi ſi data eſt occaſio,
Satis eſt. numquam pòſt illum poſſis prendere.

Munſterus de German. lib. III. cap. vlt.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Verùm longè alia Sapientibus LIBERTAS, non corpus tantùm, ſed & animum afficiens: de qua locutus aliquando ALPHONSVS perhibetur. Percontanti namque quíſnam foret liber; aſſumens illud Hora-

Horatij, aiebat : ——— *Sapiens, ſibiq́ue imperioſus,*
Quem neque pauperies, neque mors, neque vincula terrent.

In Dictis Alphonſi.

LIBIDO.

S. WOLSTANVS EPISC. WIGORNIENS.

QVæ *ruit in vetitum damni ſecura* LIBIDO, paucis perſtringenda ; & quomodo eam in ſe extinxerint viri ſancti. quorum pleroſq; licet alium in locum tranſtulerimus , prodeunt tamen hîc in ſcenam nonnulli , quorum ductor ſit WOLSTANVS ANTISTES : in cuius concupiſcentiam dum matrona quædam nobilis exardeſceret, in tantum vt reſiſtere tentationi nequiret,eiq́; ſuum deſiderium manifeſtaret ; ille , ſermone interrupto, factoq́ue crucis ſignaculo, *Fuge*,ait, *comes Laſciuiæ, Mortis filia, vas Satanæ*.eique alapam ſummo niſu inflixit,& ſic velut alter Ioſeph, laſciuiam muliebrem animo reſpuens, manu compeſcuit. Sur.tom. 1. in Vita.

S. VRSINVS PRESBYTER.

Mirus & magnus in hoc pugnæ genere VRSINVS. qui,dum poſt legitimum cum coniuge diuortium,Nurſiæ preſbyter ordinatus eſſet,ita ab eâ erat alienus,vt nulla ex cauſa, ne ad colloquium quidem eam admitteret. Annis autem 40.in tanta continentia conſtantiaq́ue tranſactis,cùm graui morbo correptus , animam exhalaſſe putaretur ; aduenit ipſa, & admota ad nares aure, periculum faciebat an adhuc ſpiraret. res mira. Senſit mulieris attactum, qui ſe vix ſentiebat: & à ſe abſens,mulieris præſentiam conſiderabat. Atque hanc vocem inexpectatò

edit: *Recede mulier, nondum penitùs extinctus est ignis, tolle paleam.* In Vita.

S. EPHREM ET MERETRIX.

Vide OCVLORVM CVSTODIA.

S. FRANCISCVS.

Quid verò Minorũ Pater & Institutor S. FRANCISCVS? Cùm summâ curâ vtriusque hominis puritatem seruaret, circa conuersionis suæ primordia, brumali tempore in fossam glacie plenam se collo tenus quandoque mergebat, vt & domesticum hostem superaret, & candidum sui pudoris velamen à voluptatis incendio præseruaret. &, *Tolerabilius viro spirituali incõparabiliter fore* asserebat, *magnum sustinere frigus in carne, quàm carnalis libidinis ardorem vel modicum sentire in mente.* Vnde cùm grauis eum carnis tentatio apprehendisset, mirus castitatis amator, depositâ veste, flagello è funibus contexto, in suum corpus desæuiebat; *Eia*, inquiens, *frater Asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deseruit, sanctitatis signaculum præfert: furari eam libidinoso non licet. si quò vis pergere, perge.* S. Bonau. in Vita, cap. 5.

S. LVDOVICVS EPISC. TOL.

Non hominis, sed Angelica putari debet continentia, qua ornatus fuit TOLOSANVS PRÆSVL. Detinebatur obses in carcere adhuc ętate florens: cumque custodes suaderent, vt carceris dolores mulierum amplexu solaretur; pro monstro eam vocem accipiens, *Nónne satis est*, inquit, *corpus meum à vobis captum detineri, an animum quoque vinctum vultis? Absit, vt hoc meum corpus Deo dicatum, velociter abeunte adulterem voluptate.* summotoq; improbo homi-

homine, auerſum ab omni Venere animum declarauit. Ex Vita eiuſd. imp. apud Moretum, c. XIV.

S. LVCIA VIRGO.

Verùm & in fœminis tanto hæc laus erit illuſtrior, quanto infirmior ad reſiſtendum ille ſexus. Et quidem virginitatis flos & ornamentum LVCIA, ſenſerat ob oculorum pulchritudinem ſuæ virginitati periculum imminere, quòd eos maximè expeteret inſana Tyranni libido. Illos itaque eruit, & ad Tyrannum hoc dicto miſit: *Scito nihil amplius in me ſupereſſe, quo à te mihi timeam iniuriam.* verè implens illud Euangelij: Si oculus tuus ſcandalizat te, erue eum, & proiice abs te. Sabell. lib. 3.

Require Apophth. de CASTITATE.

LIBRI.

PIVS V. PONT.

NVllum eſſe LIBRVM tam malum, qui non aliqua ſui parte prodeſſet, dicebat Plinius. Quo factum, vt PIVS PONT. eius nominis quintus, dum apud eum quiſpiam magni pretij gēmas ſupra modum extolleret, manu in LIBROS extenſa diceret: *En in his veræ gemmæ.* Corozetus.

MARTINVS SILICÆVS ARCHIEP. TOLET.

Nec minus laudabile eſt quod de ARCHIPRÆSVLE MARTINO SILICÆO, præclaro ſuo teſtimonio adfirmat R. P. Andreas Schottus Societ. IESV Preſbyter, ſingulari eruditione & humanitate vir. Ille enim vt erat prudentia ſcientiaque clariſſimus, vnde & ſtudiorum Philippi II. Hiſp. Regis Catholici magiſter inſtitutus; dum ad bibliopolarum tabernas librorum comparandorum gratiâ ſe conferret,

ferret, haud vmquam passus eos per famulos deferri: quin ipse suismet brachiis dulce onus sustinebat. Vrgentibus verò amicis, aliis concederet; *Non fecero*, respondebat. *Libri me honorarunt, quid ni eos vicissim gestando honorem?*

PIVS II. PONT. MAX.

Sed non omnium LIBRORVM eadem est vtilitas: quidam enim licet honestatis aut modestiæ colorem præ se ferant, turpium flagitiorum veri præcones sunt: &, vt in Tuscul. Cicero, molliunt animos nostros, neruos omnes virtutis elidunt. Quod cùm non ignoraret PIVS II. PONT. & meminisset per ætatem iuuenilem excidisse sibi quædam non satis modesta, quæ sub nomine Æneæ Syluij (hoc enim ante Pontificatum gerebat) in lucem prodierant: grauiter pœnitens, hoc vnicè laborauit, vt isti veluti monstrosi partus supprimerentur: omnesque rogabat, vt posterius consilium priori temeritati anteferrent. dicebat autem: *Seni magis quàm iuueni credite: nec priuatum hominem pluris quàm Pontificem facite. Æneam reiicite, Pium suscipite.* Vos etiam Rectores, vos Patres, pestiferam hanc segetem stirpitus euellite, & memoria retinete illud Ouidianum:

Eloquar inuitus, teneros ne tange Poëtas:
Submoueo dotes impius ipse meas.

Guiliel. Baldesanus in Stim. virt. adolesc. cap. 13 libro 1.

IVLIANVS IMP. APOSTATA.

At verò vtilium librorum vsum & oblectamentum, veluti quoduis aliud bonum, Christiano populo inuidebat, postquam à Religione desciuisset, IVLIANVS. vtpote iam Deo exosus, cauit ne vlli Galilæorum filij (ita Christicolas vocabat) Poëtarum, Rheto-

Rhetorum, aut Philoſophorum ſcripta legere aut penes ſe retinere præſumerent. Rogatus cauſam, hanc dedit: *Quia propriis (vt eſt in Prouerbio) pennis vulneramur: ex noſtris enim armati conſcriptionibus, in nos bellum ſuſcipiunt.* Sozom. hiſtor. Tripart. lib. 6. cap. 17.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Percontanti, quínam forent optimi conſiliarij, *Mortui*, inquiebat, Libros deſignans; *ab his enim ſine metu, ſine gratia, quæ noſſe cupimus, fideliter audimus.* Æn. Syl. de Dict. eiuſd.

IDEM

Cùm de Neapolitanâ arce reſtaurandâ cogitaret, Vitruuij de Architecturâ librum ad ſe deferri iuſſit. Qui cùm totus incomptus & illigatus deferretur; *Non decet*, inquiebat, *Librum hunc, qui nos quo modo contegamur inſtruit, detectum eſſe.* quare eum vſui coaptari, & decenter veſtiri mandauit. Panorm. lib. 1. de Geſt. eiuſd.

LAVRENTIVS MEDICES.

Aliud inſuper de LAVRENTIO MEDICES, à Ioan. Brantio noſtræ vrbis Graphiario ex eiuſdem laudatione funebri obſeruatũ, adiungo. Ille enim tanto amore Libros & Librorum cultores proſequebatur, vt ſępenumerò auditus ſit dicere: *Optarem ea mihi à Nicolao Leoniceno & Ioanne Pico* (viris probitate ac eruditione conſpicuis) *addi incitamenta ad emendos libros, vt neceſſariis deficientibus, ipſam tandem ſupellectilem oppignorare compellerer.* Ita diuite librorum ſupellectile gaudebat; quorũ non vt plerique tantùm ſpectaculo, ſed & ſtudio perfruebatur.

THOMAS MORVS.

Quis MORVM, vnicum ingratæ Britanniæ orna-

mentum & decus prætereat? Carceri inclusus, quòd Henrici VIII. impiis decretis dissentiret, totos dies reuoluendis piorum scriptis transigebat. Inuidit rex improbus, & librorum copiam eripi mandat. At ille, obseratis fenestris, soli Deo vacabat. Percontantique, quid ita in tenebris moraretur; *Quid me agere vultis?* inquit. *Nonne sublatis mercibus, claudenda est officina?* Libros merces appellat, quòd per illos quasuis dignitates & honores mercemur.
N. Sanderus lib. 1. de Schism. Anglic. Thom. Staplut. in Vita.

ANONYMVS

Venerat ad Collegium quoddam illitteratorum hominum: quorum Bibliothecam, quæ admodum erat instructa, nisi quòd libros omnes catena vndequaque vinctos detineret, dum ingressus esset, ait:

Haud secùs ac duro fugitiuos carcere seruat
Vestra catenatos Bibliotheca libros.
Quid mirum, si nulla viget doctrina, colendi
Doctrinæ auctores hîc vbi vincla gerunt?

Ex relatis Auctori.

NOBILIS ANONYMVS.

Claudebam hoc agmen, nisi alius vt genere, ita etiam hac laude nobilis interuenisset. Hic enim non ita pridem doctam hanc mercem comparaturus, dum ad Bibliopolam venisset, & is moram soluendi pretij indulgeret, noluit eam sibi gratiam præstari; & in egregium illum sermonem erumpens, *Parum*, inquiebat, *æquum id foret. Aliarum enim mercium, quæ solùm corporis aut voluptati aut necessitati deseruiunt, pretium honestè ac tutò differatur: at Librorum, quibus animus ipse pascitur ac reficitur, præstantia, præsenti pecuniâ compensanda est.* Ita veræ

Nobi-

Nobilitatis, quæ in ſola eruditione & virtute conſiſtit, cuſtodes & magiſtros (Libros appello) æſtimare doctus, alios ſuomet, licet raro, exemplo ad imitandum prouocabat. Ex relatis Auctori.

AVLICI ANONYMI.

Diuerſi à priori illo hi. Inter aulæ ſtrepitus verſabãtur aſſiduè, &, vt nobilitas ea ſolet, armorũ non litterarum ſtudio inuigilabant. Vnde cùm Ioannes II. Hildesheimenſium Prçſul, illius muneris ſuſcepiſſet gubernacula, dictosq; ſuos NOBILES de Bibliotheca interrogaret, quò otio litterario quandoque ſibi vacare liceret; oſtenderunt ei armamentarium, &, *Non hîc*, reſpondent, *aliam Bibliothecam requiras oportet. Ex hac enim libros deſumes, quibus & hoſtem à te repellas, & Epiſcopatus tui iura & immunitatem conſerues.* Quàm diſpar eorum mens ab illo, qui ex libris arma & armorum iura ſe didiciſſe gloriabatur. Bruſch. in Epiſc. German.

LIS ET CONTENTIO.

PIVS II. PONT.

LITIVM & CONTENTIONVM omniũ, quæ charitatis mutuæ vincula diſrumpunt, hoſtis acerrimus fuit PIVS II. PONT. quem de illis non rarò iocatum fuiſſe, auctor eſt Platina: *Litigatores ſunt aues; forum, area; iudicium, rete; aucupes verò, Patroni.* Platina in Vita.

CAROLVS IX. GALL. REX.

Sed & de iis qui lites proſcribere ſtuduerunt, CAROLVS NONVS in Gallia nuper fuit. Is huic prurigini ſiſtendæ pecuniarium vectigal excogitauit, illudque ita edixit: *Quicumque litem orditur, dependito*

dito in fiscum Regium duos aureos: recipiendos si iure litigasse iudicetur; sin aliter, omittendos. At leue nimis remedium in tam grandia & vetera mala. I.Lips. Mon. Polit. lib. 2. cap. 10.

LVSVS.

S. IOAN. EVANGELISTA.

HOmines quamuis in rebus turbidis, tamen si modò homines sunt, interdum animis relaxari, docuit IOANNES EVANGELISTA. qui reprehensus, quòd matura iam ætate, aliquando cum auicula tēpus falleret, iussit Aristarchulum reprehēsorem, arcum quem humeris gestabat, aliquoties tendere. quod cùm fecisset, & arcus remissior factus esset, eius causam sciscitatur. Qui se neruum arcui detraxisse respondit, ne continua intensione inutilis redderetur. Cui extemplo IOANNES: *Et ego interdum cum aliis honesto exercitio relaxor, vt maioribus deinde viribus, orationi & ieiunio insistamus.* Appositè Statius lib. 4. Sylu.

——Nostra fatiscit
Laxaturque chelys: vires instigat alitque
Tempestiua quies. Maior post otia virtus.

Fulgos. lib. 8. cap. 8.

Require Apophth. de CLEMENTIA.

LVXVRIA.

BARNABVS PRINCEPS, ET CLERICVS.

DEo & virtuti inimicam LVXVRIAM leuiter attingemus, ne dudum illi inhæsisse videamur, quę velut omnis criminis stimulus, numquam manere

nere quietum patitur affectum. BARNABVM Principem Luxuriæ inquinamento deprauatum, reperit quandoque superueniens fortè quasi in ipso actu, ordinarius eiusdē CONFESSOR. turbatur, & pudore suffectus Princeps; Dic pater, inquit, si tecum decumbentem haberes iuuēculam, quid ageres? quod insulsum dictum salsè & prudenter reprimens, *Quid facturus*, ait, *forem, verè nescio: scio autem quid à me fieri deberet.* Auct. Serm. memor. anonym.

CACANVS PRÆFECTVS.

Singulari etiam memoria dignum quod sequitur. Erat CACANVS militiæ præfectus Imp. Carolo Magno: qui, occiso Gisulpho Foriulij Comite, de ipso solo terrisque occupandis cogitabat. at opposuit se Romilda cæsi Comitis vxor. Verùm vt erat æstu libidinum feruens, vbi CACANVM viribus & specie insignem vidisset, è muris eum vocat, vrbes & regna offert, si se ducat vxorem. Lætus hac oblatione hostis, parere per nuntium iurat. Habita ergo in suâ potestate vrbe, eaque contra datam fidem vastata, iurisiurandi memor, Romildam in coniugem accipit, vnicâ eaque primâ nocte vtitur, ac postera die 12. robustissimis militibus prostituendam tradit, & palo deinde affigi; dicens: *Tali digna honore est fæmina, quæ libidinis explendæ causâ, patriam in hostium manus tradit.* Quid hîc extollam, meritam libidinis pœnam, an iniustam contra iusiurandum CACANI seueritatem? Gaguinus lib. 4. de Reb. Gall.

Require Apophth. de ADVLTERIO, *&* LIBIDINE.

MAGI-

MAGISTRATVS.

PIVS II. PONTIFEX.

MAGISTRATVM Legem loquentem dicebat Tullius, ſine cuius prudentia ciuitas eſſe non poteſt; quorum deſcriptione omnis Reipub. moderatio continetur. ideoque magnoperè in eius delectu inſudandum. Ita PIVS II. aliquando dixiſſe commemoratur: *Magiſtratus alios mereri, & non habere; alios habere quidem, & non mereri. Dignitates autem non viris, ſed viros dignitatibus dandos.* Eſt enim ei, cui Reſpublica commiſſa eſt, neceſſaria oratio & ſapientia, vt habet lib. 1. de Legibus Cicero. Platina in Vita.

IDEM.

Vide ſuprà AFFABILITAS.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Non erat ab hac mente alienus ALPHONSVS, qui dicere ſolebat, ſi quando de Magiſtratu cõferendo ſermo fieret; *Qui aliis præſunt, tanto priuatis hominibus meliores eſſe oportet, quanto honoribus & dignitatibus antecellunt.* Panor. lib. 6. de Geſt. eiuſd.

IDEM

Interrogatus, cuinam Magiſtratum ſimilem diceret; *Coti*, inquit. *Quia veluti argentarij cote iudice vtuntur ad probandum aurum & argentum: ita Magiſtratu Reges ad hominum ingenia exploranda.* quaſi dicat, tum demùm hominis mores perſpici, ſi publicam perſonam ſuſtineat. Ibid.

FREDERICVS III. IMP.

At multa diſſimulanda interdùm ad publicam tran-

tranquillitatem conſeruandam, iis qui Reipub. clauum tenent, aſſerebat IMPERATOR FREDERICVS; cui in ore perſæpè:

Qui regnare volunt, multis dormire, ſagaci
Multaq; conſilio diſſimulare ſolent.

Reinh. Hadam. In Inſtit. Princ.

SIGISMVNDVS IMPERAT.

Et hunc, cùm cœnanti verboſus quidam & importunus ſenex nimium verbis obreperet, exclamaſſe ferunt: *Aſinorum conditio longè potior, quàm Regum: illis enim dum paſcuntur domini parcunt, Regibus nemo.* Idem Alphonſo tribuit Æneas Syluius.

Vide Apophth. de AFFABILITATE, *&* ELECTIONE.

MAGNIFICENTIA.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

NEmo poteſt ſine re amplâ verè eſſe magnificus. Id enim tam auguſtum nomen importat. Quod cùm non ignoraret CARD. ALDOBRANDINVS; rogatus, quis eſſet MAGNIFICVS, reſpondit: *Qui muros vrbis, qui Naualia, Theatra, Porticus, eaq; omnia exſtruit, quæ ad communem vſum faciunt ciuitatis. Domus verò*, inquiebat, *Magnifici, non auro, non ebore* (vt ſenſit Homerus) *ſed hoſtium ſpoliis adornanda eſt.* Sentiebat enim, illa eſſe Incontinentiæ blandimenta; hæc monumẽta virtutis. H. Farneſ.

IDEM

Rogatus, quidnam ſibi videretur maximũ; *Non vinci*, inquiebat, *à beneficiis*. Illũ magnificum exiſtimabat, qui à rebus magnis non ſuperatur. Ibid.

MALE-

MALEDICENTIA.

S. BASILIVS.

QVod Bonaſus animal, id homo maledicus: ille enim, ſi Plinio fides, quoniam cornibus implexis lædere non valet, fimum aufugiens reddit, cuius contactus inſequentes adurit: ita hic, dum coràm non audet, à tergo ſparſis probris, proximum contaminat. & nihilominùs percontanti, ánne maledici diligendi eſſent; BASILIVS reſpondit: *Omnino diligendi. Quia eorum operâ eam beatitudinem conſequimur, de quâ Chriſtus dixit: Beati eſtis cùm maledixerint vobis homines.* Collig. ex Reg. fuſ. diſp. q. 176.

PIVS II. PONT.

Maximam quoque MALEDICENTIÆ tolerãtiam in PIO II. PONT. arbitrari debemus fuiſſe. Numquam enim malè de ſe opinantes aut loquentes coërcuit. Volebat namque in libera ciuitate omnes liberè loqui. Conquerenti verò cuidam, quòd maledictis laceraretur; *De me etiam*, inquit, *qui malè ſentiant, ſi ad campum Floræ te conferas, multos audies.* Volebat omnium Principum mores priuatorum imprudentiæ impudentiæque ſubiectos eſſe. Platina in Vita.

FRANC. SFORTIA.

Venerat ad eum Nolanus eques transfuga, qui, vt ſibi gratiam & fauorem cõciliaret, referebat Tartaliam hominem improbum omnibus maledictis eius famam dilaceraſſe: idque, vt ſibi fides haberetur, iureiurando ſæpiùs affirmabat. At SFORTIA: *Non eſt opus vt multum perſuadendo labores, cùm*

Tar-

Tartalia numquam verbum de quoquam protulerit, quin maledixerit. P. Iouius de Dict. Fact. Sfortiæ, cap. 85.

MANDATA DEI, EORVMQVE OBSERVATIO.

IESVS CHRISTVS.

QVi veram requiem post hanc vitam quærit, etiam hîc eam inter amarissimas vitæ molestias gustabit, si eius, qui eam promisit, PRÆCEPTA dilexerit. quare ÆTERNVS DEI FILIVS, quo nos coheredes haberet, rogante Thadæo postquã de se manifestando locutus esset, Domine quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? respondebat: *Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.* Ioan. cap. 14.

IDEM

A discipulis solicitatus vt mãducaret, dicebat: *Ego cibum habeo manducare quem vos nescitis.* Cumque non intelligerent, subiecit: *Meus cibus est, vt faciam voluntatem eius qui misit me, vt perficiam opus eius.* Innuebat veram Christiani hominis alimoniam consistere in obseruatione MANDATORVM DEI. Ioan. cap. 4.

IDEM.

Sciscitanti insuper adolescenti, Magister bone, quid faciam vt habeam vitam æternam? *Si vis,* respondit, *ad vitam ingredi, serua mandata.* Matth. cap. 19. Mar. 10. Luc. 18.

IDEM

IDEM

Dum rursus loqueretur ad turbas, mittunt mater & fratres, qui eum vocarent vt sumeret cibum. At ille nuntianti, *Quæ est*, ait, *mater mea, aut qui fratres mei?* (non negans aut cõtemnens cognationem, sed causæ præsentis, videlicet Euangelicæ prædicationis, executionem vrgens) & extendens manum in discipulos; *Ecce*, inquit, *mater mea, & fratres mei.* (quos scilicet diligo vt fratres, & honoro vt matrem) *Quicumque enim fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* insinuans talem sibi fore coniunctissimum. Matth. cap. 12. Mar. 3. Luc. 8.

S. HVGO EPISC. LINCOLNIEN.

Vide CONVIVIVM.

S. DOROTHEVS.

Cùm de mandatorum Dei, & præsertim eorum quæ Decalogo continentur, obseruatione, sermo apud eum fieret; *Hæc*, ait, *verè sunt vectigalia magno Regi debita: quæ, qui non persoluit, malè multatur.* S. Doroth. doctr. 1.

SABA ABBAS.

Vide GRATITVDO.

S. MARIA MATER DEI.

GABRIEL ARCHANGELVS.

SI communis omnium parens Terra, recepti seminis debitum liberali vsura suo domino refundit: quanto æquius est, vt, si ne minimam debiti portionem, quo magnæ VIRGINI magnæ DEI MATRI obstringimur, refundere possimus, grato saltem animo eius laudes dignis præconiis celebremus.

mus. Quod cùm inter homines nemo primus aggredi præſumpſerit, non inconueniens erit, ſi etiam à primo eoque maximo earumdem præcone exordiar. Salutem humani generis operaturus eiuſdem auctor & princeps Deus, prædeſtinata reparationi huic ſuæ pietatis remedia (quæ inter ipſa mũdi primordia prędignauerat) interueniente Angelicâ legatione, MARIÆ VIRGINI denuntiauit. vtpote quæ ſemen illud productura erat, quod ſerpentini capitis elationem ſuâ virtute contereret. Ingreſſus itaq; ad eam magnus ille heros, ſolam ſine comite, ſolam ſine teſte, cæleſtibus dumtaxat contemplationibus intentam, hoc præconio ſalutat: *Aue gratia plena, Dominus tecum: benedicta tu in mulieribus.* Cuius dicti ſplendorem quis non videt? dum cæleſtibus donis non ornata tantùm, ſed repleta, imò exundans, eorumque largitori præſens, & ſola, præ aliis ſui ſexus benedicta, idque per Angelum, ſalutatur. Huius autem ſalutationis ſenſum Sanazarius Poëta clariſſimus eleganter expreſſit his verſibus:

———Oculis ſalue lux debita noſtris,
Iampridem notum cælo iubar, optima Virgo:
Cui ſeſe tot dona, tot explicuêre merenti
Diuitiæ ſuperûm: quidquid rectique probique
Æternâ de mente fluit: puriſſima quidquid
Ad terras ſummo veniens Sapientia cælo
Fert ſecum, & plenis exundans gratia riuis.

S. ELIZABETH.

Neque ſatis erat, ſi vno præcone Theſaurus hic mundo innoteſceret, alium inſuper ſuſcitauit immẽſa illa Dei maieſtas; ELIZABETHAM. Cùm namque ad eam VIRGO pergeret, vt ſalutationis Angelicæ redderet participem, vbi limen domus tetigit,

& virginei oris claustra dissoluit; diuino repleta Spiritu ELIZABETH, voce magna dixit: *Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui.* Eâdem autem voce ab ELIZABETHA, qua à Gabriele benedicitur; quatenus, inquit Beda, & Angelis & hominibus veneranda monstretur. Ibid.

DIONYSIVS AREOPAGITA.

At veniant antiqui illi Poëtæ, & multo verborum fuco depingant pulchritudinem Narcisci, Medusæ, Deianiræ; Nympharum venustatem admirentur: accedant Hebræi cum illis, quos Sacræ litteræ à corporis formâ extollunt. Nihil profectò omnes illi, in comparatione huius Virginis: quam non interno solùm, verùm externo etiam splendore & pulchritudine decorauerat magnus ille Plastes. Hinc DIONYSIVM Philosophum ferunt, fidei principiis per doctrinam Pauli Apostoli imbutum, motum famâ intemeratæ VIRGINIS, eius videndi tactum desiderio: cumque Hierosolymam perrexisset, eiusque vultum intueretur, primùm quasi hæsisse attonitum; & recepto spiritu, dixisse: *Nisi crederem in filium tuum, de quo mihi per Paulum annuntiatum est; tuis plantis prouolutus, vnum te diuinæ maiestatis insigne adorarem. Et nisi fides suaderet, haud crederem in orbis auctorem Deum te pulchriorem.* Verùm ille incomprehensibile lumen inhabitat, à quo hęc Virgo, velut radius ad nos destinata est, vt illuminaret eos, quos prima mulier cæcos pepererat. Refert Bernar. de Busto in Mariali, part. 2. Serm. 4. de Natiuit. Virg. & alij.

S. HVGO LINCOLNIEN. EPISCOPVS.

At velut inter ignes Luna minores promicat, ita hæc inter omnes sui sexus: vtpote à qua splendorem

rem hauriunt & dignitatem. Quare piè admodum & ſapienter S. HVGO, *Satis*, dicebat, *à famineo ſexu diligi Deus promeruit, cùm naſci de fæmina dignatus eſt. Nam cùm viro conceſſum non ſit, vt vel dicatur, vel ſit pater Dei; hoc tamen præſtitum fæminæ, vt ſit mater Dei.* Sur. tom.6. in Vita cap. 13.

ABBAS THEODORVS ÆLIOTAS.

Si ergo tanto gratiarum cumulo in terris fuerit decorata Virgo ſanctiſſima, quantâ gloriâ exiſtimandum eſt adornatam eſſe in cælis, vbi læta contemplatur auctorem & ſponſum ſuum, apud quem ſedula pro nobis in hoc exilio relictis intercedit. Quare cùm iucundo eius aſpectu priuemur, piè admodum eam in expreſſa imagine veneratur Eccleſia, eiuſque per id iugem & viuam memoriam ſeruat. Vnde refert Damaſcenus, Monachum fuiſſe in monte Oliuarum: qui, cùm à fornicationis ſpiritu acriter infeſtaretur; à dęmone, ſe in forma humana conſpiciendum exhibente, intellexit non ſe liberandum ab oppugnatore ſpiritu, niſi imaginem quam cellulæ affixerat (erat autem Virginis Chriſtum geſtantis) venerari ceſſaret. quod cùm ad THEODORVM ÆLIOTAM retuliſſet; ille protinus: *Satiùs tibi, vt nullum ſit in vrbe proſtibulum quod non ingrediaris, quàm vt matrem Domini noſtri adoraturum te neges.* Sciebat Virginis cultor eximius, nihil roganti matri à filio, fideli ancillę à Domino, Virgini ſponſæ à ſuo ſponſo denegari. Damaſcenus lib. 1. de Imag. & Pratum Spirituale.

S. GREGORIVS MAGNVS.

Quo tempore ſęua peſtis Romanam vrbem olim miſerè affligebat, GREGORIVS PONT. religioſam in die Reſurrectionis ſupplicationem inſtituit, in

qua DEIPARÆ imago, à D. Luca ad viuum expressa, in publicum efferretur. Et ecce piam circumgestationem præsenti miraculo Virginis filius cõprobat. quacumque enim imago deferebatur, pestilentis cæli grauitas depulsa, & optata salubritas consecuta est. Omnibus autem Deo gratulantibus, Angelus hac voce Virginem alloqui visus: Regina cęli lętare, alleluia : quia quem meruisti portare, alleluia: resurrexit sicut dixit, alleluia. Quam orationem simul ac GREGORIVS coràm audiuit, diuino Spiritu excitatus, eamdem in hunc modum cõpleuit: *Ora pro nobis Deum, alleluia.* Nos etiam te ô clemens, ô pia deprecamur : & vt vrbium Principem pestis laqueo exuisti, ita nos vitiis illigatos solue. Canisius cap. 22. Sigonius lib. De regno Italiæ.

S. WERNHERVS PVER.

Hoc in Pontifice, istud in puero non minùs illustre exemplum. Cùm Iudæi WERNHERVM PVERVM, quòd Christianus esset, miris modis discruciarent, & Vesaliensis Iudex, sui muneris oblitus, se per summum scelus ab æquitate & iustitia abduci pateretur; dum suas preces negligi PVER videret, *Si tu mihi*, inquit, *opitulari non vis, opem mihi ferat benignus Deus, & sactissima Mater eius.* Ferat, ferat! nam

Altera iam bello ciuili voluitur ætas,
Suisque Belga viribus
Interit, ac toti debet ludibria mundo:
Heu triste fatum! quis modus
Et quis finis erit? Finis, si turbida vita,
Emancipata crimini,
Mundatur, si vindicat hanc sibi mascula virtus.
Tu Diua conantes iuua.

Lippell. tom. 2. de Sanct. mens. April.

IOAN-

Ioannes Sampenoivs.

Longum foret oratione complecti, quàm admiranda olim per ſuam Matrem operatus ſit vnigenitus Dei filius in illis, qui eam puro affectu venerantur. Perge itaque calame, maiori quodam ore effer, quæ noſtra hæc ætas ſenſit & vidit. Tu Diva, manum & mentem moue. Erant Auennæ (Hannoniæ opidum) furti & rapinarum accuſati duo: fatentur culpam in tormẽtis, & ſimul falsò Ioannem Sampenoivm, cum quo aliquantum itineris confecerant, furti arguunt & cædis. Prętor nihil ambigere, eumque, quò alios, in vincula & immeritam crucem adigere: & tamen quia ſe innoxium proclamabat, populum hortari vt Miſſę ſacrificio interſint, in gratiam veniamque criminum iam iam morituri. At Ioannes, *Imò potiùs, ô Prætor*, ait, *Dominicam orationem & Angelicam ſalutationem ſinguli recitent, honori B. Virginis Hallenſis*, (quo Hannoniæ loco, ſumma veneratione viſitur Deiparæ ſtatua crebris miraculis illuſtris) *ad quam ibam. Et quoniam in innocentiâ parum præſidij eſt, ad illam appello, ea me tueatur.* Poſt dicta, carnifex hominem cruci applicat, ſcalis deiicit, & funem ſtringit. At viuit ille, donec omnibus demirantibus ſuperuenit Ioan. Sellius, virtute & ſtirpe nobilis, qui innoxium hominem ſibi, aut potiùs B. Virgini, cuius monitu eò venerat, donari rogat: & viuum ac illæſum impetrat. I. Lipſ. de Diua Hallenſi, cap. 22.

Ioannes cacvla militaris.

Adiiciamus quod iam pridem euenit. Orta ſeditione inter milites, qui Weerdtæ Campiniæ opidulo præerant cuſtodes, Ioannes gente Lucemburgius, cacvla militaris, falsò furti arguitur. Crux

ilicò ſtatuitur, & iuxta eam, omnium voce nocens. Ille ſe fruſtrà purgare, mentemq́ue & lumina attollere & inclamare: *Tu cæli Regina, innocentûm vindex, quæ in Hallenſi opido cultum & ædem tenes, me innocẽtem tuere,* Dixerat. At nil moratus tortor, eum cruci ſiſtit & adſtringit. pendebat à duplici fune. at alter rumpitur, alter idem minatur: donec eum vnus militum gladio ſecat. Ibid. cap. 31.

VIRGO ANONYMA.

Vide SANCTORVM INVOCATIO.

MVLIER ANONYMA.

Properantem adhuc tenet PAVPERCVLA quædam, religioſa tamen & pia in piam hanc Matrem. Cùm namque prope Laniacum in æde Virgini ſacra preces funderet, factum, vt cæleſtis ignis ei naſum mentumq́ue auferret. Illa domum redit ocyùs, lachrymatur, clamat; *Hei mihi*, inquiens, *mater miſericordiæ omnes excipit, nullum ſua æde expellit, me ſolam præter: Deus qui factus es filius fæminæ, ſana me precor per fæminam matrem tuam.* Dixit, & priſtinam membrorum integritatem recepit. Ex Chronic. Anſelmi Abbat. Gemblac. manuſcr. quæ ſuppeditauit Aub. Miræus Canon. Antuerp. qui nunc ea ipſa tenebris eruit, & luce donauit.

MARITVS.

VXOR PHILONIS IVDÆI.

VIri in vxorẽ imperium, veluti animi in corpus eſſe oportere, olim dicebat Plutarchus: eamdemq́ue in illis, veluti in his, naturę cõiunctionem. Ac veluti huius ornamentum eſt animus, ita illius vir. Teſtata hoc præclaro ac memorabili teſtimonio PHI-

PHILONIS CONIVX: quæ interrogata, cur non vt mulierum genus monilibus compta & vestium varietate ornata incederet, prudenter & supra mulierem respondebat: *Potissimum pudicæ vxoris ornamentum, vir bonus & sapiens*. Non minùs sanè eleganter, quàm illa Phocionis Probi: cui semper in ore, *Meus mundus sunt præclara gesta mariti*. Æmulamini has ô matronæ; quæ spretis his ornamentis, de quibus verè vobis gloriandum, vanis & ad pompam dumtaxat exteriorem destinatis lenociniis inhæretis. Anton. Serm. de muliere forti.

EVGENIA PHILIPPI FILIA.

Vide CONIVGIVM, & BONVS VIR.

FÆMINA ANONYMA.

Pauperis vxor erat, sed honesti ciuis: ad illam
Vestibus & gemmis splendida venit Anus;
Cuius sacrilega ditatus fraude maritus,
Turpiter immensas accumularat opes.
Hæc ait, En quantum sum diuite splendida cultu,
Tu quid inops inopis coniugis vxor habes?
Opportuna dedit verbis responsa modestis
Pauper honorato FÆMINA *iuncta seni:*
Te decorant Tyriæ vestes gemmæque nitentes,
Fama boni decorat me sed honesta viri.
Ex Epigramm. Sabini.

MARTYRIVM.

S. PAVLVS APOSTOLVS.

NOn ita recenti pluuiâ rigatum semen incrementum sumit, veluti recenti MARTYRVM sanguine conspersa, sese erexit ac dilatauit Ecclesia. vt verè Martyrum sanguinem, semen Christiano-

rum nuncuparit Tertull. nec falsò cecinerit quidã:

Sanguine mundata est Ecclesia, sanguine cœpit,
Sanguine succreuit, sanguine finis erit.

Quod intuiti viri sancti, nihili duxerunt pro nomine IESV calamitatum mole opprimi. Ita PAVLVS, cùm monerent eum ceteri Apostoli ne ascenderet Ierosolymam, eò quòd graues eum persecutiones manerent, respondit: *Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego enim non solùm alligari, sed & mori in Ierusalem paratus sum, propter nomen Domini Iesu.* Act. cap. 21.

S. ROMANVS.

At ROMANVS quantùm eodem igne correptus? Lictori ceruicem iam præbebat abscindendam, & ecce nuntius qui Iuliani Imp. litteras defert, quibus ROMANVS manumittitur. An expectatis exultantis animi indicia? Minimè: sed inexpectatum nuntium molestiùs ferens, *Haud dignus*, exclamat, *erat Romanus, quem Christus haberet martyrem.* Theod. lib. 3. Hist. Eccl. cap. 16.

S. DOMINICVS.

Quid autem iste? Sicariis hæreticis sibi mortem minitantibus; *Nondum*, inquit, *martyrij gloria dignus sum: vtinam dignus aliquando euadam!* In Vita eiusdem.

S. CALLOPIVS.

Nec minùs hoc desiderio pro Christo quæuis patiendi tenebatur CALLOPIVS. cui dum pœnarum ac tormentorum quoduis genus obiiceret Tyrannus, alacri voce, vultuque; *Hoc*, inquit, *tota auiditate concupisco. Quanto me grauioribus exercueris tormentis, tanto splendidiorem mihi coronam contexes.* Sur. in Vita.

S. BA-

S. BASILIVS.

Æquali ardore ſuccenſus hic, cùm ad Valentis tribunal iudicandus duceretur, mortemq́ue minitaretur Præſes; *Vtinam*, ait, *id mihi contingat, vt pro veritate vitam effundam!* Et ecce dierum aliquot inducias maturæ deliberationi permittit: at, *Ego*, inquit BASILIVS, *cras idem ero, qui hodie: vtinam tu quoque idem!* Socrat. lib. 4. cap. 21.

S. ROMANVS MILES.

Alius à priore iſto, ſed verè etiam hoc facto dictoq́ue ROMANVS. Dum enim plumbatis & equuleo tortus cæderetur, fuerunt qui molliùs cum eo agendum dicerent, quòd nobili eſſet genere oriundus. Quibus ille: *Nequaquam nobilitatis nomine mihi parcite. Abſit vt me nobilem ſanguis parentum præſtet, aut lex curiæ: generoſa Christi ſecta eſt, quæ nobilitat viros.* Prud. in Hymno.

S. LVCIVS ALEXANDER.

Et hunc tacitus ſilebo? En, dum liberè redarguit Vrbicium, quòd Ptolomæum Chriſtianum indictâ causâ condemnaſſet, ad ſupplicium raptus, clamabat; *Hac ratione à malis dominis me liberandum ſcitote, & ad bonum patrem ac regem proficiſci.* Euſeb. lib. 4. cap. 17. & Iuſtin. in Apolog.

F. IOAN. FORESTVS.

Finem facerem, niſi me vnus FORESTVS teneret, quem priori ſæculo fortiter occumbẽtem vidit Anglia, & inuidit. Flammis adiudicatus, quòd Henrici iniuſtis decretis acquieſcere recuſaret, condolenti ſibi Catharinæ Aragoniæ Reginæ, cui fuerat à confeſſionibus, reſpondit rogauitq́ue: *Quæſo continuis precibus inſtantem meum agonem & certamen ſubleuate. Quo facto, nolim de conſtantia dubites. Parum*

enim decet hos canos meos, istis puerorum terriculamentis in causa Dei moueri: & virum qui 60. iam & quattuor annis vixi, mortem turpiter formidare: ac religiosum Franciscano habitu 43. annis discentem & docentem terrena contemnere, non amare, & quouis conatu adspirare ad cælestia. Sanderus lib. 1. de Schism. Anglic.

S. AGATHA.

Ad fæminas transeo: sed quantus hîc etiam dicendi campus aperitur! Vna AGATHA exemplo sit & experimento. Minabatur extrema Quintianus Siciliæ Proconsul, ni Idolis immolaret. at illa, *Deo*, inquit, *non Dæmoni sacrifico.* Equuleo subiicitur, cæditur, torquetur. an eiulatus ad quos pronus ille sexus, emissos desideras? Nequaquam: sed, *Quantum*, inquiebat, *hisce pœnis oblector! Sicuti enim triticum non reconditur in horreum, nisi tritura ventilationeque purgatum: ita scio me ad patientiæ præmia minimè peruenturam, nisi suppliciis purgatam.* O verum Euangelici frumenti granum; quod priùs in terra emortuum, fructum centuplum attulit! Sur. tom. 1. in Vita.

MVLIER ANONYMA

Digna item quæ cum ceteris collata, splendoris sui radios hîc etiam emittat. Edessæ in Mesopotamia Valentis decreto cautum erat, ne quis ad Basilicam die postero accurrere præsumeret, nisi & eâ & vita simul cedere vellet. Taceo quid à viris eâ tempestate præstitũ: certè MVLIER orthodoxa, natum manu trahens, citato cursu, ad dictam Basilicam properat. Indignatus Præfectus, eam duci ad se iubet. Et quid, inquit, mulier tam indecenti gressu curris? ánne decreti nostri es conscia? omnes videlicet

delicet neci dandos, qui in illa Basilica reperientur. *Et hoc est*, respondit illa, *quod me euocat; hæc properationis causa, vt etiam inter eos inueniar.* At quò paruulum trahis? instat. Illa, *Eodem*, ait, *vt & ille martyrij fiat particeps.* Maluit certè pia MVLIER mortẽ cũ prole pro Christo oppetere, Deoq; iuge cum Abrahamo sacrificium offerre, quàm se impiis Præfecti legibus submittere. Hist. Trip. lib. 7. cap. 32.

S. THEODORA VIRGO ET MARTYR.

Require Apophthegmata de ANIMI FORTITVDINE, & FIDE ERGA DEVM.

MATRIMONIVM.

IESVS CHRISTVS.

HOnorabile CONNVBIVM à Deo in Paradiso institutum, sine quo humana societas consistere diu nequit, breui compendio perstringimus. Cuius bonum paucis insinuauit CHRISTVS DOMINVS, dum Pharisæis calumniandi animo accedentibus, rogantibusque multa de libello repudij à Moyse concessi, Matrimonium ad primam institutionem reuocasset. dicebat enim: *Quod Deus coniunxit, homo nõ separet.* distinctè matrimonialis vinculi indissolubilitatem pronuntians. Mat. c. 19.

IDEM

Cùm plurima de Matrimonij nexu dixisset, Discipuli quasi stupefacti; *Si ita est*, inquiunt, *causa hominis cum vxore, non expedit nubere.* Qui respondit eis; *Non omnes capiunt*, id est approbant & admittunt, *verbum istud; sed quibus datum est*: scilicet, speciali gratiæ dono. Benè Hieron. lib. De viduis: Copula nuptialis non est quasi copula vitanda, sed quasi

quasi necessitatis sarcina declinanda. Nam, vt Theodectus, Similes sunt senectus & nuptiæ: vtraque enim consequi desideramus: postquam verò nacti fuerimus, tristamur. Matth. cap. 9.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Huic aliquando in ore: *Tum demum matrimonia tranquillè exigentur, si vir surdus, vxor cæca sit.* Significabat autem, plerasque rixas quæ in hoc statu interueniunt, excitari potissimùm ex zelotypiâ coniugum. quorum si hic surdus foret, ne alterius profusam garrulitatem audiret; illa cæca, ne mariti intemperantiam videret; non tam frequens etiam foret querelarum ansa. Panorm. de Dict. eiusd.

MARIANVS SOZINVS.

Et quia is qui cum vxore est, iuxta Apostolum, solicitus est quomodo placeat vxori, & diuisus est: ideò rogatus MARIANVS, vir alioquin eruditus, cur minùs post coniugium, quàm ante illud, libris litterisque incumberet; respondit: *Quia vxorem duxi.* dicentique: Etiam Socrates vxoratus erat, cur non & ille Philosophiæ studia aspernatus? *Xantippe*, ait, *morosa erat, & deformis; mea autem proba est, & forma decenti.* Æneas Sylu. de Dict. Sigism. & Frederici Imp.

ANONYMVS.

Hinc benè quidam, inquirenti an viro sapienti ducẽda foret vxor, respõso hoc satisfecit, inquiens: *Si pulchra, si benè morata, si honestis parentibus, quid obstaret?* At quia hæc rara auis, sapienti ducenda vix erit. nam, vt Varro in Menippæa,

Vitium coniugis aut tollendum est, aut ferendum. Auct. Serm. memor.

ANO-

ANONYMVS.

Duxerat hic vxorem ſine vllâ omnino dote, cùm tamen honeſtiores & opulentiores matronæ ſe crebriùs offerrent. Roganti verò, cur his ſpretis, illam in coniugem acciperet; *Ne, inquit, dotium freno conſtrictus, vxori meæ nupſiſſe ego videar: & ita contra Apoſtoli doctrinam viri caput fiat mulier.* Sed quantùm hoc æuo ille morbus inualuit, quas non radices egit? Pulchrè ſimul & facetè Martialis, lib. 8. ad Priſcam:

Vxorem quare locupletem ducere nolim,
Quæritis? Vxori nubere nolo meæ.
Inferior matrona ſuo ſit, Priſce, marito:
Non aliter fiunt fœmina virque pares.

Vt verò inſinuet quænam tandem vxor ducenda, ita ad Flaccum loquitur:

Qualem Flacce velim, quæris, nolímve puellam?
Nolo nimis facilem, difficilemq; nimis.
Illud quod medium eſt, atq; inter vtrũq; probatur,
Nec volo quod cruciat, nec volo quod ſatiat.

Ioan. Petroſius in Serm. conuiual.

MEDICINA.

IESVS CHRISTVS.

MEDICINA, quam Altiſſimus de terra creauit, quamq́ue vir prudens non abhorrebit, inueſtiganda. Eius enim neceſſitatem commendant Sacræ litteræ, & in iis humani generis verus Medicus & reformator CHRISTVS: qui, cauillantibus Phariſæis, quòd ad Matthæum ingreſſus eſſet; hac ſimilitudine vſus, ait: *Non eſt opus valentibus Medicus, ſed malè habentibus.* Matth. cap. 9.

PIVS

PIVS II. PONT.

Inciderat apud eum ſermo de imperitis medicis & ſacerdotibus : qui inter eos diſcrimen aſſignans, *Imperiti*,aiebat,*medici corporis dumtaxat; ſed ſacerdotes indocti, animæ interfectores ſunt*. Vide vtrumuis è duobus elegeris. Auct. Serm. memor.

IDEM

Vt erat in dicendo mirè facetus, dicere quandoque ſolebat: *Peccare exiſtimo medicos, quòd ab ægris ſtipendium accipiant, qui malint eis carere: at potiori ratione à ſanis accipiendum,ne illis vti compellantur.* Vnde quidam non illepidè de Medicis ita luſit:

Accipit oblatum Medicus, dare non ſolet aurum:
Pharmaca dat Medicus,non ſolet accipere.

Ordonner *Medicos, ægros* or donner *oportet:*
Alterius ſic res altera poſcit opem.

Corozet. de Dict. Fact. memorab.

ADRIANVS VI. PONT.

Dum inter domeſticos hæc quæſtio ventilaretur, expedirétne Reipub. eſſe medicos : ac varij varia dicerent, nonnulli etiam negantem partem amplecterentur,eò quòd Roma eorum ope 600.annis caruiſſet aliquando: ille ſubridens, *Imò*,ait,*expedit eos eſſe : ne tandem ipſe mundus ab inhabitantibus opprimatur, qui aliàs nimis magno numero futuri*. Significabat autem praxim medicinæ, priuſquam ad vnguem caſtigata ſit, euidenti multorum periculo exerceri. Floreſta in Dict. memor.

MAXÆMILIANVS IMPERATOR.

Detinebatur hic graui morbo, & ecce vndique accurrunt Medici,rem,vt videbatur,magnā acturi. Ille meliuſculè ſe ſentiens, ſingulos ſeorſim introduci ad ſe mandat. quos omnes hac voce compellabat;

labat; *Medice quot?* mirantur omnes, & vocem faucibus detinent; donec tandem introgressus quidam experientiâ & doctrina clarior ceteris, Imperatori roganti, *Quot?* respondit; *Tua pace dixerim Cæsar, innumeros.* Ridet IMPERAT. tam liberã confessionem, inquiens: *Ingenua confessio te medicum Cæsareum fecit: sed tu porrò experimentis per mortes abstine, iuuentis ex fide vtere.* Theatr. Vitæ humanæ.

IOVIANVS PONTANVS.

Ille item vt erat Alphonso Regi à secretis, vnico dumtaxat cibi genere vtebatur. rogatus, cur id ageret; *Vt sic,* inquit, *medicorum manus effugiam.* Legerat fortassis illud Hippocratis, Diuersitate ciborum nihil nocentius. Hadr. Barlan.

MEDIOCRITAS.

ALPHONSVS REX ARAG.

MEDIOCRITATEM, quam meritò auream dixit Horatius, sectamur: sine quâ nemo sapiens habendus, nemo virtutibus, quarum hęc custos, pręditus censendus erit. quod memorabili dicto demonstrauit ALPHONSVS: dicebat enim: *Optimum fore & peroptandum, si voluntas nostra inter amorem & metum media intercederet: vt quantum amor ad excessum, tantum metus pelleret ad defectum.* Sentiebat autem hominum actiones mediâ volũtate temperandas. Panor. lib. 4. de Gest. eiusd.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Dabis veniam Illustrissime Præsul, si Alphonsum tibi extra ordinem præponam. Tu etiam huius virtutis non laudator tantùm, sed & sectator, dicere

soli-

ſolitus; *Virtus ſine modo fit vitium.* Hinc cùm filias Archidami donaſſet pretioſis veſtibus Dionyſius, noluit pater eas induerent, ne turpiores apparerent. Benè ergo ſuum Licinium hortatur Horatius:

Rectiùs viues Licini, neque altum
Semper vrgendo, neque dum procellas
Cautus horreſcis, nimium premendo
Littus iniquum.

MEMORIA.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

RErum magiſtra & Muſarum parens MEMORIA in proſcenium quoque educenda. de quâ præclarè aliquando locutum Illuſtriſſ. Cardinalem ALDOBRANDINVM legimus. Rogabatur, quænam eſſet *optima Sapientiæ ſchola*; *Memoria*, reſpondit. addens, *Eſtque hæc non magiſtra modò, ſed & mater veteribus conſtituta Muſarum.* Henr. Farneſ. Apophth. de Princ.

IDEM.

Quantus verò Memoriæ defectus in addiſcente ſit, eiuſdem ſententia probat. Sciſcitanti namque, qualis in addiſcente deberet eſſe Memoria; *Quale*, inquiebat, *in Apollinis ſimulachro olim erat tricipitium.* Vnum enim erat lupi, ob rapacitatem: leonis alterum, ad tenacitatem: tertium canis, ad fidelitatem. Eam ergo memoriam requirebat, quæ ſua rapacitate omnia deuoraret, eademque firma tenacitate retineret, & ſibi fidentem non falleret. Ibid.

IDEM

Interrogatus etiam, quémnam è veteribus vt maximè ad litterarum ſtudia idoneum reputaret; *Hortenſium*,

tensium, respondit. ille enim (Cicerone teste) in tantum valuit memoria, vt, quæ secum pluribus egisset, sine scripto, verbis iisdem redderet. Ibid.

IDEM.

Cùm insuper de memoriæ præstantia sermo fieret, & hic Mithridatis regis (qui duarum & viginti gentium linguas calluit) ille Themistoclis aut Cyri (quorum prior nō poterat obliuisci quorum nollet; posterior, totius exercitus nomina singulatim referebat) memoriam laudaret; *At ego*, inquit, *eam memoriam probo, qua quis sui numquam obliuiscitur.* Præclarum profectò, & tam illustri pectore dignum Apophthegma. Ibid.

MERCEDIS CONTEMPTVS.

S. HILARION.

QVamuis naturâ duce cuilibet bono operi sua debeatur merces, eam tamen charitatis intuitu crebriùs recusarunt in terris viri sancti, quo ampliorem magisque securam in cælis pręparatam reperirent. Vnde HILARION, Orioni sibi dona offerenti, quòd dæmonum phalange eum liberasset, dicebat: *Non legisti, quid Giezi, quid Simon, passi?* cumque Orion flens diceret: Accipe in vsus pauperum. respondit: *Tu id rectiùs præstiteris, qui vrbem indies obambulas: ego qui reliqui mea, cur appetam aliena?* Hieron. in Vita.

IDEM.

Ita in Sicilia cuidam sibi auri pondus danti, quòd graui eum morbo curasset, depromebat eam Domini sui vocem: *Gratis accepistis, gratis date.* Ibidem, cap. 14.

S. LEONARDVS.

Pari constantia iste, oblatam à Regina Galliæ mercedem, quòd eam precibus difficili partu liberasset, renuit: offerentique Regi, *Nequaquam*, ait, *illis mihi opus. nihil enim defuturum est ei, qui omnium opifici libenter seruit. cùm ipsa Veritas dicat, Quærite primùm regnum Dei.* Iac. Ianuens.

S. MARTINVS EPISCOPVS.

Et hic Leontij cuiusdam familiam contagioso morbo, diuinâ adiutus ope, liberarat. qui, cùm pro beneficio centum argenti libras rependeret, recusauit accipere. quare indignati comites. Ad quos MARTINVS, *Nos*, inquit, *Ecclesia & pascat & vestiat: dummodò nihil vsibus nostris quæsisse videamur.* Sulpit. in Vita.

MILES, MILITIA.

ALEXANDER SEVERVS.

Diuitiarum non esse securam possessionem, nisi armorum defensione seruetur, auctor est Vegetius. Quare vigilantissimus Imp. SEVERVS cautè prouidebat, ne vnquam suo stipendio MILITES fraudarentur. Dicebat enim: *Miles non timet nisi vestitus, armatus, calceatus, & satur, ac aliquid habens in zona.* Sentiebat militem, cùm aliquid habet, metuere ne perdat: mendicitas namque in desperationem redigit armatum. Æl. Lamprid.

D. LVDOVICVS FRANC. REX.

Vide Apophth. de ADMONITIONE.

CAROLVS V. IMP.

Ille *tres rerum neruos* dicebat, *Pecuniam, Commea-*

meatum, & *Militem*. E quibus ſi vnus eligendus: *Malim*, inquiebat, *veteranum militem. eius namque promptitudine quæuis ab hoſte impetrabimus.* In Vita eiuſd.

MINÆ.

FREDERICVS II. IMP.

QVemadmodum quod ſine fulmine erumpit tonitru, quamuis aliquem terrorem incutiat, periculo vacat: ita quorumdam imbelles MINÆ. Sentiebat id FREDERICVS ROGERIVS; qui, vt erat totus Martialis & acer, nihil minoris æſtimabat, quàm imbelles quorumdam comminationes. cumque ad eum horum aut illorum Principum minæ dicteriáve deferrentur; *Minarum*, dicebat, *ſtrepitus, aſinorum crepitus.* Nicol. Reuſn.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Viro autem forti nihil derogare minantis auctoritatem, ſuo dicto aſſerebat iſte. erat autem tale: *Vir fortis adamanti perſimilis, qui neque ferro infringi, neque igne abſumi poteſt.* Ita Leonidas Perſæ cuidã minitanti, quòd Lacedęmonij die poſtero ex telorum imbre ſolem viſuri non eſſent, In vmbra igitur, reſpondit, commodè pugnabimus. Henr. Farneſ. in Apophth. de Principe.

MIRACVLVM.

IESVS CHRISTVS.

SI inuiſibilia Dei per ea quæ facta ſunt conſpiciantur; multo ampliùs ea ipſa elucere dicenda erunt, in iis quæ illuſtriora & magis admiranda.

Ita cùm de Nathanaële dixiſſet CHRISTVS, eum verum Iſraëlitam; deinde quòd ſub ficu eum vidiſſet dum à Philippo vocaretur; & diceret Nathanaël, Rabbi tu es Filius Dei, tu es Rex Iſraël: reſpondit; *Quia dixi tibi, Vidi te ſub ficu, credis: maius videbis.* ſcilicet, vt magis & firmiùs credas. Sunt enim miracula ſigna non fidelium, ſed infidelium. Ioan. cap. 1.

IDEM.

At non ſemper oportunum tempus edendi miracula. Dicebat enim IESVS, deficiente in Cana Galilææ vino, ac monente matre, Vinum non habent: *Quid mihi, & tibi eſt mulier? nondum venit hora mea.* Quaſi dicat, Tẽpus miracula operãdi, & per ea meipſum mundo manifeſtandi nondum adeſt. Aderat autem, cùm iam omnibus de vini inopia conſtaret. vt aduertit Ianſen. in Concord. cap. 18. Ioan. c. 2.

IDEM.

Neque ſolùm admiranda CHRISTI opera eum ab inſania dæmonioque, quod habere eum obiiciebant, vindicarunt; ſed & verum Meſſiam à ſæculis promiſſum fuiſſe teſtata ſunt. Cum enim Hieroſolymis ambularet in porticu Salomonis, eumq; circumdediſſent Iudæi, requirentes, Quouſque animam noſtram tollis? ſi tu es Chriſtus, dic nobis palàm. reſpondit: *Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Ioan. cap. 10.

IVDÆI EVANGELICI.

Vera autem miracula veram etiam diuinitatem arguere, palàm teſtati Iudæorum quidam præ ceteris benigniores. Poſtquam enim cæcum à natiuitate ſanaſſet Ieſus, ſeque bonum Paſtorem dixiſſet, ortum

tum inter Iudæos diſſidium. quorum alij dicebant, Dęmonium habet,& inſanit: quid eum auditis? alij verò ſanioris mentis: *Hæc verba non ſunt dæmonium habentis. numquid dæmonium poteſt cæcorum oculos aperire?* Ioan. cap. 10.

ANONYMVS.

Vide CHRISTI POTENTIA, *&* NOMEN.

MISERICORDIA.

Vide CLEMENTIA, ELEEMOSYNA, PAVPERVM CVRA, *&c.*

MODESTIA.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

MOdum in rebus eſſe, & certos fines, auctor eſt Horatius;& poſt eum, idem teſtatus ALPHONSVS: quem cùm Lucas vir diſertiſſimus,graui Oratione laudaſſet,hoc ab eo reſponſum accepit: *Si vera ſint quæ de me prædicas,Deo gratias ago : ſin aliter ſe habeant, vt vera aliquando ſint,rogo.* Panorm. lib. 1. de Geſt. Alphon.

IDEM.

Infectâ in quâ verſabatur vrbe ſanguinis profluuio, iaſpidem quem ſecum ferre ſolitus, ad mulierem quamdam eo morbo laborantem miſit.quę vbi ſanitatem recepit, venit gratias actura; quodque iaſpidem ſiniſtrò caſu perdidiſſet, inſinuat. veniam Rex daret. Increpant eam Proceres, & ingratitudinis meritò arguunt. At ALPHONSVS nihil mutato vultu, ſumma cum MODESTIA; *Matrona,*inquit, *ij qui paruam ſuæ valetudinis curam habent, mirantur ſi tu vt valere poſſis, lapidem retinuiſti.* O prædican-

dicandam cum humanitate coniunctam MODESTIAM. Bapt. Fulgos. lib. 5.

Require Apophth. de MEDIOCRITATE, *&* COGNITIONE SVI.

MONACHVS.

S. ANTONIVS EREMITA.

QVod olim à sanctis illis Eremi cultoribus MONACHORVM nomen deriuatum sciret magnus ille solitudinis amator ANTONIVS; commissis sibi fratribus dicere solebat: *Quod piscis in arido, hoc Monachus in opido.* proprium Monachorum (si tales re, vt nomine sint) domicilium locúmve, claustrum ac solitudinem reputans. Niceph. lib. 8. c. 4. Hist. Eccles.

ELIAS ABBAS.

Vide ADMONITIO.

S. HVGO EPISC. LINCOLNIENS.

Neque minùs nobile HVGONIS ANTISTITIS dictum. Inita pace inter Franciæ & Angliæ reges, domum Arueriam Carthusiani instituti venit. Rogatus autem de pacis conciliatæ conditionibus, respondit: *Rumores audire & referre, etsi Episcopis licet; Monachis tamen non licet.* Dictum non solùm hauriendum auribus, sed verè etiam insculpēdum inscribendumque eorum animis. Surius tom. 6. in Vita.

S. LAVRENTIVS PATRIARCHA VEN.

Æquè laudabile illud LAVRENTII PATRIARCHÆ: qui, *Tribus Monacho est opus*, aiebat, *desiderio, moderatione, & gratia: vbi enim horū aliquid deest, ibi perseuerantia esse non potest.* Sur. to. 1. in Vita.

S. ÆGI-

S. ÆGIDIVS.

Quodam illum consulente, num relicta mundi vanitate satius esset se Deo in monasterio consecrare; respondit: *Si extremâ inopiâ laborans, reconditum quis thesaurum in agro sciret; putásne requisiturum ab aliquo, an eum effodere deberet?* Quo dicto insinuauit, multo ampliùs nobis properandum ad ea loca, in quibus æternæ salutis thesaurus. Sur. tom. 2. in Vita.

BALDERICHVS EPISC. SPIRENSIS.

At non omittendum quod de BALDERICHO asserit Bruschius. In Episcopum enim Spirensem ob raras ingenij dotes, &

Compositum ius fasque animi, sanctosq; recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto,

à clero & populo, ex monasterio Hirsauiensi, in quo B. Augustini regulam vouerat, adscitus, summo conatu restitit: adiiciens nobilem illam sententiam: *Ex quo in Cœnobium me contuli, fastui Principum mundique pompæ valedixi.* Verùm nihil excusatio profuit. inuitus enim ad Episcopatum pertractus, à reprehensione immunem & planè monasticam vitam in eo egit.

ADOLPHVS HOLSATIÆ COMES.

Admirandum etiam monasticæ humilitatis exemplum præbuit ADOLPHVS HOLSATIÆ COMES. Hic enim manus cum hoste cõserturus, voto se adstrinxerat, vt si victor euaderet, Institutum D. Francisci, Comitatu abdicato, sequeretur. Itaque voti compos, paupertatem Christi æmulaturus, sacram vestem Minoritarum, & simul viuendi normam assumpsit, votoque se soluit. Sacris initiatus, Monasterium sui ordinis in opido Kyl ædificari curauit;

collectis etiam ostiatim eleemosynis in subsidium. Factum autem, vt cùm hydriam lactis ad socios deferret, filios suos Holsatiæ comites splendido cultu obuios habuerit. Quid faceret? viam declinare non poterat: pudorem tamen vicit constantia, seque totum lacte perfudit, dicens: *Infelix homo, Christi paupertatem baiulare erubuisti: nunc te monachum exhibe, ostende quid portaueris*. iterque suum, nil filiorum moratus præsentiam, totus lacteus absoluit. Hieron. Ziegl. in hist. Illust. German.

MORBVS.

SENEX ANONYMVS.

QVid de corporis infirmitate dicam? quam prouidus aliquãdo immittit Deus iis, quibus vtilius est frangi languoribus ad salutem, quàm remanere incolumes ad damnationem. Venerat SENIOR tam pietate quàm annis, ad discipulũ suum: quem cùm infirmę valetudinis reperisset, *Fili*, inquit, *ne propter corporis infirmitatem angaris, pro quâ Christianum decet Deo gratias agere*. Quo dicto, & morbi vehementiam leniit, & infirmi tolerantiam non parum auxit. Simon Goulartius ex Vitis SS. PP.

EREMITA ANONYMVS.

Et huius quoque spiritum Dei visitatio custodiebat. quotannis enim variis infirmitatum generibus affligi solitus, accidit vt vno anno à morbis omnino immunis foret: quam sortem altis suspiriis deplorans subinde, exclamabat: *Domine Deus, cur me deseris? cur me desolatum hoc anno non visitasti?* Ita vir sanctus, ea quæ alij pro flagello habent, solatij loco, quoad vixit, reputabat. Idem.

THEO-

Theodoricvs Episc. Colonien.

Erat ille auctoritate & prudentiâ inter Electores facilè Princeps. Quærenti autem Sigiſmundo Cæſari, quónam pacto felicitatem conſequi poſſet; *Inter mortales*, ait, *fruſtrà requiris*. Inſtanti rurſus; *Ad cæleſtem ergo quo itinere pergam? Rectà*, reſpondit ille. Vrgentique tertiò, quid agendo rectà tenderet; *Si*, ait, *ita vitam inſtitueris, quomodo facturum te promiſiſti, dum calculus aut alia inualetudo te oppreſſit.* Docuit autem, morbum quemuis, ſi acrior ſit, eſſe certum ad meliorem vitam incitamentum. Æn. Syl. lib. 2. de Geſt. Alphonſi.

Anonymvs religiosvs.

Sed & diuinæ probationis ac miſerationis argumentum eſt corporis per ęgritudinem afflictio. hinc quidam ex Patribus adoleſcenti à ſe ſanitatem poſtulanti, reſpondit: *Rem tibi neceſſariam cupis auferri: ſi enim aurum es, per ignem probaris; ſi ferrum, rubiginem amittis.* Sanè idipſum nobis omnibus dictum putemus, vt alacri animo feramus,

Cùm grauis excruciat morbus, vel ſæua podagra
Cùm premit, aut lectus debile corpus habet:
Et morbi auctorem merito celebremus honore.
Vulneris hæc nobis certa medela datur.

Refert. L. Granat. Serm. de Commem. Annunt. ex vitis PP.

Require Tit. de Tribvlatione.

MORES.

Franc. Borgia Soc. Iesv.

NOn parua modeſtiæ prudentiæque nota, cuiuſuis Moribvs ſe facilem præbere, temporis

ac loci ratione habita. Claruit autem hoc ſplendore FRANC. BORGIA: qui, dum iter faciens diuertiſſet ad ea loca vbi eum à quotidiano Sacrificio arcebant, etiam tabulis Societatis prolatis; ſocio vrbanè in aurem inſuſurrabat: *Nunc per me licet priſtinos titulos nomines. Ciuili namque hîc iure agendum.* Lib. 4. Vit. eiuſd. cap. 1.

IDEM

Modum titulis ſtatuere ſolitus, in iis tamen dandis liberalis; ſi quem aulico hoc fumo libenter denigrari conſpicaretur. aiebat namque: *Si peccandum alterutram in partem eſt, titulorum vbertate quàm raritate offendere malo.* Ibid cap. 8.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Ille vt in aliis, ita & hîc facetus. Dicenti coniugi, futurum vt claudicantem leuiter filiam gener, cui eam Rex ſe inuita deſponderat, planè contemneret; illud Naſonis ingeminabat:

Certus amor morum, formam populabitur ætas.

P. Æmil. in Vitâ.

CAROLVS V. IMPERATOR.

Hic etiam cum regali maieſtate facetâ vrbanitate præditus, frequenti ſuos Proceres apophthegmate reficiebat. Factum autem, vt de cogendo milite ſermo fieret. cùm ille ita orſus: *Ego dùm militem & caſtra colligo, aſſumo caput Italicum, humeros & manus Hiſpanicas, Germanum pectus, ventrem & pedes aliarum nationum.* Solertiam Principis in eo potiſſimùm conſiſtere ſignificabat, quòd cuiuſuis nationis mores & humores habeat ſibi perſpectos. Chytr. Orat. de vita Caroli.

MORIO.

MORIO.

FREDERICVS IMP.

MORIONES, vt hominum omnium communem fęcem, breuiter transcurrimus, & simul eos despicientem FREDERICVM CÆSAREM. qui rogatus, an illud hominum genus in conuiuium admittendum esset; sapienter respondit: *Neque stultis delectari possum, neque superbis esse amicus*. Considerabat illud Poëtæ:

——— *Sapientia prima est*
Stultitia caruisse. ———

Æn. Syl. lib. 1. de Gest. Alph.

ALPHONSVS REX ARAG.

Ille in omnes munificus, præterquam in has sordes hominum. dicebat enim: *Huiusmodi homines persimiles sunt cisternæ rimosæ, quam vt nullus implet imber, ita hos nulla rerum compendia exsatiant.* Pont. de Liberal.

MORS, EIVSQ. MEMORIA.

S. HVGO EPISC. LINCOLNIEN.

VLtimam rerum humanarum lineam, MORTEM, attigimus: quâ, vt inquit Seneca, nihil natura præstitit melius, & cuius frequẽtius nullum est votum. Hinc benè LINCOLNIENSIS ANTISTES HVGO, multa de Mortis horrore dicẽtibus, respondisse fertur: *Heu quàm miserè nobiscum ageretur, si nũquam hoc exilio excederemus!* Voluebat animo vir sanctus, quòd iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sur. tom. 6. in Vita.

S. HIE-

S. HIERONYMVS.

Et ob id iugem esse & salutarem mortis memoriam dicebat HIERONYMVS, dum ait: *Facilè omnia contemnit, qui se cogitat moriturum.* breui, sed solido dicto vitæ nostræ fragilitatem insinuans. Præclarè Martialis:

Pange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo:
Ipse iubet mortis te meminisse Deus.

Fulgos. lib. 7. cap. 2.

RELIGIOSVS ANONYMVS.

Narrat de isto Ioan. Climachus, quòd, cùm negligentiùs viueret quàm Religionis statutum postularet, morbo ad extrema deductus, integram pænè horam quasi in extasin raptus iacuerit; ac tandem sibi redditus, vt omnes qui aderant à se egrederentur postularit. Quo facto, antri quod incolebat aditum saxis obstruxit, in eoque duodecim annos tam asperam vitam duxit, vt nulla colloquia admitteret, nullum, præter aquæ & panis pauxillum, cibũ corpori indulgeret, ac solùm animo volueret, quę in illo suo mentis excessu fuerant sibi obuersata. Quo tempore autem fatalem sibi diem, quando ex hoc carcere exeundum, instare aduertit; reserato aditu, alios suos collegas admisit. Qui dum supplices peterent mnemosynum aliquod, quo ad virtutis studium incitarentur, ille iam oculos pænè in morte grauatos attollens; *Ignoscite,* inquit, *fratres. Nemo, qui reuerà mortis memoriam agnouerit, peccare vmquã poterit.* Quàm appositè monet in Epist. Horat.

Inter spem, curamque, timores, inter & iras,
Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

Refert ex Climacho Guil. Baldesanus lib. 2. Stim. virt. cap. 17.

ABBAS

ABBAS IOSEPH.

Egregiè quoque, apud Cassianum, ABBATEM IOSEPHVM sensisse fatendum erit. à quo frequenter audita hæc vox: *Postremum illud, quod generaliter vitiorum omnium peremptorium esse nemini dubium; est, vt se de hoc mundo quis credat quotidie migraturum.* & verè,

Flante velut valido nubes Aquilone fugantur,
Sic meditata scelus Mors procul omne fugat.

MESSODANVS.

Quæ cùm ita sint, iure MESSODANVS iam senex, vitæ tædio affectus, cùm ab amico in crastinum vocaretur, respondit: *Quid me vocas in crastinum, qui à multis annis crastinum non habui, sed mortis aduentum indies exspectaui? quæ numquam nobis non insidiatur, donec tandem incautos opprimat.* Sanè, vt doctè iterùm Martialis,

Non est crede mihi sapientis dicere, Viuam:
Sera nimis vita est crastina, viue hodie.

Guido Bituric. ex Hist. Eccles.

CONSTANTINVS IMP. ET HORMISDAS.

Require Apophth. de ROMA.

MAXÆMILIANVS I. IMP.

Sed & memori mente voluebat MAXÆMILIANVS, quod sub Mortis, vt canit Claudianus,

——— *purpurei veniant vestigia Reges*
Deposito luxu, turbâ cum paupere mixti.

Nam postremo sui Imperij lustro, cùm palatium apud Oenipontem magno suo ære construi mandasset, & operis præfecti leuiores quosdam in eo errores commisissent, secretiùs in aurem cuidã sibi adstanti susurrabat: *Parum hi faciunt quod me delectet: aliam domum construam mihi placituram.* eoque die

die feretrum omni quæ ad ſepulturam neceſſaria foret ſupellectili inſtructum parari iuſſit, ac ſecum, quocumque pergeret, clanculum deferri. Cumque curioſiùs coniectarent Proceres de vſu illius ſcrinij; CÆSAR ſubridens,ac ſibi conſcius, *In rei*, dicebat, *mihi ſupra omnes alias chariſſimæ vſum, mecum hoc defero.* Ita aſſiduè ſepulchrum adeſſe ſibi voluit, vt eiuſdem perpetua recordatio, ſuæ menti faſtũ mundi eximeret, æternitatis brauium infunderet. Reinhard. Hadamar. in Inſtit. Principum.

IDEM

Iuſſerat adhuc ſuperſtes, vt quando inter viuos deſiiſſet,cadauer ſuum omni hominum,etiam infimæ, ſorti conſpiciendum proponeretur: ac cauſam percontanti,*Vt ita*,dicebat,*vel meo exemplo diſcant omnes, nulla diademata, opes nullas, nec vlla imperia à morte eripere poſſidentem.* Hæc enim

——— ſola vltricibus armis
Elatos frenans animos, communia toti
Genti ſceptra tenens, æternaq; fœdera ſeruans,
Et magnos paruoſq; terit: nam fortibus æquat
Imbelles, populiſq; Duces, ſeniumq; iuuentæ.

Ibidem.

FREDERICVS IMPERATOR.

Vide IVDICIVM DEI.

ALPHONSVS REX ARAG.

Nec ſilentio præteriri ALPHONSVM fas erit. qui requirenti, *quænam res Principes ac priuatos, diuites ac pauperes, exæquaret*; reſpondit: *Cinis*. ſignificans, quod paucis habet Iuuenalis:

——— Mors ſola fatetur
Quantula ſint hominum corpuſcula. ———

Itaque attollere in vita, manus & ſpes ab Oriente

in

in Occaſum mitte: illa contrahet, & te intra te coget. Panorm. lib.4. de Geſt. eiuſd.

CÆSAR BORGIA.

Hic totius Italiæ imperium animo conceperat, ac ſublatis è medio omnibus quos ſibi impedimento futuros ſuſpicabatur, tandem quod aliis miſcuerat, venenum hauſit inſcius: & moriturum ſe ratus, *Aduerſus omnia*, inquit, *pericula me muniui, præterquam aduerſus mortem. quippe qui numquam cogitaui me tam citò moriturum.* immemor ſanè illius Democratis: Imprudenter & impiè viuere, nō tam eſſe malè viuere, quàm diu mori. Machiauellus.

FRANC. BORGIA DVX.

Eiuſdem nominis & generis iſte, at vitæ notæq; melioris. Præfuerat funeri Auguſtæ iam functæ, & miratus quòd exiguus tumulus ſceptra, coronas, ac Regiam maieſtatem exciperet & concluderet, dicere ſolebat; *Auguſtæ mors mihi vitam attulit.* & verè,

Si cupis aduerſus ſcelerum fœdiſſima quæque
Vulnera, perfacilem dem tibi promptus opem:
Cùm te turpe aliquid tentat, fac illicò mentis
Seſe mors oculis offerat atra tuæ.

Ribad. lib.1. Vit. eius, cap. 9.

IDEM.

Cùm decumbenti grauiter, & extra medicorum ſpem, adeſſent qui lachrymas funderēt: ille inopinatò; *Cur lachrymas fruſtrà funditis? An illæ me morti eripient; ſi Deo viſum, ab hoc vitæ exilio me in patriam reuocare?* Sciebat egregius Princeps, ſtatutos à ſummo Principe Deo vitæ cuiuſuis terminos, qui præteriri non poterunt. & quòd

Omnes eodem cogimur: omnium

Verſa-

Versatur vrna, seriùs, ocyùs
Sors exitura.
Ribadin. in Vita eiusd. lib. 2. cap. 13.

MORTIS CONTEMPTVS.

S. THOMAS APOST.

AD MORTEM itaque libenter subeundam, instigare nos debent quotidianæ vitæ molestię, & amicorum obitus inopinati, ac maximè ea quæ post hanc vitam secutura est retributio. Et priora quidem illa considerabat THOMAS APOSTOLVS. nam cùm ex Domino intellexisset quomodo Iudæi voluissent eum lapidare, ac Lazarum iam inter viuos desiisse; & subiungeret, Gaudeo propter vos, vt credatis (id est, vt fides vestra in me augeatur, & crescat) quoniam non eram ibi, sed eamus ad eum: dicebat ad condiscipulos; *Eamus & nos, vt moriamur cum eo* (nempe Lazaro iam mortuo.) Non enim tantùm diffidebat ipsos secundùm Domini promissa præseruãdos ab offendiculo, sed & Lazarum posse inter viuos rediuiuum vocari. vt benè notat Iansen. Ioan. cap. 11.

S. HILARION.

Quæsiuerant eum tota nocte latrones, ac manè repertum, rogant; Quid faceres si latrones ad te venirent? ille: *Nudus latrones non timet.* atqui occidi potes, inferunt: *Possum,* ait HILARION, *& ideò latrones non timeo, quia mori paratus sum.* quam animi constantiam conspicati, culpamq; confessi, resipuerunt. Hier. in Vita.

IDEM.

Vide CONSCIENTIA BONA.

REGI-

REGINALDVS POLVS CARD.

Intellexerat ab Edeuardo Leodiens. Antistite, Henricum Angliæ regem præmium aureorum aliquot constituisse ei, qui illi necem inferret. & miratus Regis dementiam, dicebat; *Iam dudum huius vitæ tædio affectus, mortem optaui: & cùm Henricus Rex tanto eam studio efficere contendat, nihil aliud facit, quàm si eunti dormitum, vestimentum subtrahere conetur.* Nō potest enim (vt cum Augustino loquar) malè mori, qui benè vixerit: & vix benè mori, qui malè vixit. N. Sander. lib. 1. de Schism. Angl.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Nullum finem inueniret narratio, si omnia hunc in locum congessero, quæ passim suis historiis inseruêre Ecclesiastici scriptores. Vela itaque contraho, & ad ALPHONSVM pergo: qui, dum intellexisset quemdam ex alumnis suis infirmari, eum adiit, & à mortis diro aspectu abhorrentem, his verbis solabatur; *Non est adolescens, cur mortem tantoperè timeas: cùm hæc benè morientibus sit vita, atque eius vitæ principium, quæ neque doloribus, neque metu, neque inuidiæ ærumnis subiecta est.* Panorm. & Æn. Sylu. de Dict. Fact. Alph.

MORS GENEROSA.

CAROLVS IX. FRANC. R.

NOn paruam apud posteros laudē se relicturos arbitrati sunt Principes quidam viri; si, cùm mors oppetēda tandem sit, eam cum gloria oppeterent. quibus etiam pulchrū mori succurrit in armis. CAROLVS IX. certè F. R. circumuentus à seditioso Hugonottorum rebellium equitatu, ad legiones auxilia-

xiliarium Heluetiorum conuersus, inter cetera vocem illam edidit: *Malim mori Rex, quàm viuere captiuus.* Annal. Franc.

LVDOVICVS LVDOVICI F. R. FILIVS.

Non minùs generosè iste. erat & viribus & armis robustus, cùm eos qui Patri optimo rebelles exstiterant, bello vindice lacesseret. quâ tempestate crebriùs dixisse commemoratur: *Pulchriùs mori iuuenem crudelitate honesta, & ob bonum finem: quàm cum dedecore vitam protrahere.* Corozet. de Dict. Fact. memor.

Lege Apophth. de BELLICA *&* ANIMI FORTITVDINE, CONSTANTIA, *&c.*

MORS ÆQVE FERENDA.

S. ELISABETH REG.

ÆQVO animo ferendum quod necessariò subeundum est, ac vitari nequit. vnde ęquissimo animo ferenda tam nostra, quàm nostrorum MORS. manendi namque aliquãtum, non habitandi diuersorium natura hîc dedit. Vultis exempla, & quidem ab vtroque sexu? ELISABETHA Lantgrauij Turingiæ coniux, animi fortitudine & sanctitate pænè pari, marito vita functo, dixisse ad suos fertur; *Vt viueret vir meus, nulli labori parcere volui: verùm eo nunc Deo ita volente sublato, ne minimum capitis dederim capillum, vt mihi viuus restituatur.* Sur. tom. 6. in Vita.

MELANIA MARCELLI COS. FILIA.

Et ne vnicam dumtaxat hac fortitudinis coronâ insignitam arbitremini; en MELANIAM. hæc marito nõdum humato, cùm binos amisisset insuper filios,

ita

ita ſe ab omni dolore temperauit, vt aliud diceret nihil, quàm, *Magis expeditè tibi ſeruitura ſum Domine, quia tanto me onere liberaſti.* Hieron. in Epiſtola ad Paulam.

MAVRICIVS IMPERATOR.

Tranſeamus ad viros, quorum virtus hîc etiam emicuit. MAVRICIVS IMP. (quid eo fortius aut conſtantius?) quinque liberos ſuos Phocę iuſſu interfici coràm ſe ſpectabat, & vnicum illud Dauidis ingeminabat; *Iuſtus es Domine, & rectum iudicium tuum.* Cedrenus in Annal.

LAMBAS AVRIA GENVENSIS.

Et ne vnico contenti exemplo videamur, aliud adiiciam. Erat LAMBAS claſſis Genuenſium Præfefectus, idque eo bello quod cum Venetis habuêre. Cùm itaque in medio prœlij ardore ei eſſet nuntiatum, filium in pugna cecidiſſe; nihil turbatus, *Vos,* inquit, *fortiter prœliamini. Ad filium quod attinet, eius cadauer in mare deiicite: nullo enim nobiliori tumulo condi poteſt, quàm illo, vbi pro patria pugnans, bello ſuperior occubuit.* Bapt. Fulgoſ. lib. 5.

ANONYMVS.

Commemorat verò Socrates in hiſtoria Eccleſiaſtica, quemdam, dum patris ei ſubita mors nuntiaretur, exclamaſſe: *Deſine loqui blaſphemias, nam pater meus immortalis eſt.* parui admodum pendens eam mortem, quæ tantùm eſſet ſeparatio animæ à corpore. Socrates.

P. FRANC. BORGIA.

Dignus qui ceteros comitetur BORGIA. Nuntiabatur mors Iſabellæ filiæ. at ipſe, *Depoſitum,* inquit, *acceperam, repetiit Dominus.* Accedens autem Comeſtabilis ſolatium aliquod laturus, rogâſq;, Quid?

ténc amissâ filiâ nihil moueri? hoc responsum accepit: *Ex quo me Deo dicaui, illi cor obtuli, vt nihil in humanis rebus turbare illud possit.* Ribadin. lib. 4. cap. 6.

MORIENTIVM MONITA, ET DICTA.

DIONYSIVS AREOPAGITA.

VSuuenire solet, vt ij quorum vita laudabilis, & sine querela, etiam aliquod in morte suæ virtutis post se vestigium relinquant: ita vt eorum mors, vitæ anteactæ symbolum sit & nota. Morti adiudicatus DIONYSIVS, eam fortiter amplexus est; & se adstātium probra despiciens, *Vltimum*, inquiebat, *verbum Domini mei Iesu in cruce, sit vltimū mihi in hac luce: Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Segerus in Chron.

IOANNES ABBAS.

Vide ACTIO, EIVSQVE NECESSITAS.

S. BERNARDVS.

Quid verò BERNARDVS? Non ita diu ante mortem vocatis fratribus vt eos extremùm salutaret, dicebat; *Tria vobis imitanda propono & relinquo, quæ ego quantum potui, seruaui. Minus sensui meo, quàm alterius credidi: læsus de lædente vindictam non expetiui: nemini scandalo esse volui; & vbi esse me sciui, emendaui.* Auct. vitæ.

S. MARTINVS.

Dum morbi nimia feritate ac duratione oppressus rogaretur, corpusculum lateris mutatione releuaret; *Sinite*, inquit, *sinite fratres, cælum me potiùs adspicere quàm terram, vt suo iam itinere iturus ad Domi-*

Dominum spiritus dirigatur. Hæc effatus, videt dæmonem propiùs adstantem; eumque compellans, *Quid hîc*, ait, *adstas cruenta bestia? nihil in me funestum reperies: Abrahæ me sinus excipiet.* eaq voce fatigatum diuinis operibus spiritum Deo reddidit. Sulpit. Aloisius in vita.

CONSTANTINVS IMPERATOR.

Ille item moriens; *Trium*, inquit, *me pœnitet: cædis propinquorum, collati in Iulianum Imperatoris tituli, & mutatæ Religionis.* defecerat namque ad Arrianos. Zonar. tom. 3. Annal.

THEODOSIVS M.

Vnicum quoque huic in votis, filiorum pectori veram pietatem, quoad vixit, instillare. quod vt præstaret moriens, vocatis Honorio & Arcadio filiis; *Pietatem*, inquit, *excolite: eâ enim pax conseruatur, bellum extinguitur, trophæa eriguntur, omnis denique victoria constat.* Theod. lib. 5. Hist. Eccl. c. 25.

LOTHARIVS FRANC. REX.

LOTHARIVM etiam audiamus. Iam pænè animam agebat, &, *Hem!* inquiebat, *quàm magnus ac potens est Rex ille cælestis, qui reges terrenos lentâ morte è solio deturbat.* Corozet. de Dict. Fact. memorabil.

FREDERICVS DVX SAXON.

Iste etiam moriturus, se piè SS. Eucharistiæ & sanctarum precum viatico muniuit. Cumque quidam eum solaretur, & ad fortiter ferendum, quod iam & Ducatu & vita excederet, incitaret: illud Patriarchæ respondit; *Dominus dedit, Dominus abstulit: sit nomen eius benedictum.* In. Orat. funebri de eodem post mortem habitâ.

HENRICVS MARCHIO MISNIÆ.

Piè pariter & religiosè illustris MARCHIO HENRICVS vitam finiit. Cùm enim iam iam morituro adessent ciues sui, & fletus ac suspiria ingeminarēt, ille eructans (vt est in Psalmo) verbum bonum, se Virgini matri, & Sanctorum cœtui, piorumq; precibus commendabat, iisque qui circumstiterant fatalem thalamum; *Orate*, inquiebat, *vt beatus mihi in cælum ascensus detur.* Ioan. Garz. de Reb. Saxon.

MORTIFICATIO.

ARSENIVS ABBAS.

QVemadmodum multum ad exuendum veterem hominem, & induendum nouum, facit mortis secura meditatio: ita non parū ad idē conducit propriȩ carnis, quoad in corpore sumus, MORTIFICATIO. Senserat id Arsenius. qui rogatus, cur aquam rariùs mutaret, cùm fœtore totam cellulam inficeret; respondit: *Lubens fœtorem hunc excipio, in locum odoramentorum, quibus in palatiis Regumque domiciliis fui olim oblectatus: vt in Iudicij die, de inenarrabili illo gehennæ fœtore liberet me Dominus.* In vitis PP. par. 2. c. de virt. Patientiæ.

S. FRANCISCVS.

Attendebat & hic illud Apostoli; Qui sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis: hinc tanto disciplinæ rigore sensus coërcebat, vt vix necessaria naturȩ ministraret. *Difficile*, dicebat, *necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuum non parêre.* D. Bonauent. in Vita eius, cap. 5.

IDEM

IDEM

Rogatus, quáſnam preces Deo gratiores exiſtimaret; *Illas*, ait, *quas propriæ carnis comitatur mortificatio*. Hinc doctè & benè Iac. Billius in Emblem.

At tua ne fructus pede claudo vota ſequantur,
Fac tua cum vitiis vt caro morte cadat.
Ara duplex templi quondam hoc ſine voce docebat,
Thus vna, at cæſas altera habebat oues.
Obtulit hic cæſas pecudes, qui membra necauit;
Qui pia vota facit, thus dedit ille Deo.

MVLIER, EIVSQVE FVGA PERVTILIS.

ARSENIVS EREM. ABBAS.

MVLIER, quam malum neceſſarium & exornatam Scyllam dixit Secundus Philoſophus, leui calamo circumſcribamus. ne quæ Sapientiæ principibus pleriſq;, nobis etiam ſuaue at execrandum nepenthes propinet. Quare eam cane peius & angue euitant omnes ij, qui ad honoris verę́q; virtutis apicem conſcendere enituntur. Venerat longis itineribus matrona Romana ARSENIVM vidēdi tacta deſiderio: cui poſtquam ſe conſpiciendū præbuiſſet, rogat illa, ſui memoriam in precibus haberet. qui, *Imò verò*, inquit, *dabo operam, idq́ue ſeriò, ne tui vmquam ampliùs meminiſſe queam.* Surius in Vita.

IOANNES ANACHORETA.

DI! quàm iſte etiam magnus in hac cautela! rogabat eum Tribunus vt ſe vxori ſuæ præberet vel ſemel conſpiciendum. Iam enim pio eius deſiderio aliquamdiu tenebatur: *Nequaquam ita fecero*, ait;

ſed per quietem me illi appariturum ſpondeo. verum fuiſſe declarauit euentus. O magnę perfectionis virum, qui imaginem ſui dormienti fæminæ conſpiciendam mittere potuit, ad quam accedere non potuit. Marul. lib. 4.

SABAS MONACHVS

Erat in itinere cum altero monacho ſibi collegâ. & ecce in occurſum venit iuuencula venuſta & laſciuis oculis. SABAS ſui comitis ingenium tentans, rogat; Qualis tibi videtur illa? mihi certè luſca, vnóque oculo viſa. Negat ille, & pertinax contrarium ſuſtinet, eò quòd accuratiùs eam eſſet intuitus. Tum SABAS; *Numquam legiſti*, inquit, *Nec capiaris nutibus illius?* eumque longo tempore in clauſtro detinuit. Sur. in Vita.

PION ABBAS.

Ille etiam in tantum à fęminarum aſpectu abhorruit, vt ad ſororem ab Antonio miſſus, illius cubile oculis clauſis ingreſſus fuerit, abieritque. Illâ verò inclamante, & iteratò inuitante; *Et fui*, inquit, *tecum, & quod optaueras, vidiſti me.* Ita abiit. Marul. lib. 4.

S. AVGVSTINVS.

Percontanti, cur ſororem cohabitare ſibi nollet; *Quia*, inquit, *quæ cum ſorore mea ſunt, non ſunt meæ ſorores.* Eiuſdem etiam præclarum illud: *Malum eſt mulierem videre, peius alloqui, peſſimum tangere.* Cauſam indicat Hieron. lib. 1. cont. Iouin. Quia mulieris amor inſatiabilis eſt, & ſemper accenditur, & poſt culpam rurſum eſt inops, animumque virilem effęminat: & excepta paſſione quam ſuſtinet, aliud non finit cogitare. Poſid. in vita Auguſt. cap. 26.

CLO-

CLOTARIVS II. FRANC. REX

In regem electus, fines Austrasiæ animi gratia visitauit. at Bruchenildis plurimorum cæde audax, legatos ad eum mittit, Gallia cedat. cui ille, fæminæ temeritaté & superbiam indignatus; *Moris est fæminam viris subiici: neque de distribuendis regnis, inuitis insciisque Proceribus agere.* Benè & verè Iuuenalis Sat. 6.

Nil non permittit mulier sibi, turpe putat nil,
Cùm virides gemmas collo circumdedit, & cùm
Auribus extensis magnos commisit elenchos.

Gaguin. lib. 2. De reb. Gall.

Quære Apophth. de VXORE.

MVNDVS.

APOLLO ABBAS.

MVNDVM, Mundique vanitatem fugiendam, Mulieri subiungimus. cuius, veluti & illius, venustas & decor transeunt, numquam reditura; seque amantem splendidâ circumueniunt seruitute. Vocabat APOLLINEM ABBATEM quidam è fratribus, vt bouem cœno immersum secum extraheret. qui, Cur, inquit, vicini tui prætergressò habitaculo, ad me diuertisti? eoque respondente, vicinum illum iam ab annis quindecim defunctum; *Et mihi*, ait, *anni viginti, & amplius sunt, ex quo mundo sum mortuus.* Tantum temporis in religione religiosè exegerat, & didicerat in hoc mundo supra mundum esse: & licet corpus gereret, volitabat tamen in eo ales interior. Cassian. Marul.

S. MACARIVS, ET ANONYMVS.

Transiturus erat Nilum Ægypti fluuium cum al-

tero Macario, totus pānosus & squalidus. quos cùm Tribunus regionis esset intuitus; *Beati*, inquit, *vos, qui mundum illuditis.* At MACARIVS, vt erat vrbanus, *Nos*, inquit, *mundum illudimus; sed vos mundus.* Pallad. in Hist. Laus. cap. 20.

S. TYBVRTIVS MARTYR.

Erat ille TYBVRTIVS, quem Valeriani fratris & Cæciliæ virginis preces & verba ad Christi fidem pertraxerant. quam ob rem ab Almachio Præfecto insaniæ arguitur. cui ille: *Vtinam dignentur nos referre in numerum seruorum suorum, qui respuerūt id quod videtur esse, & non est: & inuenerunt illud, quod videtur non esse, & est.* Ecquid, infert Almachius, videtur esse quod non est? *Omnia*, ait, *illa quæ in mundo sunt, quæ & cultores suos ad æternum exitium per breuis temporis lætitiam ducunt.* Quid verò, inquit, est tuo iudicio, quod non videtur? *Vita iustis*, respondit, *& supplicium iniustis.* Sur. tom. 6. in vita Cæciliæ.

S. RVMOLDVS ARCHIEP.

Spectandum hîc etiam se præbet Machliniensis opidi tutelaris Diuus: quem (vt erat Scotorum Regis primogenitus) numquam adduxêre parentes, vt regni postuma gubernacula animo, minùs reipsa, susciperet. aiebat enim: *Dominus Iesus qui mundanum respuit imperium, mandauit ipsum sequerer nudus.* Ex Vita eiusd.

REX IOSAPHAT.

Hic verò ab exilio, criptisque quibus latitauerāt, reuertentes Sanctos, summo honore & candore excipiebat. cumque ob id immeritas calumnias sustineret, thecas adferri iussit: è quibus pretiosiores vili impleuit arena, viliores autem rebus admodum sum-

ſumptuoſis. & redarguenti ſe, Elige, ait. Qui externa ſpecie pretioque deforis apparente nimium captus, pretioſas thecas accepit. Tum IOSAPHAT: *Qui magni in mundo apparent, his perſimiles ſunt: interiùs viles, exteriùs pretioſi.* Certè,

Quiſquis ad excelſi peruenit culmina montis,
Iam cuncta ex alto vertice parua putat.
Sic quoque virtutis tetigit qui culmina, parui
Iam pretij, quidquid cernit in orbe, putat.

Damaſc. in Hiſt. eiuſd.

THOMAS MORVS.

Quid autem talia memorem, quæ prior illa ætas vidit? ad noſtrum ſæculum venio, & inuenio THOMAM MORVM carceri iniuſtè mancipatum, ita eos qui ad ſe conſolandum venerant, alloquentẽ: *Mundus hic*, inquiebat, *carcer eſt, ex quo omnes ad cauſam dicendam ſuis ſinguli diebus euocantur. Quod autem meus carcer aliorum Principum carcere ſit minor, beneficij loco habeo: cùm è malis pluribus, minimũ ſemper ſit eligendum.* N.Sander. lib.1.de Schiſm. Anglic. Th.Stap. in Vita, cap. 11.

S. ELISABETH HVNG. REG. FILIA

Digna quæ inter priores locum teneat. Intellexerat ex Sophia parente, maritum diem vltimum obiiſſe. & vix perculſa ad tam infauſtæ rei nuntium, dicebat: *Si mortem frater meus obiit, & mihi quoque poſthac mundo eiuſque vanitatibus defunctæ, morietur mundus ipſe.* & ſanè vt cuiuis ille moriatur, monet Boëtius de Conſolatione, vbi dicit:

Rara ſi conſtat ſua forma mundo,
Si tantas variat vices:
Crede fortunis hominum caducis,
Bonis crede fugacibus.

Con-

Constat, æternâ positumque lege est,
Vt constet genitum nihil.

Sur. tom. 6. in Vita.

MVNVS, EIVSQ. CONTEMPTVS.

S. BARTHOLOMÆVS APOST.

MVNERA, quæ iuxta Poëtam hominesq; deosque placant, calamo nunc oberramus: quantumque eadem aspernati prima illa nostræ Religionis columina. D. BARTHOLOMÆVS Polemo Indiarum regi camelos auro argentoq; onustos sibi offerenti, quòd filiam eius Energumenam immundo spiritu liberasset, dicebat: *Nequaquam his mihi opus. neque enim ad te veni munera accepturus, sed vt in Christum credentibus viam salutis pandam.* Quo dicto commotus Rex, baptismum suscipit, & Christi discipulus efficitur. Abdias in eius Vita.

S. THADDÆVS.

Ille quoque regi Edisseno Abgari sibi aurum & munera offerenti, quòd plura admirãda diuinâ ope apud eum patrasset, respondit; *Si nostra relinquimus, quomodo accipiemus aliena?* Euseb. lib. 1. histor. cap. 15.

S. BASILIVS M.

Quid iste? Suadebat Cæsareæ Præfectus, Christi fidem negaret, factoque non exigua munera proponit. at non persuasit, dicente eo; *Hæc Christiano homine indigna sunt: adolescentulis hæc conueniant, & iis qui ad talia promissa respiciunt.* Trip. hist. lib. 7. cap. 36.

SPIRIDION MONACHVS.

Dum hæc intueor, etiam SPIRIDION se menti manuique

nuique obiicit. Ille enim, dum à Constantino (qui per manus impositionem sanitatem ab eo acceperat) graue auri pondus offerretur, dicebat; *Non sic oportebat, Imperator, odio remunerare amicitiam. ego magnis itineribus huc veni, vt T. M. parerem: & tu mihi aurum, omnis mali causam, reddis?* Sur. in vita S. Spiridionis.

S. MARTINVS.

Non esse verò despiciendum munus quia exiguum sit, sed magis attendendũ donantis affectum docuit MARTINVS EPISC. Acceperat namque à sacra virgine munusculum: cumque id præter morem facere videretur; *Benedictio*, inquiebat, *illius à sacerdote respuenda non est, quæ multis sacerdotibus præferenda est.* Sulpit. 2. Dialog. cap. 12.

Require MERCEDIS NEGLECTVS.

NATVRA.

S. ANTONIVS.

NATVRAM, quâ duce errare nemo potest, (iuxta illud Iuuenalis Sat. 14.

Numquam aliud Natura, aliud Sapientia dicet.) inuestigamus: & simul ANTONIVM præclarè de ea sentientem. Rogatus quippe, quomodo vitam sustentaret destitutus omni solatio quod ex libris habetur, respondit: *Meus liber est natura rerum à Deo conditarum: quæ, quoties libet, libros ipsius Dei ad legendum suppeditat.* Quid enim, inquit admodum Christianè Seneca, est aliud NATVRA quàm Deus, & diuina ratio, toti mundo partibusque eius inserta? Socrat. lib. 4. hist. Ecclesiast. cap. 18. Ex Euagrio.

ANO-

ANONYMVS.

Quærenti, quínam defectus difficillimè curarentur; *Illi*, inquit, *quos Natura rerum nouatrix indidit.* Illa enim, etsi furca expuleris, sua spōte recurret.

Nec poteris rectum cancris inducere gressum,
Nec leues horrentis echini reddere sentes.

Ioan. Petrosius.

NOBILITAS.

VRBANVS III. PONT.

SVmma & sola apud Deum NOBILITAS est, clarum esse virtutibus.

Nam genus & proauos, & quæ non fecimus ipsi,
Vix ea nostra puto.

Vnde exprobrāti cuidam generis humilitatem, dicebat VRBANVS PONT. *Magni viri non nascuntur, sed virtute fiunt.* quod satis apposité hoc Epigrammate expressit Codrus Vrceolus, dum sic habet:

Sint tibi Gallorum rex & regina parentes,
Et maneat virtus pectore nulla tuo:
Non pluris faciam te, quàm tibi rustica mater
Si sit, & ignotus rusticus ipse pater.

Cranz. lib. 9. Metropol.

S. ROMANVS MILES.

Vide MARTYRIVM.

MAXÆMILIANVS IMPERATOR.

Æquè præclarè MAXÆMILIANVS. Venerat ad eum quidam obscuro loco natus, at supra modum diues; supplicans, vt datis aureorum millibus, nobilis designaretur. Cui IMPERATOR: *Ditare quidem te possum, at nobilitare, non nisi te propria virtus potest.* Insinuabat autem illud Ausonij:

Pul-

Pulchriùs multo parari, quàm creari nobilem.
Corozetus.

FREDERICVS THVEN.

Hic ſenſus, ea mens priſco illo æuo, neruum nobilitatis eſſe virtutem. at noſtro hoc,

———*Virtus ſine cenſu languet vbique.*

Solabatur quidam FREDERICVM THVEN, quòd ex illuſtri ſtirpe ſuam traheret originem. at ille: *Quid nobilitatem mihi obiectas? Etſi tam nobilis forem, vt perdicum pennæ mihi per nares erumperent, & pecuniæ deeſſent, numquid miſerrimus futurus?* Ita hoc æuum eſt, vt ſoli diuites nobiles habeantur, & ſtemmata ſine opibus vilipendantur. Georgius Richterus, in Axiom. Oeconom.

NOMINIS IMPOSITIO.

S. HILARIVS.

NIhil æquè valere ad rei cuiuſpiam naturam & rationem explicandam, ac congruã NOMINIS IMPOSITIONEM, docet in ſua Logica Philoſophus. quinimò pluribus nominibus ſua omina ineſſe, teſtantur Sacræ litteræ. Certè B. HILARIVS, dũ quidã per calumniam eum Gallum nũcuparet: *Non ſum,* inquit, *natus Gallus, ſed ex Gallia. Tu verò Leo es* (erat enim hoc nomine) *ſed non de tribu Iuda.* Ioan. Selethus cap. 22.

HENRICVS VIII. ANGL. R.

Habebat ille inter alios quibus familiariter vtebatur, vnum Franciſcum Brianum, multorum ſcelerum architectum. quem, dum in re quadam nefaria cõſultorem adhibuiſſet, vt palàm inſignem eius impietatem teſtaretur, hoc nomine compellabat:

Næ

Næ tu meritò meus es inferni vicarius. Guill. Rastel. in vita Thomæ Mori.

PARISIENSES NOBILES.

Cùm id vnum ageret Henricus VIII. vt repudiatâ Catharinâ, vita & genere nobilissima, Annam Bolenam pellicem in adulterinum thalamum sumeret, eaque meretriciis suis artibus Regis oculos fascinaret; rumor in Galliam (vbi profusam suam libidinem cum Galliarum Rege celare non potuerat) defertur. quo audito, palàm & passim hoc nomine natabat in PROCERVM labris: *Rex Angliæ Henricus, in vxorem ducturus est mulam regis Galliarum.* dignum profectò patella operculum. I. Sleidanus, lib. 9.

POMPONIVS LÆTVS.

Romę custodię traditus, accusabatur quòd (veluti hac ætate apud plerosque Nouatores in vsu) proprio abdicato, alienum nomen antiquitatis desiderio affectasset. Pro PETRO enim se POMPONIVM appellauit: & accusanti se Vianesio Antistiti, ait: *Quid tibi & Paulo Pontifici, si mihi fœniculi nomen indidissem.* Sabell. in Vita.

ANONYMVS.

Addam aliud, sed in re iocosa. Cuidam Mercurij nomen inditum erat: quem, quòd incompositis esset moribus & lingua, ac paruę fidei, alius hoc scommate illusit:

Te magis elinguis cùm sit nec agrestior alter,
Quare Mercurij nomen inepte geris?
Non ita quòd præstas dicendi laude, vocaris:
Sed potiùs, turpi furta quòd arte facis.

Coll. ex Epigramm. G. Sabini.

IDEM

Idem

Non absimili modo alium, cui Vrbanus nomen, parum admodum vrbanum potorem perstrinxit. dicebat enim,

Diceris Vrbanus: sed nominis immemor huius,
Semper inurbanus, cùm bibis, esse soles.

Ibidem.

OBEDIENTIA.

Paralyticvs Evangelicvs.

Obedientia, quę proprię voluntatis sepulchrum, & melior quàm victimę, sola menti ceteras virtutes inserit, insertasque custodit, exemplis illustranda. Et quidem SS. litterarum testimonio clarum est, Paralyticvm, qui annis 38. in infirmitate decubuerat, iussum à Christo, qui eum sanitati restituerat, lectum tollere; & Iudæis insultantibus, Sabbatum est, non licet tibi lectum tollere, respondisse: *Qui me sanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabatum tuum, & ambula.* Pulchrè sanè. quasi dicere voluisset: Qui me hominem desperatæ valetudinis, verbo sanitati restituit, tantæ auctoritatis est, vt etiam necessitate seruandi Sabbati me absoluere possit. hinc meritò illi pareo. Ioan. cap. 5.

S. Pavlvs Apost.

Quid verò Gentium doctor? factus ex persecutore Christi miles & athleta, dum in terram prostratus audiret: Saule quid me persequeris? ait extemplò: *Domine, quid me vis facere?* quasi fundamentum suę conuersioni substernens, obedientiam. Actor. cap. 9.

Cornelivs Centvrio.

Haud secùs ille. viderat Angelum Dei ad se intro-

troeuntem, sibique dicentem, Corneli. ac timore correptus ait, *Quis es Domine?* & paulò pòst ad eum ingressus Petrus, cùm visionis suæ historiam breuibus percurreret, adiecit: *Nunc ergo omnes nos in conspectu tuo adsumus, audire omnia quæcumque tibi præcepta sunt à Domino.* Act. cap. 10.

S. PETRVS APOST.

Et iste cùm à Principibus sacerdotum redargueretur, quòd contra mandatum illorum Christum annuntiasset, nil cunctatus; *Oportet*, inquit, *magis obedire Deo, quàm hominibus.* Act. cap. 5.

PAMBO ABBAS.

Venerant ad visendum eum Religiosi numero tres: quorum hic ieiunij, ille charitatis, tertius obedientiæ laude clarus. de quibus sentẽtiam suam dicens, tertium ceteris prætulit: *Vnusquisque vestrûm*, ait, *virtutem quam possidet, volũtate propria retinuit: hic autem suæ voluntati renuntians, etiam alienæ se seruum fecit.* In vitis PP. cap. de Obedient.

S. SYNCTETICE.

Ille verò ad suos verba faciens, *Cuilibet*, dicebat, *in congregatione versanti, magis obedientiam quàm continentiam proponimus: quia hæc arrogantiam habet, illa humilitatem congruam pollicetur.* Ibidem, part. 2.

S. FRANCISCVS.

Quàm spectabilis in eo hęc virtus fuit? qui commissum sibi gregem instruens, quomodo Prælatorum dicto, imò nutui parere deberent, aiebat: *Subditus prælatum suum, non hominem considerare debet, sed illum, pro cuius est amore subuectus. Quanto enim contemptibilior præsidet, tanto magis obedientis humilitas placet.* Sur. tom. 5. in Vita.

IDEM.

IDEM.

Quin idem ipse ad eiusdem virtutis sectanda vestigia quosuis cohortabatur. dicebat autem: *Tantus est sanctæ Obedientiæ fructus, vt eis qui iugo illius suæ colla submitterent, nihil temporis sine lucro transiret.* Bonau. in Vita, cap. 6.

B. IGNATIVS LOYOLA.

Quis hunc Obedientiæ castris excludat, quem ad nutum summi Pontificis quiduis facturũ, etiam mare sine commeatu traiecturũ fuisse, accepimus? cumque rogaret vir quidam magnus, quæ isthæc esset prudentia; respondisse: *Prudentia non tam est parentis, quàm imperantis.* Ribad. in Vita.

OBMVRMVRATIO.

S. ÆGIDIVS.

VErus sacratæ Obedientiæ aduersarius se hîc obiicit, OBMVRMVRATIO. Vt enim illa dicto parere, ita hæc tergiuersationes quærere, & ab obedientia resilire parata. Hinc benè S. ÆGIDIVS, cuidam coram se obmurmuranti, quòd grauiorem pro culpæ modo pœnitentiam imposuisset, dicebat: *Quanto plus murmuras, tanto ampliùs te oneras: & quanto humiliùs sanctæ obedientiæ iugo caput submiseris, tanto tibi leuius futurum erit onus.* Ex Sent. aur. S. Ægidij.

OBSEQVIVM.

S. MALACHIAS EPISC.

NEmo negauerit, nihil æquè gratum homini esse, ac voluntarium OBSEQVIVM. Illud

enim eſt quod amicos parit; partoſque adamantino nexu deuincit. Ciuis Eborenſis in Anglia, intellecto quòd MALACHIAS ANTISTES Romam peteret, equum obtulit: hoc dolere ſe teſtatus, quòd durus eſſet. adiecitque: Libentiùs dediſſem, ſi melior fuiſſet. Cui MALACHIAS: *Non poteſt mihi vile eſſe, quidquid tam pretioſa voluntate offertur.* S. Bern. in vita Malachiæ.

BORSO DVX FERRAR.

Neque infimo loco habendus BORSO DVX inclytus. rogatus namque quánam re vinci & ſuperari poſſent corda hominum; *Obſequio*, reſpondit, *magis quàm armis aut vindicta.* Corozetus.

OCCASIO.

EREMITA ANONYMVS.

VEluti temporibus medicina valet, ita ſuo quæque tempore rapienda eſt quiduis faciendi OCCASIO. Refert de quodam EREMI INCOLA Caſſianus, quòd in tantum boni operis Occaſionem captauerit, vt numquam eam præterire fuerit paſſus. Quare cùm è patria litterarum faſciculum accepiſſet, ne aperire quidem eum dignatus; at igne ſuſcitato, vniuerſum (vt erat) in illum coniecit, dicens: *Ite cogitationes patriæ, pariter concremamini: nec me vlteriùs, ad ea quæ fugi, reuocare tentetis.* Caſſ. Monaſt. inſtit. lib. 5. cap. 32.

S. WOLSTANVS EPISC. WIGORNIENSIS.

Non minùs ſapienter egregius ANTISTES WOLSTANVS, cuidam frequentiùs eadem peccata confitenti, dixiſſe fertur: *Oportunitas, vt video, latrones facit: ideò vt vitiorum importunitate careas, id vnum neceſ-*

necessarium, Religioni, dum potes, te dedas. Præclarè Cato: *Rem tibi quam noris aptam dimittere noli,*

Fronte capillatâ post est occasio calua.

Sur. tom. 1. in Vita.

MONACHVS ÆGYPTIVS.

Require Apophth. de IRA.

RELIGIOSVS ANONYMVS.

Quàm prudens etiam istius verbum fuit! Cùm namque indomitæ carnis stimulos, ieiunij & mortificationis cote attereret, rogatus, quam ob causam se tam grauiter affligeret; *Vt,* inquit, *exsurgentes libidinum aculeos superem, & cum iis furoris occasionem tollam. noui enim furorem semper pro libidine litigare.* Pulchrè Greg. More ignis libido succenditur, etsi negligenter extinguitur, adiacens stipula velociter inflammatur. Socrat. Trip. hist. lib.8. c.1.

ANONYMVS.

Concertantibus nonnullis quænam res maiorem adferret molestiam; cùm hic litem forensem, ille morosam coniugem diceret, interuenit alius, qui, *Illud ego,* inquit, *vbique molestum reputo, quod tempestiuè & in loco factum non fuerit.* Ita olim è Græcis Comicis Menander:

Ἅπαντα καιρῷ χάριν ἔχει ζυγώμενα.

Omnia tempestiuè gratiam habent.

Guil. Richterus in Axiom. Polit.

OCVLORVM CVSTODIA.

S. HVGO GRATIANOP. EPISCOPVS.

OCVLORVM, qui frequētiùs peccati fenestram aperiunt, CVSTODIAM commendamus: idque imprimis HVGONIS GRATIANOPOLITANI Antistitis

ſtitis exemplo : qui adeò fidelis huius membri cuſtos, vt cùm R. P. Guidonis mater eum ſalutatum veniſſet, & poſt eius ab eo receſſum quæreret Guido, Numquid mea mater ſenio debilitata eſt & fracta? paululum ſecum præmeditatus; *Neſcio*, inquiebat, *planè cuius ætatis ſit, neque enim faciem eius intuitus ſum.* Sciebat vir pius, quòd ſi oculus ſimplex fuerit, totum corpus lucidum erit. Lucerna namque corporis tui eſt oculus tuus. Guido in Vita eius.

S. EPHREM, ET MERETRIX.

Vt autem ad S. EPHREM deueniamus: ingreſſurus Edeſſam opidum, Deum orabat, vt primo occurſu in talem hominem incideret, quem & doctrina ſua reficere poſſet, & ad meliorem vitæ normam iter præbere. Ecce cogitabundo, vt portas ingreditur, obuia fit mulier, notoria illius loci PECCATRIX: quam intuens vir ſanctus, cõſtitit fixis in eam oculis. ſed hæc viciſſim attentiùs in eum intuetur. Ille verò conatus eam pudore ſuffundere; *Quid*, inquit, *non erubeſcis mulier tam acutùm nos intuens?* E contra hæc; *Me*, ait, *conuenit te ſic adſpicere: nam de tuo latere ſumpta ſum. Te verò terram, non me adſpicere fas eſt: nam tu primùm ex eâ formatus & ſumptus.* quod ſtratagema verſu redditum hîc adiungo:

Aſpexit iuuenem formoſa puella modeſtum,
Illius in vultu lumina fixa tenens.
Hic ait; In terram potiùs tu deiice ocellos,
Non oculos habeat caſta puella vagos.
Imò, *ait hæc*, magis in terram tu lumina figas;
Ex terra primùm nam tua facta caro eſt.
Noſtri principium fuit ortus coſta virilis,
Hanc quæro vt iungi me velit ipſa ſibi.

Sur. in Vita tom. 1.

ANO-

ANONYMI.

Nec aſpernandum hoc loco, quod de his apud Guihel. Baldeſanum lib. 3. de Stimulis virtutum Adoleſcentiæ legiſſe me pridem memini. Accidit, inquit ille, nuper viro illuſtri, quòd adſtaret alteri non inferioris dignitatis in templo: cumque ingreſſa eſſet adoleſcentula, genere & forma nobilis, oculos (vt hoc æuo plerique faciunt) illicò in eius adſpectum reflexit: quod cùm alteri illi diſplicuiſſe animaduerteret, eius ſeueritatem cōprimere auſus illo Pſalmi verſu; *Delectaſti me Domine in factura tua.* ſed ille ex tēpore, ſuauiter ſanè, *Perge*, ait, *& vide quæ eodē in Pſalmo ſequātur, & inuenies: Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hæc.* Attonitus ille inopinato reſponſo, obmutuit.

OPVS.

S. IOAN. BAPTISTA.

Nihil æquè teſtimonium perhibet de homine, ac OPERIS ab eo exerciti qualitas. Hinc Dominici PRÆCVRSOR aduentus, dum Iudæi ſe ex ſtirpe Abrahæ progenitos dicerent, & de eo gloriarentur, dicebat: *Facite fructus dignos pœnitentiæ: nec velitis dicere intra vos, Patrē habemus Abraham, &c. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur.* Matth. cap. 3.

MARCELLVS II. PONT.

Vide IVRAMENTVM *&* PERIVRIVM.

RELIGIOSVS FRANCISCANVS.

Poſt Domini Præcurſorem, non indecorè ſe RELIGIOSI cuiuſdam virtus offert. dum namque Ludouicum Siciliæ regis filium, qui voto ſeruandi inſtitutū S. Franciſci ſe obſtrinxerat, vt palàm eo ſe ſolue-

ſolueret, incitaret; aiebat: *Qui in occulto benè viuit, ſed alieno non ſtudet profectui, carbo eſt: qui verò rectitudinis lumen ex ſe multis demonſtrat, lampas eſt: ſibi ardet, aliis lucet. Honeſta bonis viris, non occulta quæruntur.* Reuocabat in memoriam illud Chriſti, Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona. Ex vita Ludouici, impreſſa apud Moretum, cap. XI.

IOAN. PRINCEPS LVSITANIÆ.

Audiuerat ille Franciſcum Borgiam de diuinis rebus diſſerentem. ac templo egreſſus, ad Dynaſtas ſe conuertens; *Hic*, ait, *mihi demum Eccleſiaſtes placet, qui reipſâ quæ docet, præſtat.* Illud quippe Doctoris munus, vt ſit potens in opere & ſermone. Ribad. in vita Borgiæ, lib. 2. cap. 7.

Require ACTIO, EIVSQVE NECESSITAS.

OPERA MANV EXERCENDA.

SYLVANVS ABBAS.

SAtius multò eſt aliquid agere, quàm nihil agere: modò quod agitur, honeſti limites non excedat. Ita Apoſtolos, alioſque viros ſanctos, indultum ſibi otium in honeſtum negotium commutaſſe conſtat. Quod & SYLVANVS ABBAS lepido exemplo docuit. Erat in cœnobio eiuſdem Religioſus, qui fratres manibus laborantes nonnumquam redarguebat; & ſolicitudinem illam, tamquam rem ſuperfluam, cauillatus, *Maria*, inquit, *optimam partem elegit, ſedens ſecus pedes Domini.* Itaque horâ cœnæ, de induſtria non vocatur: mirantique, cur præter ſolitum non eſſet vocatus, reſpondit SYLVANVS: *Verè exiſtimabam, tibi qui totus ſpiritualis es, cibo potuque*

tuque opus non esse. Eoque errorem confitente, subiunxit: *Scias igitur Mariam Marthæ etiam ministerio indigêre, auxilioque iuuari.* In Vitis PP.

Marcus Anachoreta.

Hic quoque operi nocturno diurnoque, ab oratione vacans, insudabat. ita vt quibusdam ei eleemosynam offerentibus, diceret; *Minimè accepero: manus enim istæ me nutriunt, & eos qui ad me propter Deum diuertunt.* In Prat. Spirit. cap. 3.

Vide Apophth. de Labore.

ORATIO SIVE PRECES.

Iesus Christus.

Age, sanctarum Precum exempla perscrutemur; vt si quem eadem considerasse non piguerit, imitari etiam non pigeat. Nihil autē in tantum se sequentibus Dominus commendauit, ac Orationem. nam & orandi formam præscripsit, & discipulos suos ad orandum incitauit, dicens: *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, hoc faciam.* Ioan. cap. 14. & 16.

Agathon Abbas.

Ne autem quis puræ Orationi nihil inesse difficultatis arbitretur: rogatus Agathon, cuínam spiritualium actionum plus laboris inesset, respondit; *Precationi. Quia dum illi intendimus, malignus spiritus se nobis plurimùm infestum reddit.* In vitis PP.

S. Fructuosus Episc.

Ab eo verò dum quispiam peteret, pro se apud Deum intercederet, respondit; *Orare necessum mihi pro Ecclesia Catholica passim diffusa. quis enim oret pro singulis? attamen neminem singulorum præterit,*

qui pro vniuersis deprecatur. Cæsar Baron. Aug. de diuers. Serm. 101. cap. 2.

LVDOVICVS EPISC. TOLOS.

Huic item sæpè in ore, cùm de temporis iactura sermo incideret; *Omne tempus perdidisse existimo, quod sine oratione & diuinis contemplationibus consumpsi.* Ex membrana manuscr. Vitæ eius.

S. FRANCISCVS.

Quære Apophth. de MORTIFICATIONE.

S. BERNARDVS.

Sed de iis etiam qui attentũ in oratione animum habuerunt, CLARÆVALLENSIS ABBAS fuit. hunc enim, si templum subiret, quo meliùs orationi inuigilaret, solitum ferunt, apprehenso eiusdem limini exteriorum rerum curas hoc dicto demandare: *Ceteras meas curas tibi committo, donec hac me curâ liberauerim.* Multum enim orationis puritatẽ iuuare insinuabat, si de ea sola cogitet, qui orat. Recensuit ex Nauar. de Orat. inter alia præclara Reuerendiss. Dominus Ioannes Mirẹus Episc. Antuerpien. in insigni sua Oratione, quam ad Clerum suæ vrbis habuit, anno 1608. Fer. 2. Mai. hebdom.

LVDOVICVS PALATINVS

Erat venandi studio deditissimus, & publico edicto districtim cauerat, ne quispiam ceruis aliisque feris nocumentum inferret. Factum autem, vt illis omnia passim vineta vastantibus, querelæ deferrentur ad Proceres, & per eos ad ipsum LVDOVICVM. Dicebãt enim, Nisi edictum hoc mitiges, eris posthac expers precum tui populi. Quo audito ille; *Si ita fore existimatis, malim carere*, ait, *etiam totâ vitâ ferinis ferculis, quàm meorum precibus.* Sciebat sanè, quanta esset puræ Orationis virtus, quæ eò pergit & pene-

penetrat, quò caro peruenire & penetrare nequit. Timoth. Berch. in Orat. Ludouici Principis.

BALTHASAR GERARDI.

Fuit is qui Guilielmo Principi Auriaco necem attentauit, & tulit. Qui, dum quæuis tormenta infracto animo sustineret, rogatus quomodo tantis cruciatibus non succumberet; respondit: *Tantum efficaciæ præstant piorum pro me preces.* In Historia eiusdem.

ORATIO ASSIDVA.

F. ÆGIDIVS MINORITA.

MVltum autem valere apud Deum ORATIONEM iusti ASSIDVAM, testis esse potest D. Iacobus, etiam apud Iudæos sanctitatis opinione celebris. quippe qui in oratione tam feruens & assiduus, vt eius genua quasi callo obducta, & instar pellis camelorum indurata fuisse, Hieronymo auctore referantur. Audiamus ergo quid B. Francisci comes & imitator ÆGIDIVS, de hac orandi perseuerantia se dignum dixerit aliquando. Rogabatur, cui similem existimaret eum, qui ab orando desistit ingruentibus distractionibus mẽtis; *Fugienti è prælio*, respondit. Pugnamus namque in oratione contra hostes nostros, mundum, carnem, & maximè Satanam, qui propterea orantes propositis variarum rerum imaginibus perturbat. Memores itaq; simus illius Paulini Auson. Epist. 15.

Quæ non missa Deo, vacuis in nubibus hærent,
Nec penetrant superi stellantem Regis in aulam.

Sur. tom. 7. in Vita.

IDEM.

IDEM.

Ab eodem etiam profectum accepimus: *Si gratiam in precibus ſentis, ora vt augeantur; ſi non ſentis, ne ceſſes idcirco à precibus. Gratos enim habuit Deus etiam caprarum pilos, qui ei iuxta præceptum legis* (Exodi 25.) *offerebantur.* Ibid.

IDEM

Denique ad orationis aſſiduitatem perſuadendam, iſto ſimili vtebatur: *Cùm primùm plantata eſt arbor, non illico grandeſcit, & fructus profert maturos: neque, ſi eos profert, omnes ab hominibus eduntur. Ita quis ad me fructus redire queat, ſi vel decem annis cæleſtem Regem deprecor pro æterno regno, nec in finem perſeuero?* Nempe anima Deo recōciliata quaſi nouella arbor, non ſtatim bona deſideria producit, & per ea fructificat: nec ſi fructum vllum adferat, illico ad Dei gloriam cuncta operatur. Perſeuerandum itaque in oratione, vt fructum quem optamus, tandem conſequamur. Th. Staplut. Dom. infra Oct. Nat. Dom. in Prompt. Morali.

ORDINIS SACRAMENTVM.

S. EPHREM.

QVemadmodum ad ciuilem Remp. ritè gubernandam, ſemper neceſſarius eſt & fuit ciuilis Magiſtratus: ita ad Spirituale Chriſti in terris regnum decenter adminiſtrandum, etiam ſpiritualis poteſtas ſemper fuit neceſſaria: eamque titulo ORDINIS nuncuparunt veteres. Quam dignitatē, quòd ardua ſit, aſpernati quandoque viri ſancti. & quidem B. EPHREM à Baſilio rogatus, cur, cùm idoneus eſſet, ad ſacrum Preſbyterij ordinem non promoue-

moueretur; reſpõdit: *Quia peccator ſum, & indignus qui tam auguſto muneri deſeruiam.* Sur. tom. 1. in vita Baſilij.

MARCIANVS EPISC.

Admodum verò circumſpectum eſſe oportere in ſacro hoc Senatu ſeligendo, docuit MARCIANVS. qui, cùm Sabbatium quemdam ex Iudæo factum Chriſtianum ad ſacros Ordines admiſiſſet, quem poſtmodũ ambitionis & Iudaici erroris ſtudioſum intellexerat; ſuæ inſcitiæ & leuitatis conſcius, crebriùs ſecum obmurmurabat: *Satius fuiſſet manus in ſpinas miſiſſe, quàm earum impoſitione Sabbatium ad gradum presbyterij deſignaſſe.* Hæc etiam Antiſtitum noſtri temporis lamenta: dum vident eos, quos in ſacrum Senatum coopitulatores adſciuerunt, laſciuientis carnis agitatos furiis, ad ſacrilegorum barathrum, Deo & Fide ſpretis, impiè deflectere, falſam Reformatæ religionis prætexentes imaginem. Socrat. lib. 5. cap. 20.

MARTYRIVS.

Hunc Nectarius ſummo conatu nitebatur promouere in Diaconum: at ille totis viribus renitens, *Ego*, aiebat, *olim ſacri Baptiſmatis factus particeps, in vſu vitæ meæ antiquum ſemper obtinui:* & ita ordinationem non admiſit. Sozomenus lib. 7. hiſtor. cap. 10.

ORNATVS CORPORIS.

PAMBO ABBAS.

DE CORPORIS externo ORNATV cultuque dicturus, illos ob oculos ponam, qui eumdem non ſuperfluum modò, ſed & noxium reputarunt.

Ac de

Ac de PAMBONE quidem narratur, quòd, cùm apud Athanasium Alexandriæ moraretur, fæminam mirum in modum comptam conspicatus, in lachrymas ierit. Interrogatus verò, quid illachrymaretur; *Duæ*, ait, *me causæ mouent: prima, huius mulieris perditio; altera, quòd ego non tantùm coner placere Deo, quantum hæc mundo.* Hist. Trip. lib. 9. c. 1.

S. NONIVS HELIOPOLITANVS.

Haud aliter iste. conspicatus Pelagiam meretricem Antiochenam transeuntem, auro gemmisque ornatam; diu illam intuitus, dicebat: *Quot putatis horas expendit hæc mulier dum in cubiculo se lauat & componit, vt hominum oculis placeat? & (heu) quantulas nos, vt in Dei oculis iusti conspiciamur?* Scitè Terentius: ——— *Nosti mores mulierum:*

Dum moliuntur, dum comuntur, annus est.

Sur. in Vita.

S. EPHREM.

Meritò itaque, & non vanè EPHREM laudabilem hanc protulit sententiam: *In sæculari vita qui suum ornat corpus, & subinde vestimenta mutat, humanam obtinet gloriam: at qui in Religiosa professione ista contemnit, & solùm necessario corporis vsu intendit, gloriam sibi in cælis acquirit.* In Vita eiusd.

ALEXANDER SEVERVS IMPERATOR.

Vide VESTIVM NEGLECTVS.

THOMAS MORVS.

Iungamus his virum clarissimum THOMAM MORVM: qui percontanti, quid de comptulis illis & ad omnium aspectus expositis sentiret; facetè non minus, quàm sapienter, *Quàm multi*, aiebat, *in hoc sæculo eo labore infernum mercantur, cuius vel dimidio cælum lucrati fuissent.* Et verè isto quo obtinet, quod canit

canit de hoc mulierum ornatu & luxu Ouidius:

Auferimur cultu: gemmis auroque teguntur
Omnia: pars minima est ipsa puella sibi.
Sæpè vbi sit quod ames inter tam multa requiras,
Decipit hac oculos Ægide diues amor.

In Vita eiusd. cap. 12.

IDEM

, Matronæ cuidam, quòd se totos dies ornaret, &, vt habet Poëta, Naturę decus mentito mercatoque vultu perderet; dixisse fertur: *Nisi Deus tibi pro hoc tanto labore infernum rependat, magnâ, me iudice, te iniuriâ affecerit.* Ibidem.

Vide Apophth. de VESTIVM LVXV, *&* CONTEMPTV.

OSTENTATIO.

LEO X. PONTIFEX.

OSTENTATIONEM arrogantiamque reprimere non parua laus: eaque claruisse LEONEM X. accepimus. Venerat ad eum nescio quis empyricus, peritiam summam & præsentem podagræ curandæ medicinam penes se esse iactitans. At ille homini illusori illudere etiam volens, rogat num habeat aliquot ducatorum millia, quæ ad menses paucos mutuò sibi det; eoque negante, *Næ tu*, ait, *homo vafer & subdolus. Si enim eam quam prædicas experientiam haberes, crede, me longè diuitiis præcelleres. Ecquis enim in orbe Princeps hoc malo liberari nollet?* & ita planè confusum & conuictum dimisit. Auct. Serm. memor.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Audiebat Bearnenses & Pictones, homines ignobiles

biles & ignauos, cum veris nobilibus de generis ſplendore gloriari; *Atqui*, aiebat, *decem iſtiuſmodi nobilibus, vnicus enſis ſatis ſuperque fuerit.* Annal. Franciæ.

Require CASTIGATIO, SVPERBIA, *&c.*

OTIVM.

MONACHI ÆGYPTI.

NAtura humana vt improbo labore inſtruitur, & quaſi gubernatur; ita torpenti OTIO deſtruitur, & velut infatuatur. Nónne

Cernis vt ignauum corrumpant otia corpus,
Et capiant vitium ni moueantur aquæ?

Hinc vetus illa diſciplina monâſtica, OTIVM vt diaboli puluinar, ſumma cura vetabat. Qua de re ita Caſſianus: Per Ægyptum, ait, Patres nullo modo otioſos eſſe monachos, ac pręcipuè iuuenes, ſinunt; actum cordis & profectum patientiæ ex humilitatis ſedulitate metientes. Itaque erat apud eos celebre hoc dictum: *Laborans ab vno, otioſus ab infinitis oppugnatur dæmonibus.* Statuat igitur Chriſtianus adoleſcens omni ratione otium effugere, & optimis occupationibus vitam tranſigere, ne pòſt, vt quidam ait, & nimis ſerò,

— doleat ſtultos præteriiſſe dies.

Refert Guilielm. Baldeſanus in Stimulis virtutum, lib. I. cap. vlt.

RELIGIOSVS ANONYMVS.

At veriſſimum etiam eſſe illud Ethnici,

Otia ſi tollas, periêre Cupidinis artes.

inſigni exemplo deſcribit Hieronymus, quod hîc totidem verbis adſcribam. Græcus adoleſcens erat in cœ-

in cœnobio, qui nullâ abstinentiâ, nullâ operis magnitudine flãmam poterat carnis extinguere. Hunc periclitantem monasterij Rector hac arte seruauit. Imperat viro cuidam graui, vt iurgiis atque contumeliis eum insectaretur, & post irrogatam iniuriam primus veniret ad querimoniam. Vocati testes pro eo loquebantur, qui iniuriam intulerat: flere ille contra mendacium. Quid multa? ita annus ductus, quo expleto, interrogatus adolescens super cogitationibus pessimis, an adhuc molestiæ aliquid sustineret; *Papæ!* inquit, *viuere non libet, & fornicari libeat?* Hieron. Epist. ad Rusticum.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

At quàm grata aliquando honesta à seriis curis animi relaxatio (neque enim Apollo semper arcum tendit) declarauit egregius Princeps ALPHONSVS. Cui dum quasi ignauiæ exemplum ostenderent rusticum humi recubantem, & vuas comedentem; *Vtinam*, aiebat, *mihi isto otio comedere datum à Diis esset.* Ita olim Ptolomæus Rex cùm se immortalitatem reperisse iactitasset, tandem podagra excruciatus, visis Ægyptiis qui ad flumen proni accubabãt; Vtinam, aiebat, vnum ex eis esse mihi datum! Panorm. de Dict. Alph.

PROBVS IMP.

Aliter ante eum PROBVS IMP. Ille armatum militem otiosum esse numquam passus. dicebat quippe: *Annonam gratuitam miles comedere non debet.* Iac. Spieg. in Æn. Syl.

Vide LABOR. OPERA MANV EXERCENDA.

PARENTVM AMOR.

FERDINANDVS REX NEAPOL.

VEniant nunc in manus noſtras proſpera PARENTVM VOTA, felicibus auſpiciis propagatæ ſoboles,quæ efficiunt vt aliquãdo & genuiſſe & genitum eſſe delectet. Quid enim FERDINANDVM eloquar? qui tanto ſui parentis detinebatur deſiderio, vt crebriùs diceret: *Nihil mihi grauius euenire poteſt, quàm quòd aliquando maiorum rerum occupatione præpeditus,patri adeſſe non poſſim.* Pont.lib.2. cap. 3. de Obedientia.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Magnus quoque eodem in regno & re ALPHONSVS. Succeſſerat Ferdinando legitimus regnorum heres, cui eam vicem & obedientiam,quam ille ſuo parenti olim,rependit. Peregrè aduenienti obuiam progreſſus,quòd eum vtpote minùs valentem lecticâ vehi aduerteret,equo deſiliit,ac pedibus comitatur. monenti autem patri, aliorum procerum more equo conſcenſo adequitaret, reſpondit: *Aliis liberum ſit agere quod voluerint: ego numquam adducar, quin Regem,quin patrem,& eum ægrotum,pedibus ſequar.* Panorm. lib. 2. de Geſt. Alph.

SFORTIA FRANCISCI FILIVS.

Eadem pietas Iuniorem SFORTIAM, vixdum annos pubertatis egreſſum, impulit; vt patrem quem viuum ſummo ſemper honore fuerat proſecutus, etiam mortuum,& in imagine expreſſum, honoraret. Erat in extremas anguſtias ab hoſtibus redactus,dumque anxius huc illuc voluitur, & nequicquam militem ſuum vocat, patris effigiem (quæ

forte

fortè in conſpectu) intuitus; *Ecquid*, exclamat, *diue parens degeneres erimus? & hoſti ſine conflictu cedemus? Audendum potiùs*. dictóque citiùs, in hoſtem glorioſus irruit. Gaguin. De reb. Gall. in Appen. de Lud. XII.

PARENTVM DE LIBERIS CVRA.

Edovardvs II. Angl. Rex.

ÆMulatus hanc pietatem, non vt priores illi in parentes, ſed in filium Edovardvs. qui cum Philippo Franciæ rege manus conſerens, dum filium in prima acie acriter vrgeri intelligeret; *Ne*, inquiebat circumſtantibus, *hodie à me ſubſidium poſtuletis, quamdiu filius adhuc ſuperſtes. Volo vt nunc virtutis ſuæ ſpecimen edat, atque victoriæ laus omnis penes eum ſit*. Tam glorioſum reputabat talem habere filium, qui pro patria libertate ſuum latus hoſti opponeret. Froſſard. hiſt. Gall. lib. 1.

Babo Apensbergensis Baro.

At memorabile, quantam filiorum curam geſſerit paternâ pietate motus Babo. Habebat numeroſam ſobolem, ita vt ex duabus vxoribus legitimis duos & triginta filios atque octo filias ſuperſtites poſt ſe relinqueret. Cùm ergo Henricus Cæſar ſub annum 1015. animi cauſa aucupium inſtituiſſet, Babonem inuitauit, paucis equitibus præſens etiã adeſſet. Ille oportunitatẽ ſe nactum arbitratus, vt filios Cæſari commendaret, iuuenes ſcitos & probè inſtructos ornat, & cuique comitem adiungit, talíque filiorum comitatu ad Imperatorem venit. Qui, viſa ea multitudine, rogat quaſi indignabundus Babo-

NEM, cur, cum paucis venire iussus, tot equites adduceret; ille, *Non sunt equites, Auguste*, inquit, *quos tua Maiestas conspicatur, sed tui famuli, mei filij legitimi, quos eidem T. M. exhibeo, dono, consecro. eosque, vt ingenuam decet sobolem, maxima cura educaui.* Imperator singulos appellat, dextra & osculo excipit, filios nuncupat, secum consistere in aula iubet, omnesque paulatim stipendiariis prędiis, castellis & vicis, locupletauit. Hieron. Zeigler. in Hist. Illust. vir. Germ.

Quære CONFESSIO PECCATORVM.

BLANCA FRANC. REG.

Neque mulierum hîc laudem detrecto, aut earum gloriam inuoluo. Sunt & inter has, quamuis rariores, quæ hac virtute polleant. Facem ceteris præfert BLANCA Ludouici istius mater: quæ, dum optimis moribus filium instituisset, quandoque dixisse fertur: *Malim, ô fili, te vita priuatum, quàm vlla virtute relicta, vnum lethale peccatum perpetrantem.* Imitentur hanc omnes matres, quarũ nimis blanda hoc æuo (proh dolor!) segnes facit indulgentia natos. Ionuil. in vit. Lud. cap. 3.

MVLIER ANONYMA.

Iungat se illi Christophori Lusitani arcis Diensis Præfecti PARENS. Quæ, dũ filium glande ferrea ab hostibus ictum conspicaretur, nihil habuit maius, quàm vt salutis suæ curam gereret. adductoque Cõfessore, siccis oculis ac vultu placido; *Tu fili*, ait, *clementis Dei veniam fidenter implora: teque in hoc transitu virum præbe. vnicum hoc mihi in hac orbitate solatium.* I. Maffeus hist. Ind. lib. 11.

Require EDVCATIO. ADMONITIO.

PAR

PAR PARI RELATVM.

PAMBO ABBAS, & PIOR MONACHVS.

SEd artem etiam arte delusisse, in re præsertim minùs seriâ & sine felle, quibusdam laudi datur: & quidem inter illos PIORI MONACHO. Cùm enim hic ad PAMBONEM visendi gratia venisset, propriũ secum panem detulit. Rogat ille cur id faceret; *Ne*, inquit, *aduentus meus tibi grauis sit.* At memor illius PAMBO, dum post multum temporis PIOREM inuiseret, panẽ obsonio aut iure intinctum, qui famem simul & sitim sedaret, adfert. indignantique PIORI, *Hoc egi*, ait, *ne aduentu meo te quidquam grauem.* Pallad. in vit. PP.

ANGLI ANONYMI, & SALOMON IVDÆVS.

Lectu audituque iucundum quod subiungo. Erat in Anglia SALOMON quidam, gente Iudęus. hic dum fortè Sabbato in cloacam cœno oppletam cecidisset, & aduenirent qui suppetias ferrent; noluit eo die religionis ergô extrahi. dicebat enim,

Sabbata sancta colo, de stercore surgere nolo.

Audit MAGISTRATVS loci, & superstitiosum hominẽ etiam postero die (qui Dominicus erat) extrahi vetat. ac suppetias inclamanti, responderi mandat:

Sabbata nostra quidem SALOMON *celebrabis ibidẽ.*

Annal. Angl. Th. Staplut. in Prompt. Morali.

LVDOVICVS XI. FRANC. R.

Prioribus iungi meretur quod de LVDOVICO XI. tradunt scriptores. Viderat è Proceribus quidam LVDOVICVM pro rapo sibi à rustico oblato mille aureos donasse: & beneficium fœneraturus, equum dono dedit. Suscipit eum REX, & rapum pretiosâ

 sindone

ſindone inuolutum, rependit, adiiciens; *En mille aureis coëmptum rapum: quod equum tuum, vix centum adæquantem, longè præcellit.* Corozet.

IANVS LASCARIS, & GALLI ANONYMI.

Cum Romanam ſupellectilē augeret Iulius Pont. Gallos in vniuerſum Micturiuingos, quaſi immodicos vini potores, per iocum appellabat. Quò factum, vt GALLICI POETÆ ita in eum luderent:

Patria cui Genua eſt, genetricem Græcia, partum
Pontus & vnda dedit: quî bonus eſſe poteſt?
Sunt vani Ligures, mendax eſt Græcia, Ponto
Nulla fides: malus eſt, hæc tria quiſquis habet.

At IANVS LASCARIS Poëta ſui æui celebris, vt Iulio gratificaretur, ilicò hos retorſit:

Eſt Venus orta mari, Graiûm ſapientia, ſolers
Ingenium eſt Ligurum: quî malus eſſe poteſt?
Cui genus vt Veneri, à Graiis ſapientia, ſolers
Ingenium à Genua eſt? Mome proterue tace.

P. Æmil. in vita Ludouici XII. Gall. R.

Require Apophth. de PERFIDIA & ARTIVM CONCERTATIONE.

PASQVILLVS.

ADRIANVS VI. PONTIFEX, & LVDOVICVS SVESSANVS.

AD PASQVILLVM deducimur, cuius ſtatua, Romę potiſſimùm, omnium rerū nouarum, licet remotis arbitris fiant, & dicteriorū ferax. Quare quòd in ea toties famoſis carminibus laceraretur, indignatus eſt ADRIANVS PONT. eamque demoliri & in Tiberim coniici mandabat. at negabat id facto fore vtile LVDOVICVS SVESSANVS. dicebat enim

enim: *Pasquillus etiam ranarum more in imo vado non erit tacitus. Ergo*, inquit PONT., *exuratur in calcem. Rectè id quidem*, intulit SVESSANVS: *sed tam crudeliter necato Poëtæ clientes non deerunt, qui Patroni cineres inuidiosis carminibus prosequantur, & supplicij locum quotannis concelebrent.* quibus verborum lusibus, Pontificis mentem sedauit. Pont.

ANONYMVS.

Non ineptè itaque quispiam conspicatus PASQVILLVM, tamquam clandestinum internuntium, minuta quæque aulicorum delicta suo dorso exhibere legenda, dixit: *Cùm hîc loquendi libertas adempta sit; mirum, lapideis statuis, cuncta etiam occultissima enuntiantibus, obturari os non posse.* Phil. Camerar. cap. 66. Medit. histor.

PASSIO CHRISTI.

S. ELEAZARVS COMES.

RECOLIMUS modò illud quod in omni pressura & afflictione securitatis portũ prębet, PASSIONEM CHRISTI; quã vltrò pro nobis subiit, vt ex filiis iræ nos suæ glorię redderet cõparticipes. ELEAZARI Comitis miram in omni aduersitate patientiam mirata vxor, cùm quęreret quomodo toties offensus nullum offensionis signum daret; hoc ab eo responsum accepit: *Noueris me sentire aliquando indignantis animi motionem: sed ilicò ad cogitandã Christi passionem mentem verto, quæ sanè longè eam superat, quam hîc sustinemus.* Veram mentis tranquillitatem docebat, iugem Dominicæ passionis memoriam. Et vt dicit Greg. in Epist. Nihil adeò graue, quod non æquanimiter toleretur, si Christi passio

ad mentem reuocetur. Sur.in Vita,tom.5.cap.23.

IDEM

Dum ad eum diutiùs absentem irrequieta quemdam è domesticis mitteret vxor, qui de rerum omnium & salutis potissimùm successu inquireret, responsum hoc dari mandauit: *Sanus corpore sum & sospes. Si autem videre me desideras, quære in vulnere lateris Christi: illic habito; ibi me inuenies, frustrà alibi quæsitura.* Ibid. cap. 30.

ZACHARIAS EPISC. HIEROS.

Quo autem corporis habitu passionis Dominicę mysteria & instrumenta pertractanda sint, docuit in Heraclio Imp. ZACHARIAS. Heraclius namque, dum Crucem, in qua Dominus suspensus, humeris ferret, vt in mõte Caluariæ loco sibi proprio collocaret; in vrbis Hierosolymitanæ portis, quasi fixus stetit & immotus. obstupuit. At ZACHARIAS, *Vide*, ait, *ô Imperator, ne isto triumphali ornatu* (erat enim auro gemmisque decorus) *parum Iesu Christi paupertatem & humilitatem in ferendâ cruce imitêre.* Tum dimisso eo cultu, & plebeio assumpto, reliquũ viæ perfecit. Paul. Diac. lib. 18.

S. ELISABETH REGIS HVNG. FILIA.

Miremur hîc, & rimemur puerilis animi prudentiam, verè non annorum numero, sed pietatis officiis computãdam. Vix annos expleuerat pubertatis, & numquam ad templum procedebat, quin coronam capite amoueret: ac tãdiu inglorium verticem ostendebat, quoad ritu sacrorum completo, domum regrederetur. percontantiq; huius rei causam matri Sophię, & id temerè fieri dicenti, respondebat: *Absit à me tanta impietas, vt ibi caput meum turrito micantis coronæ fastu superbiat, vbi caput Sal-*

uatoris

uatoris mei spinis coronatum compungitur. Ita diuina charitas in casta puellaris animi præcordia, Dominicæ passionis contẽplatione, veluti mucrone quodam vulnus agere cœpit. Sur. tom. 6. in Vita.

THOMAS MORVS.

Meritò hîc etiam celebrandus MORVS. qui, cùm ad supplicij locum pergeret, & ad calicem Domini bibendum properaret, trãseunti mulier vinum obtulit. quod recusans, *Christus*, ait, *in passione non vino, sed felle potatus est*. ita pium, & iam iam hinc emigraturum spiritum, passionis Dominicę meditatio perculit. Th. Staplut. in Vita, cap. 20.

PATIENTIA INIVRIÆ.

S. APOLLONIVS.

VT proprium Christiani hominis est non inferre iniuriam, ita etiam illatam non vlcisci. neque aliud est quod sic animi tranquillitatem conciliet atque conseruet, vt iniuriarum omnium stabilis & firma toleratio. Mancipatus carceri APOLLONIVS, dum contra omnem æquitatem à Philemone variis afficeretur tormentis, nihil aliud dicebat, quàm, *Fili misereatur tui Deus, & nihil horum quæ in me es oblocutus, tibi reputet ad peccatum*. In Vit. PP.

LVPVS EPISCOPVS.

Ille, Attila ciuitatem Trecasinam obsidente, interrogauit quis eam ita armis lacesseret; vbi accepit esse Attilam flagellum Dei, ingemiscens ait: *Et ego* LVPVS *vastator gregis Dominici, dignus flagello eius*. portasque pandi iussit. Ingressi hostes nullum hostilitatis edidêre signum: & ita factum, vt qui se

 dignum

dignum flagello confeſſus fuerat, à flagello liber eſſet. Sur. tom. 4.

S. GREGORIVS PONT.

Et hunc ne ſumma quidem dignitas ad iniuriæ impatientiam compulit. Mauricio enim Auguſto, filiiſque eius ſe perſequentibus, dicebat: *Quoniam ego peccator ſum, vos tanto magis (vt opinor) Deũ vobis conciliatis, quãto magis me illi ignauiter ſeruientem affligitis.* Sic tandem quem armis non poterat, patientiâ vicit. In vita Greg. lib. 4. cap. 17.

B. IGNATIVS LOYOLA.

Quid verò omni pietate & religione inſignis IGNATIVS? Rogabatur, quęnam eſſet maximè compendioſa ad perfectionem via; reſpondit: *Si multa Chriſti nomine patiâre.* Sciebat beatos fore eos, qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam. & quòd

Nobile vincendi genus eſt Patientia: vincit
Qui patitur. Si vis vincere, diſce pati.

Ribadin. lib. 5. cap. 10. Vitæ eius.

ROBERTVS NORMANDIÆ DVX.

Referamus nunc eos qui hac virtute in ciuili ordine illuſtres exſtitere. Pergebat religionis ergô in terram ſanctam ROBERTVS DVX NORMANDIÆ. dumque à ſuis remotior cum homine agreſti altercaretur, tandem ab eo vapulauit. quod conſpicati comites, vlciſci parant. Ille, *Nolite*, clamabat, *quia has plagas merito meo accepi.* indignum iudicans eo loco vlciſci iniurias, vbi Chriſtus tantas ſponte pro nobis toleraſſet. Pol. lib. 8.

LVDOVICVS XII. GAL. REX.

Et hunc Aurelianum adhuc Ducem impunè iniuriis conuitiiſque lacerarunt nobiliores quidam. dumque vt ſe de illis vlciſceretur, iam regni ſceptra

tenens,

tenens, instarent nonnulli; respondebat: *Parum decorum esset Regi Galliarum, iniurias illatas Aurelianorum Ducibus vlcisci.* Egregiè in Soliloquiis Isidorus: Magna est virtus, si non lædas à quo læsus es. Magna est fortitudo, si etiam læsus, remittas. Magna est gloria, si cui potuisti nocere, parcas. P. Æmil. in Vita.

Ferdinandvs Imperator.

Intellexerat ille quemdam, cui plura beneficia contulerat, & multis nominibus sibi deuinxerat, à se defecisse. & nihil commotus, *Miror,* dicebat, *virum tantum se maioribus suis indignum reddidisse.* eoque dicto, quidquid commissum erat, dissimulabat. Pont. de Principe.

Nobilis matrona Alexand.

Hæc è pectoribus altis & fortibus orta sunt. Illud tamen non minùs laudabile, quod muliebris animus pręstitit. Frequentabat Antistitis Athanasij domũ Matrona nobilis, importunè rogitãs sibi concedi vnam ex iis viduis, quæ Ecclesiæ impensis alebantur, cui posset benefacere. cumque ea daretur postulanti, quæ inter illas moribus & modestiâ præcellebat; queri cœpit, non esse datam ex animi voto. Ea itaque dimissa, aliam recipit: & simul ab eâ contumelias & verbera. quam tamen libenter sufferens, gratias agebat Athanasio, dicens: *Tandem delegi contubernalem; cui pro malo bonum, pro iniuria beneficium, reddere assuefaciam.* Cassianus.

S. Pavla.

Et Pavla Gracchorum stirpe nobilis, vitæ innocentia nobilior, cùm audisset se stultam quorumdam iudicio reputari; *Theatrum*, inquiebat, *facti sumus mundo, & angelis, & hominibus: nos stulti propter*

pter Christum: sed stultum Dei sapientia est hominibus. Hier. in Epitaph. Paulæ.

PATIENTIA DOLORIS.

S. VINCENTIVS.

HAud minùs exiguum virtutis opus, aduersas valetudines, quoties in eas inciderimus, æquo animo sustinere. Referamus ergo exempla eorum, qui hac virtute præditi fuêre, eaque ex multis pauca. Habuit autem hanc gloriam VINCENTIVS, qui in mediis tormentorum cruciatibus, Tyranno insultans; *Insurge*, aiebat, *& toto malignitatis spiritu debacchare: videbis me Dei virtute plus posse dum torqueor, quàm possis ipse qui torques.* Quod animosum dictum probauit euentus, dum Tyrannus post tot in vnum corpus inflicta tormenta fateretur, Victi sumus. In Vita eiusd.

S. LAVRENTIVS MARTYR.

Et quænam vis illa fuit, quâ succensus LAVRENTIVS affligenti se Tyranno dicebat: *Infelix, has epulas ego semper optaui.* cumque in craticula subiectis prunis assaretur, inuicto animo flammarum sustinens violentiam, admirandam hanc vocem emisit: *Istæ flammæ mihi refrigerium præstant.* Meritò itaque eum deprecatura canit Ecclesia; Da nobis Domine vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui B. Laurentio tribuisti tormentorum incendia superare. In Vita apud Surium.

BENIAMIN ABBAS.

Laborabat hic intolerabili hydropis dolore. cumque præsentes eius cruciatũ fixis oculis intueri non possent, dixit: *Orate, ne interior meus homo hydropicus*

picus sit. Hoc enim corpus, neque cùm benè se habuit, mihi profuit; neque cùm malè, me læsit. Pallad. in Hist. PP.

STEPHANVS ABBAS.

Ille item, dum ope medicorum incurabili morbo affligeretur, ac putrida membra inciderentur, mutato vix vultu, cùm adstantes aspicere vix possent præ angore; *Ego*, inquiebat, *noui hos morbos ob peccata accidere: & melius hîc pœnas soluere, quàm æterna pro iis supplicia sustinere.* Sozom. Hist. Trip. lib. 8. cap. 1.

Require MARTYRIVM *&* MORBVS.

PATIENTIA DAMNI.

IESVS CHRISTVS.

Rerum etiam iactura fortiter ferenda est, cùm nihil sine Dei nutu euenire mortalibus queat. Ad seruandã eiusmodi patiẽtiam adhortabatur nos DOMINVS, cùm diceret: *Ab eo qui aufert tibi vestimentũ, etiam tunicam noli prohibere.* nè scilicet, magis irrites raptorem, & in tui necem accendas. *Et qui aufert quæ tua sunt, ne repetas.* id est, paratus sis potiùs damnum aliquod perpeti, quàm vt cum scandalo proximi repetas. Luc. cap. 6.

S. BERNARDVS.

Quid autem Clarçuallensis Abbas BERNARDVS? Ablata erant ducenta argenti pondo, sibi ad impensas construendi cœnobij missa. quod cùm ad eum deferretur; *Gratias*, inquit, *Deo ago, quòd tanto me onere leuarit.* Summæ temperantiæ index ea vox, apud paucos hoc æuo recepta. Marul. lib. 5.

SENEX ANONYMVS.

Cùm venissent ad eum latrones, dicerentque: Ecce omnia tua venimus tollere. ille: *Quæcumque filÿ vobis videntur, tollite.* quo facto, abierunt. cumque solùm marsupium reliquissent, eo accepto, SENEX Dominici præcepti memor, illos insequitur, & inclamat: *Accipite etiam illud quod tollere obliti estis.* Redeunt, & ablata restituunt. Quàm verum illud Gregorij sup. Epist. ad Heb. Nihil ita confusionem facit ingerenti mala, sicut fortis tolerantia patientis, & neque in verbo neque in opere reddere vindictam. Prat. Spirit. cap. 211.

PATRIÆ AMOR.

ROBERTVS NEAPOL. REX.

NEscio qua NATALE SOLVM *dulcedine cunctos*
Ducit, & immemores non sinit esse sui.

cecinit olim Ouidius. & verè ita se habere suo exemplo fidem fecit ROBERTVS REX. Vt enim erat clementiâ & benignitate in suos inenarrabili, crebriùs hanc vocem vsurpabat: *Malim benigni amantisque patriæ, quàm pecuniosi & imperiosi regis nomen.* Hinc ille versus ei Romæ sub effigie inscriptus:

Aspice Robertum, patria virtute refertum.

P. Iou. lib. 1. Elog.

FARINATA VBERTVS NOB.

Quo tempore Guelphorum & Gebellinorum in Italia factiones calebant, inito consilio decretum, vt Florentia suis muris exspoliaretur. nõ tulit diræ sententiæ nomen vnus FARINATA, vir nobilis: qui acriùs in eius auctores insurgens, *Sit*, inquiebat, *veræ virtutis præmium incolumis patria, vti decet, ex*

æquo

æquo omnium parens : cui nemo nisi degener atque impius , manus iniecerit. Pari modo Fabius ad filium apud Silium Italicum effatur:

Iamque hoc,nec dubites , longæui nate parentis
Accipe,& æterno fixum sub pectore serua.
Succensêre nefas patriæ: nec fœdior vlla
Culpa sub extremas fertur mortalibus vmbras.

Ibidem.

MICHAEL MOVROCENVS

Dignus sanè longiori æuo. Venerat ex Syria, vbi amplissimas opes coaceruarat, in Rhodũ insulam. quò cùm appulisset, intellexit Venetos in summo versari discrimine.Itaque monent amici aliò se cum thesauro congesto reciperet. At ille indignatus, *Egon'*, ait, *tantum scelus audeam, vt desim patriæ, tam grauiter laboranti ? quin potiùs quidquid est fortunarum,in eam lubens impendam.* quod etiam ipso facto præstitit. Ruminabat illud Horatij:

Dulce & decorum est pro patria mori.

Quin vt doctè Ouidius:

Non dubia est Ithaci prudentia , sed tamen optat
Fumum de patriis posse videre focis.

Egnat. lib.6. cap. 5.

PATRIÆ INGRATITVDO.

IESVS CHRISTVS.

AT PATRIÆ INGRATITVDINEM intuentibus, vix in mentem venire potest debita aliàs illi gratitudo. dum enim Patria fragilis recordatur infantiæ,pręsentia suorum opera virtutesq; non considerat. Numquid multa præclarè Nazarethi dixerat & fecerat DEI FILIVS ? quid nihilominus conciues?

ciues? Vnde huic ſapientia & virtutes? nónne hic eſt fabri filius? &c. & ſcandalizabantur in eo. At reſpondens ille, ait: *Non eſt Propheta ſine honore, niſi in patria, & in domo ſua.* Inſinuabat autem virtute & ſcientia celebres, nullo in pretio inter agnatos & conciues reputari, ac ſolùm eos æſtimari, qui è longinquo adueniunt: quamuis aliquando,

Veruecum in patria craſſoq; ſub aëre nati.

Tales enim ſunt hominũ affectus, vt nouitate gaudeant, & domeſtica plerumque contẽnant ac faſtidiant. Audiamus iudicium Euripidis verè hac in re ſerium. ait enim:

Meo quidem iudicio non rectè ſapit,
Qui ſpretis Patriæ finibus terræ,
Alienam laudat, & moribus gaudet alienis.

Matth. cap. 13.

PAVPERTAS.

IESVS CHRISTVS.

DIximus qua patientia viri ſancti pro CHRISTO perſecutiones perpeſſi: nunc quo animo PAVPERTATEM, Sapientiæ & bonarum artium magiſtram & veram alumnam, tolerauerint, pertractemus. VNIGENITVS DEI FILIVS, Patri conſubſtantialis, cum quo omnia quæ in cælo & in terra dirigebat; voluntariam tamen paupertatem, vt & nos ad eã induceret, ſuſcepit. Quare cùm ſecedentem trans lacum Genezareth ſequi vellet quocumque ierit, Scriba, eò quòd terrenum eum regem ac præpotentem fore exiſtimaret; vanam de ſe opinionem redarguens, dicebat: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; Filius autem hominis non habet,* *vbi*

vbi caput reclinet. quaſi dicat, tantum abeſt, vt me magnum regem opineris. Matth. cap. 8. Luc. 9.

S. HIERONYMVS.

Ille de paupere & aſpero Pauli Eremitæ veſtitu, quoties verba faciebat, toties in hanc vocem erupiſſe commemoratur: *Si Dominus mihi optionem daret, multò magis eligerem tunicam Pauli*, (quam ipſe ex palmę foliis ſibi contexuerat) *cum ſuis meritis; quàm Regum purpuram, cum ſuis pœnis*. Colligitur ex eodem, in vita Pauli.

S. HILARION.

Quantum verò nimiam rerum cupiditatem cauerit vnicum ſanctitatis exemplar HILARION; patet ex iis quę diſcipulo ſuo Heſychio teſtamēto moriens legauit: *Diuitiarum*, inquiebat, *mearum heres eſto. Hæ autem ſunt Euangelium, tunica ſaccea, cuculla, & palliolum*. qui tenuitatem illam diuitias ſuas vocat, ſatis declarat, quàm ab earum amore ſemper fuerit alienus. Collig. ex Vita eiuſd. apud. Hier.

S. FRANCISCVS.

Paupertatis etiam voluntariæ voto ardens MINORVM PATER, dum quòd in pauperes eſſet profuſior, à patre vrgeretur coram Epiſcopo Aſſiſinate bonis cederet; veſtimenta exuit, iiſque in patrem reiectis, cùm planè nudus conſiſteret, dicebat: *Huc vſque pater te patrem indicaui in terris: amodò ſecurè dicere poſſum: Pater noſter qui es in cælis, apud quem omnes theſauros repoſui*. Iam enim tacitus cum Propheta gloriari videbatur: Ego mendicus ſum & pauper, Dominus ſolicitus eſt mei. Bonauent. cap. 2. Vitæ eius.

IDEM.

Requirentibus ab eo fratribus, quænam virtus

amicum magis redderet Christo; secretum sui cordis reserans, *Paupertatem*, inquiebat, *fratres, noueritis viam spiritualem salutis, tamquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem: cuius fructus multiplex, sed occultus.* Pręclarè apud Senecam Thyestes:

——— Bene paupertas
Humili tecto contecta latet.
Quatiunt alta sæpè procellæ,
Aut euertit fortuna domos.

Sur. tom. 5. in Vita.

S. LAVRENTIVS MARTYR.

Quid te martyrum decus eloquar? qui postulanti Decio thesauros Ecclesiæ, quos tuæ fidei commiserat Sixtus, post trium dierum inducias, pauperibus quibus eos dispensaueras adductis, dicebas: *En hi thesauri Ecclesiæ, quos requiris, in quibus Christus est.* insinuans quod alibi Dominus: Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Alois. in Vita. Ambros. 2. Off. cap. 28.

S. LYDWINA.

Sed aliquantum longiore ductu protractus sermo nunc admonet, etiam fæminis locum demus. Grauissimum paupertatis onus, non forti modò, sed hilari etiam animo, tulit LYDWINA. adeò vt quibusdam eius penuriam reprehendentibus, responderit: *Satis abundat, qui eo quod habet contentus est: & si mihi cum hominibus communes non sunt diuitiæ & delitiæ; sunt tamen cum multis communes paupertas & miseria: quibus ego abundans, Deo gratias ago, & conquiesco.* F. Ioan. Brugman. in Vita. Lippel. tom. 2.

Vide ELEEMOSYNA.

IN PAVPERES LIBERALITAS, ET DVRITIA.

IESVS CHRISTVS.

QVanta autem virtus, eorum qui ad inopiam redacti paternam curam gerere, vel ex eo patet, quòd ſine ea CHRISTVM vix ſequi poſſimus. vtpote qui diuiti illi, ſe omnia mandata à iuuentute obſeruaſſe aſſerenti, vt vitam æternam magis certâ & compendiosâ viâ obtineret, præcipiebat: *Vnum tibi deeſt: vade, quæcumque habes vende, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cælo: & veni, ſequere me.* Mar. cap. 10. Luc. 18. Mat. 19.

S. IOAN. PATRIARCHA ALEX.

Quanto autem ſtudio Domini præcepto ſe conformare conatus eſt IOANNES PATRIARCHA? Miſerat ad eum dono quiſpiam, miſeratus lectuli in quo decumbebat tomentum, plumeam culcitram. in quâ cùm decubuiſſet, totâ nocte ingemuit: ac mœroris cauſam inquirenti; *Quia*, inquit, *molliùs iaceo, quàm domini mei.* hoc enim nomine pauperes dignabatur. Itaque primo mane culcitram vendi mandat, & in dominos ſuos pretium erogari. At qui dono miſerat, ab emptore redemptam remittit: cumq; id iam tertiò fieret, ait ad eũ PATRIARCHA: *Gratias Deo ago, quòd inituri ſimus certamen, diuiti ſalubre, pauperi commodum, mihi iucundum.* Sciebat enim melius eſſe modicũ iuſto, ſuper diuitias peccatorum multas. Metaph. in Vita.

ANONYMVS RELIGIOSVS.

Narrant de eo, quòd, cùm præter Euangeliorum codicem haberet nihil, eum vendiderit, ac obuio

pauperi eius pretium donauerit, dicens : *Ipsum iam vendidi, quod mihi dicit assiduè; Vende omnia quæ habes, & da pauperibus.* Socr. lib. 8. Hist. Eccl. c. 1.

S. IOAN. PATRIARCHA ALEX.

Deducit me aliò tendentem rursus ad se IOANNES PATRIARCHA: qui crebriùs pauperes suæ vrbis in catalogum redigi imperabat. dicebat autem ministris ; *Ite per vrbis vicos, & describite sigillatim dominos meos.* qui cùm exeuntes dubitare inciperent, quínam illi domini forent, dixit: *Illi, quos vos pauperes dicitis & mendicos; ego dominos & adiutores appello : nam ij soli opem mihi ferunt, vt à Christi regno non excidam.* Egregiè August. Via cæli est pauper, per quem venitur ad Patrem : incipe erogare, si non vis errare. Sur. tom. 1. in Vita.

S. RICHARDVS.

Neque tamen expectandum, vt subuenias pauperi, donec ipse te solicitet, & quasi egestate sua prouocet; testis est RICHARDVS. In omnes enim beneficus, egenos quosuis ad accipiendũ à se quidquam inuitabat : rogatus autem cur id faceret ; respondit: *Quia carè emitur, quod precibus emitur.* O miserabilis conditio mendicantis ! (inquit Iun. de cond. fragil. hum.) si petit, pudore confunditur: si non petit, egestate consumitur : & vt mendicet, inopiâ compellitur. Sur. tom. 2. in Vita.

S. ELZEARIVS COMES.

Verùm ad hanc cum proximo nostro misericordiam summoperè incitare nos debet, quòd qui eam facit, à Deo etiam iusto quodam titulo misericordiam exposcat. Docet id S. ELZEARIVS COMES: nam cùm die quodam plures auri vncias, & pannum coccineum, oblata munera, repudiasset; ingressus

greſſus cubile, vt animum pia meditatione colligeret, huiuſcemodi verbis vſus dicitur: *Tu mihi Domine Deus in Paradiſo debes centum auri vncias, & duos pannos coccineos*. Hanc fiduciam nos docet Eccleſiaſt. Benefac iuſto, & inuenies retributionem magnam; etſi non ab ipſo, certè à Domino. Sur. tom. 5. in Vita.

S. ELIZABETH REG. PANNON. FILIA.

Verùm ne fœminę ſua laude hac quoque in parte fraudentur, vnum aut alterum exemplum ab eis ſumamus. PANNONVM REGIS FILIA, & Turingiæ Principi iuncta, nihil niſi paupertatem in tanto ſplendore affectabat. vnde vnicâ contenta ancillâ, & habitu populari, dicebat ſæpiùs: *Numquam alio vſura ſum; ſi quando tandem dignatus fuerit pius Dominus, expeditiùs viuendi mihi copiam concedere*. Itaque marito vita functo, omnem ſubſtãtiam in pauperes impendit; *Parum eſt*, inquiens, *fortunas pro Chriſto, qui eas dedit, impendiſſe*. & ſe totam egenorum miniſterio dedicauit. Conrad. in Vita.

S. LVCIA VIRGO ET MART.

Quid autem ſedula hæc membrorum Chriſti nutrix LVCIA? Matrem Euriciam ad erogandas in pauperes facultates inclinabat. Illa verò finem vitæ ſuæ expectare eam iuſſit. At hæc: *Non eſt admodum Deo gratum munus, quod qui offert, ideò offert, quia illius vſum ſuprema ſibi interdicit dies. Da dum ſana es; ne, ſi moriens dederis, inuita dediſſe dicaris*. Sur. tom. 6. in Vita.

S. CATHARINA SENENSIS.

Neque hoc loco prætereunda eſt CATHARINÆ SENENSIS erga pauperes prouidentia. Hæc enim, dum ex putida farina, eaque modicâ admodũ, plu-

res & sapidos panes propriis manibus confecisset, & miraculi causam Raimūdus, cui de more sua peccata confitebatur, interrogaret; hanc dedit: *Ne Dei donum despiceretur, néve pauperes negligerentur, magno cum feruore accessi ad illam farinam: atq; ita Angelis mihi cooperantibus multiplicata ea fuit, & in meliorem conuersa.* Ita duo minuta viduæ istius Euangelicæ laudauit Christus, & gloriabatur Apostolus de Corinthiis, ob promptum animum eorum erga ministerium in sanctos. In Vita eius apud Sur. tom. 2. pag. 947.

S. BRIGITTA.

Pari benignitate illustris BRIGITTA. quæ dum omnia pauperum inopiæ subleuandæ elargiretur, Regi cuidam eam vendere destinabat pater. Quam cùm rogaret ipse Rex, cur gladium sui patris abstulisset, pretiumque quod ex eo reportarat, pauperibus erogasset; respondit: *Christo illum largita sum. Et certè si te dominum Regem & parentem Deus à me peteret; modò possem, vtrumque lubens cum facultatibus darem.* Quo audito, ille ad patrem conuersus; Maior, inquit, filia tua est, quàm quę vel abs te vendi, vel à me emi possit. Sur. tom. 1. in Vita.

S. LYDWINA.

Flagrabat etiam ista hōc liberalitatis splendore; ita vt neminem aduentantium vmquam à se repulerit: domesticis autem concurrentium multitudinem excludere conantibus; *Quid agitis*, inquit, *sorores meæ? Itáne lucrari non debemus Christo animas, quas Satan deuorare intendit? veniant ad me pauperes: necdum eò perueni, quò ille, qui optabat anathema esse pro fratribus.* In Vita apud Surium, tom. 2.

AME-

AMEDÆVS SABAVDIÆ DVX.

Dignus item iſte qui cum diuini illius ordinis athletis certet. Venerant ad eum Oratores; qui,cùm palatium obambularent, rogabant, num etiam venaticos canes aleret. ille, Craſtina, inquit, die eos vobis exhibebo. Interim, de more, ingentē pauperum turbam cogit, quibus cibaria apponi mandat: ac redeuntibus ad ſe Oratoribus, *Hi ſunt*, inquit, (demonſtrabat autem diſcumbentium multitudinem) *canes mei, quos alo quotidie, quibus gloriam cæleſtem venor.* Liceat de illo canere, quod olim de Probo Claudianus:

Hic non diuitias nigrantibus abdidit antris,
Nec tenebris damnauit opes, ſed largior imbre
Sueuerat innumeras hominum ditare cateruas.
Quippe velut denſo currentia munera nimbo
Cernere ſemper erat: populis vndare Penates,
Aſſiduos intrare inopes, remeare beatos.
Præceps illa manus fluuios ſuperabat Iberos,
Aurea dona vomens.

Munſterus lib. 2. Coſmog. de Duc. Sabaud.

HATTO EPISC. MOGVNTIN.

Inficit & infringit hanc in pauperes beneficentiam fœda & crudelis HATTONIS ſæuitia, & vt tragicè hanc ſcenam claudamus, anſam præbet. Quo tempore Otho Magnus rerum potiebatur, horrenda fames Germaniam inuaſit. Videns itaque HATTO, pauperes fame & inedia preſſos oſtiatim victum quæritare, plures horreo incluſos contremari iuſſit; facto egregiam hanc vocem adiiciens: *Non differunt hi muribus qui frumentum comedunt, ad nihilum vtiles.* At tantum ſcelus inultum non permiſit iuſtus Iudex. Factum enim vt cateruatim eum mu-

res inuaderent, affligerent, & viuum deuorarent. Quis hæc considerans negabit verum esse illud Iuuenalis:

Est tantò vberior vitiorum copia, quantò
Maior auaritiæ patuit sinus. ———

Ibid. lib. 3. de German. cap. 170.

PAX.

IESVS CHRISTVS.

PACIS nunc bonum sectemur, quod tantum esse docuit August. vt in rebus creatis nihil gratiosius soleat audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil denique vtilius possideri. Estque hoc, quod ad Patrem rediturus CHRISTVS DOMINVS, humano generi in sui memoriam hereditariò reliquit. Post resurrectionem namque ad discipulos ingressus, vnicum hoc insonabat: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodo mundus dat, ego do vobis.* Quin imò ante passionem suos instruens, eamdem etiam commendabat, cùm prędicationem suam breui hoc dicto terminaret; *Habete in vobis sal, & pacem habete inter vos.* Mar. cap. 9. Luc. 9.

GREGORIVS VII. PONT.

Pacis amantissimus GREGORIVS, cùm dissidium quod inter eum & Henricum IIII. Imperatorem erat, concordibus votis dirimeretur, & pacis conditiones proponerentur, dicebat: *Pacis conditiones non despexero, modò Henricus* (qui multis cladibus Ecclesiam afflixerat) *cum Deo primùm pacem ineat.* Melior aliàs foret talis pugna, inquit Nazian. in Apol. quæ Deo proximum facit, quàm Pax illa, quę à Deo separat. Platina in Vita.

ALPHON-

ALPHONSVS ARAG. REX.

Huius pectus vt aliarum virtutum, ita & Pacis tranquillitatisque ferax. Ludouico enim Podio viro celeberrimo renuntianti, quòd pro Pace quam cum Venetis & Florentinis erat initurus, plus quàm ducenta aureorum millia extorqueri possent, respondit: *Pacem ego dare, non vendere solitus sum.* Panorm. lib. 3. de Gest. eiusd.

IDEM

Cùm moraretur Valentię, venerunt ad eum Oratores missi à Carolo Gall. Rege (qui ea tempestate cum Britanno bellum gerebat) deprecaturi, ne Regi iam bello implicato ipse aliud inferret: eò quòd adscribere sibi videretur Galliam Narbonensem. At ALPHONSVS, etiamsi plura ab eo opida per vim Carolus detineret, fidem dedit, dicens: *Haud eo animo sum, vt quod maiores mei in Caroli prosperitate non petierunt, ego in eius repetam calamitate.* Panorm. & Æn. Syl. de Dict. Fact. eiusd.

BARNAGASIVS.

Iste etiam nomine regis Æthiopiæ cum Prætore Lusitano fœdus pacemq; initurus, apprehẽsa cruce argentea, nixus genibus; *Quam*, inquiebat, *pacem Iesus Christus generis humani redemptor discipulis reliquit: eadem esto inter nos, qui eiusdem profitemur cultum & fidem.* Maff. hist. Ind. lib. 7.

FREDERICVS III. SAXON. DVX.

Inuitent nos priora, & excitent: sed FREDERICI DVCIS exemplum fortiùs mouet, & ad sui imitationem alios eiusdem ordinis, quasi quodam fune, è ciuilium tumultuum labyrintho trahit. Ille enim pacis amans, nullas arces aut munitiones condidit: quin potiùs ab aliis conditas solo æquauit. & in id

vnum incumbebat assiduus, vt pecuniis, si quas corrasisset, ritè impensis, nihil earum post mortem posteris superesset. Admirantibus autem, eiusque rei causam percontantibus; *Ne*, aiebat, *ego leuiter offensus aliquando, arcibus & pecuniis meis confisus, nimis facilè vicinos me inferiores bello lacessam, & pacem cum eis violem.* Quod vtique facturus non erat, omnibus belli neruis destitutus. Sciebat autē, quòd

——Pax optima rerum
Quas homini nouisse datum est: Pax vna triūphis
Innumeris potior: Pax custodire salutem,
Et ciues æquare potens.

Ioan. Agricola in Prouerb. German.

PECCATVM.

IESVS CHRISTVS.

VIolata aut neglecta pace, ad PECCATVM transitus fiat oportet. Virtus enim nulla inesse potest, vbi vera non est comes Concordia. Est autem tanta PECCATI malitia, vt ex libero (quod appetunt omnes) faciat seruum. Quare indignantibus Iudęis, quòd liberos ipsos futuros diceret DOMINVS, si mādatis eius parerent: & rogātibus, Semen Abrahę sumus, & quomodo tu dicis, Liberi eritis? respondit: *Amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, seruus est peccati.* veram seruitutem demonstrans, subdi peccato. Ioan. cap. 8.

S. LVDOVICVS FRANC. Rex

Altè quod iuuenis biberat, senex retinebat. Cùm enim ex Seneschalco Campaniæ sciscitaretur, malléte lepra infici, an peccato: & is respondisset, Peccato; acriter eum perstringens, *Toto*, inquit, *cælo erras.*

erras. Ecquæ lepra peccato fœdior, quod etiam post mortem affligit? Tu itaque, si me amas, eam mentem mutato. Ionuil. in Vita, cap. 94.

S. LVDOVICVS EPISC. TOLOS.

Quis aptiùs Ludouico Regi succedat, quàm LVDOVICVS EPISCOPVS? quem, dum (vt erat Rege natus) à sancto proposito capiendi institutum B. Francisci, familiaris quispiam dimouere conaretur, dixisse commemorant: *Priùs mihi pereat, non dico regnum hoc caducum, sed orbis totus, quàm in Deum meum semel peccem, cuius honorem omnibus anteponendum noui.* Ex vita eiusd. cap. x.

S. EADMVNDVS ARCHIEP. CANTVAR.

Huius etiam vox erat: *Malo insilire in rogum ardentem, quàm peccatum vllum sciens admittere in Deum meum.* Sur. tom. 2. in Vita.

ANGLVS ANONYMVS.

Dum expulsis fugatisque ex Franciæ finibus à Carolo VII. Rege Anglis, quidã ANGLICVM PRÆFECTVM percõtaretur, quando Angli rursus in Galliam redituri essent; respondit: *Quando peccata vestra maiora erunt nostris.* veram & sinceram calamitatum omnium sentinam reputans Peccatum. Ex lib. Rer. memor. Gall.

CAROLVS V. IMPERATOR.

Præclarè etiam inuictus ille Princeps sentiebat, cùm diceret altercantibus de Ecclesiæ scissura: *Peccata nostra commeruère vt Ecclesiæ integritas secaretur.* vtque eius rei auctorem Lutherum insinuaret, adiecit: *Vnus homo nobis scribendo perdiderat rem.* Ex relatis Auctori. Flores Sent. Hispanici.

BLANCA FRANC. REG.

Quære PARENTVM DE FILIIS CVRA.

ANVS

ANVS ANONYMA.

Quantum verò ſit PECCATI onus, quo preſſus grauatur peccator; facetè & verè declarauit ANVS, cuius nomen apud Auctorem reticetur. Erat Stratonicus Cytharœdus, qui Corinthi peregrinum agebat, homo nefarius & ſceleſtus. Hunc dum fixis oculis intueretur ANVS, rogat: Quid me per Deos immortales ita indeſinẽter intueris? cui illa: *Nequeo ſat mirari, quòd te mater tua decem menſes in vtero geſtare potuerit.* rogantique iterùm, Cur ita? reſpondit: *Quia hæc ciuitas angitur, vnum dũtaxat te diem portans.* Significabat iniquitatum ipſius põdus tantum eſſe, vt vix à terra ſuſtineri poſſit. ac meritò Regium Prophetam confiteri: Sicut onus graue grauatæ ſunt ſuper me. Auct. Serm. Conuiu.

PECCATI RECIDIVA.

S. ARSENIVS.

SIcut libertus libertate donatus patronum offendens, grauiùs delinquit quàm ſeruus: ita Deo per Chriſtum reconciliati, è poteſtate diaboli & tenebrarũ erepti, vera libertate Spiritus donati, multo atrociùs recidiuando offendunt, quàm qui naturâ filij iræ, & ſerui peccati. Quare præclarè dixiſſe accepimus S. ARSENIVM: *Qui peccata peccatis addit, cùm ea reſecare deberet pœnitentiâ & diligentiâ, ſimilis eſt ſcindenti ligna & ſuis humeris imponenti; cumque iam ſupra vires onuſtus eſt, noua ſuperaddit, & onus auget.* Surius tom. 4. in Vita.

PECV-

PECVLATVS.

Sigismvndvs Imperator.

PEcvlatvm furto grauius crimen dicebat M. Cato, eò quòd publicarum rerum ſit iniuſta ablatio. de quo cùm etiam rogaretur Sigismvndvs, cur frequentiùs eſſet apud liberas ciuitates; *Ideò*, inquiebat, *quòd nudos honores ciuibus commendent, populus autem ad lucrũ inhiet.* Indicabat ipſum Magiſtratum in cauſa eſſe, quòd tam multi hodie Peculatus crimine inſimulentur. cùm enim varia ſint in Repub. officiorum genera, quibus vix certæ ſtipendia aſſignata ſunt: fit, vt qui ea adminiſtrant, ſæpè ex publico theſauro ſibi per nefas proſpiciant. Æn. Syl. lib. 2. Comm. de Geſt. Alph.

Legatvs anonymvs.

Inter cetera huius rei exempla haud indecorè ſe Legati huius iocus, & libera, iucunda tamen, vindicta offert. Mittebatur à Maxæmiliano 1. Cæſare Legatvs, vt ab vrbe quadam Imperiali extorqueret certam pecuniæ ſummam. ea tamen lege, vt ſi dexteritate ſuâ quidquam impetraret ſupra id quod imperatum, ſibi vt lucrum cederet. Quinquaginta itaque millia aucupatus eſt. è quibus triginta Cæſari reddidit, reſiduum ſuo vſui dedicauit. Inſperatâ prædâ lætus Imperator, Legatvm dimittit. Intereà Quæſtores plus receptum intelligunt quàm redditum, & Cæſarem interpellant, rationem reddat Legatvs. Acquieſcit Imperator, & accitũ hominem, rationem reddat, monet. Ille facturum ſe ſpondet ocyùs. differt tamen. At Cæſar ſuſpicatus rationem illi nondum ſatis ſubductam, diſſimulat.

cum-

cumque sic illuderet sæpiùs, vrgent Quæstores vt compellatur, & quidem statuto dierum termino: ni pareat, multandus grauiter. Annuit Maxæmilianus, eumque ad se vocari districtim iubet. verùm is nil veritus, nullâ morâ interpositâ, venit. adueniunt etiam Officiales, vt rationibus præsint. Tum Cęsar, Vbi computus, & promissæ toties rationes? en hîc coràm adsunt, qui excipient. (assidebant autem illi codicillis ad id paratis.) Vbi IVVENIS satis dextrè; *Numquam*, ait, *Cæsar inuicte, rationem detrectaui. verùm cùm experientia & ætas huiusmodi rationum formam & modum mihi necdum suggesserit; vnum peto, vt eos qui assident, vtpote longo rerũ vsu peritiores, iubeas aliquod earũ exemplum edere: & videbunt me maximè docilem.* Dicto hominis tactus Cæsar, subridens, Verum, ait, & æquum postulas. eumque ilicò à se dimisit. Subindicabat autem, assessores illos eo modo Cæsari reddere suæ functionis rationes, quo ipse reddiderat: nimirum vt bona pecuniarum publicarum pars penes ipsos remaneret. Vnde pulchrè olim Diogenes, cùm vidisset quẽdam ob furta apprehensum duci per magistratum; Magni, clamabat, fures paruum ducunt. Cui consonat vulgare hoc apud Belgas adagium: Magnos fures crumena, minores mala crux strangulat. Ioann. Peregrin. Petroselan.

PECVNIA.

S. GERARDVS ABBAS.

RErum in terris neruum PECVNIAM Peculatui subiicimus: in qua coaceruanda, licet insomnes noctes ducant plures; sanioris tamen mentis alij eius fœda lucra neglexêre. Restituerat sanitati, diuina

diuina ope fretus, Arnulphum Comitem GERARDVS ABBAS.dumque eius rei gratia immensum auri pondus offerretur, recusauit, dicens: *Pecuniæ congeries, apud Monachos præsertim, sunt velut lepra animæ. Frater autem Gerardus non vult esse leprosus, ergo nec pecuniosus.* Doctè & verè Iuuen. Sat.6.

Prima peregrinos obscœna pecunia mores
Intulit, & turpi fregerunt sæcula luxu
Diuitiæ molles. Sur. tom. 5. in Vita.

VLRICHVS III. EPISC. CONSTANT.

Licitè tamen, imò prouidè quandoque pecuniam in bonum vsum colligi, auctor est VLRICHVS PRÆSVL. Quærenti namque cur tantam pecuniarum vim coaceruaret; *Vt*, inquit, *his aut hostem vincam, aut cum eo pacem consequar.* Sciebat enim cum magno Iulio, potentiam quamuis duabus potissimùm rebus, pecunia & milite, conseruari, parari, atque augeri. Brusch. in Episc. Germ.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Rogatus hic quâ viâ contra hostes tutò pugnandum sit; *Non ferro*, inquit, *sed auro.* Ita de Philippo Macedone olim dictum, plura opida expugnasse dando, quàm rapiendo. Henr. Farnesius in Apophth. de Principe.

SENEX ANONYMVS.

Vbi autem vitæ necessaria suppetunt, non esse pecuniis inhiandum, docuêre veterum Anachoretarum plures. & primò, dum cuidã SENIORI, quòd mirâre, pecuniæ offerrentur, renuit eas accipere; rogatus vt in piorum necessitatem dispensaret, ait: *Duplex id mihi opprobrium futurum, quòd, cùm non indigeam, accipio; & aliena tribuens, vanam gloriam colligo.* Climach.

ANA-

ANACHORETA ANONYMVS.

Alius item non dissimili animo, sibi pecunias donanti, respondebat: *Tu post 70. annos mihi nutrimentum adfers? Ecce tanto tempore infirmus nullo indigui, Deo me pascente.* In Vitis PP.

MVLIER ANONYMA.

Hæc etiam, mirum in auaro sexu, pecuniarũ summam sibi largienti, quasi indignata dicebat: *Habeo curatorem meum Deum, & tu illum à me vis tollere?* Auct. Serm. memorab.

Lege Tit. de CONTEMPTV MVNERVM, *&* MERCEDIS.

Item de LIBERALITATE, *&c.*

POENITENTIA.

IESVS CHRISTVS.

DEmus etiam locum POENITENTIÆ; per quam ij qui culpa sua lapsi, resurgunt ad pristinum nitorem: quamq́ue distulisse semper nocuit. Vultis quanta sit eiusdem necessitas? attẽdite quid animarum nostrarum Medicus & SALVATOR ad se venientibus imperarit. Venerant ad eum qui nuntiarent de Galilæis, quorum sanguinem Pilatus sacrificiis commiscuit. quibus respondens, dixit: *Putatis quòd hi Galilæi præ omnibus Galilæis peccatores fuerint, quia talia passi sunt? Non, dico vobis: sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes similiter peribitis.* quo loco summam huius post naufragium tabulæ necessitatem insinuauit. Luc. cap. 13.

S. PETRVS APOST.

Haud secùs Beatus PETRVS, quærentibus quibusdam Iudæis, Quid faciemus viri fratres? respon-

ſpondit: *Pœnitentiam agite, & baptizetur vnuſquiſque veſtrûm.* Actor. cap. 2.

S. AMBROSIVS.

Nec diſpar in AMBROSIO fraternæ charitatis adfectus. Theodoſium Imp. propter cædem Theſſalonicæ factam, ingreſſu Eccleſiæ prohibebat. Cui, cùm ille Dauid regem homicidam fuiſſe & adulterum diceret, reſpondit AMBROSIVS: *Qui ſecutus es errantem, ſequere pœnitentem.* Quare impoſitam ſibi ab eo publicam pœnitentiam palàm egit. Breuiar. Rom. 7. Decemb.

F. BORGIA SOC. IESV.

Non immeritò ergo FRANCISCVS BORGIA, percontanti quænam potiſſima Pœnitentiæ virtus, reſpondit: *Quòd viam in cælum muniat.* hæc enim eſt anguſta illa porta, per quam iubemur ingredi, quæque ad vitam æternam recto tramite ducit. In Vita eius.

THEODOSIVS IMPERATOR.

Præclari illius Principis præclara etiam hęc vox: *Nihil eſt noui, ſi quis homo cùm ſit, vita excedat. Vnius autem Dei eſt, eum, qui ſemel per peccatum eſt mortuus, per pœnitentiam ad vitam reuocare.* Deus enim (vt habet Lactantius) imbecillitatem noſtram ſciens, aperuit nobis portum ſalutis: vt huic neceſſitati, cui fragilitas carnis ſubiecta eſt, medicina pœnitentia ſubueniret. Benè ergo & Chriſtianè monet Naſo, licet Ethnicus, lib. 1. de Ponto:

Talia cæleſtes fieri præconia gaudent,
Vt ſua quid valeant numina teſte probent.
Sæpè leuant pœnas, ereptaq́; lumina reddunt,
Cùm benè peccati pœnituiſſe vident.

Niceph. Calliſt. lib. 14. c. 3. Hiſt. Eccleſ.

EQVES ANONYMVS.

Sed vt ſalutaris ad vitam ſpiritualem eſt Pœnitentia, poſt admiſſum ſcelus ilicò aſſumpta: ita plus æquo dilata, noxia eſt & abominabilis. cuius rei non pauca ſuperſunt exempla. Narrat Beda fuiſſe in Anglia equitem Coenredo Regi mirum in modum familiarem: qui cùm à Rege ſuæ ſalutis admoneretur, ac præſertim pœnitentiæ; numquam acquieuit, dicens ſibi tempus pœnitendi ſupereſſe. Paulò pòſt, fatali morbo correptus, dum Rex iteratò inſtaret de admiſſis ſceleribus pœniteret; *Non iam*, inquit, *ne id metu mortis videar feciſſe: vbi ſanitatem recepero, ſpondeo me ſuæ Maieſtatis monitis obtemperaturum.* At incautum oppreſſit mors; & de ſalute deſperans, infelix animam infelicem efflauit. Beda lib. 5. Hiſt. Ang. cap. 14.

IMPOENITENS ANONYMVS.

Non minùs inſipiens ac propriȩ ſalutis contemptor ille. qui animæ ſuæ proſpiceret cohortantibus, dicebat aſſiduè: *Hæcce cura mihi impendat: ego in ſupremo articulo vitæ, tribus verbis ſalutem cõſequar.* At non conſecutus eſt eam, quam optabat. factum enim, vt hiemali aurâ pontem lacerum tranſiliret: ex quo cùm ſibi neceſſariò cadendum, adeoque intereundum eſſe videret, tria verba, ſpei expers, inclamauit: *Capiat omnia Dæmon.* vndiſque obrutus, cum equo cui inſidebat, demergebatur: impiorum vota numquam exaudiente Altiſſimo. Prouidè & cautè hortatur Ouidius:

Sed propera, nec te venturas differ in horas:
Qui non eſt hodie, cras minùs aptus erit.

Th. Staplut. in Prompt. morali.

VSV-

VSVRARIVS ANONYMVS.

Quod etiam verè ita ſe habere præſenti exemplo concludam. Monebat vir pius & religioſus VSVRARIVM, vt dum ætas tempuſque ſineret, ad imitationẽ Zachęi publicani, de iniuſtè acquiſitis iuſtè diſponeret. renuit. fit æger: inſtat, vt priùs, alter. At morbo virtutẽ ſuperante, exclamabat ęger: *Pœnitentia vbi es? heu! de cetero pœnitere non valeo, iudicante hoc iuſto iudice: qui dum pœnitere potui, non volui.* Spec. exempl. Part. 2. exemplo 215.

CAROLVS V. IMP.

Et hi quidem in re ſeria, & quæ ad animæ ſalutem: in alia CAROLVS IMPERATOR ſe prodit. Fuerat Hadriano, qui poſtmodum creatus Põtifex eius nominis VI. commiſſus adhuc adoleſcens. Verùm magnitudo rerum & Imperij, tenerum adhuc à ſtudiis abduxerat. Dum itaque Genuæ Oratorem audiuiſſet Latinè perorãtem, nec plenè ſatis cepiſſet, triſti ore confeſſus eſt: *Agnoſco nunc maximè, & cum dolore quidem, Hadriani magiſtri mei diuina monita, cùm has Latini ſermonis elegantias nequeam percipere: ac meminerim prædixiſſe eum, me puerilis incuriæ pœnas aliquando daturum.* Arbiter horũ eſt P. Iouius in vita Hadriani VI. Tom. 2. de Viris Illuſtr. Ita quàm plures videmus, qui, iuuenilibus annis ſomno iociſque peractis ſine honore, iam maturiores effecti,

——— cùm lapidoſá chiragra
Fregerit articulos, veteris ramalia fagi,
Tunc craſſos tranſiſſe dies, lucemq́; paluſtrem,
Et ſibi iam ſeri vitam ingemuêre relictam.

HENRICVS VII. ANGL. REX.

Similis etiam pœnitentia, quãuis in re grauiore,

diu ante Carolum, HENRICO VII. ANGLIÆ REGI fuit. dum namque consobrinum suum morte mulctasset, factique pœniteret postmodum, ac pro alio quodam etiam capitis reo plures è proceribus supplices ad eum accederent, conceptum animo dolorem testatus, ingemuit. &, *Nemo vestrûm*, inquit, *consobrini mei causam apud me egit*. Patiuntur quippe amantes etiam iustè læsi, aliquando se per amicum teneri, & quasi suspendi à proposita sententia. Refert Th. Stap. Prom. æstiu. Dom. 3. post Pent.

PEREGRINATIO RELIGIOSA.

PHILOROMVS PRESBYTER.

LOngum esset singulas ætates decurrere, quot viri sancti & religiosi, loca sancta, pietatis stimulis permoti, venerati sint, & è longinquis regionibus salutarint. Qui sanè ad virtutum apicem se ascensuros non posse existimabant, nisi Christum Sanctosque iis adorarent locis, vbi vel mortem passi, vel certè crebris miraculis à Deo illustrantur. adeoque eis erat gloriosum, adorasse Dominum in loco vbi steterunt pedes eius. Ex his PHILOROMVS, quamuis vitę innocentia præcelleret; quoties tamen Terræ sanctę mentio incidebat, gloriabatur palàm: *Gratias Deo ago, quòd me dignum reputarit, qui bis pedibus loca in quibus Filius eius passus est, salutauerim.* Pallad. in Lausic. cap. 113.

IOAN. EPISC. HIEROS.

Venerat ad loca sancta peregrino vilique habitu Theodosius Imp.: cumque templi limen ingrederetur, subitò lucernæ omnes extinctæ, ac statim diuinitus accensæ. Miratur ædituus, eumque (cognoue-

nouerat enim à Deo intrinſeca reuelatione quis eſſet) ad IOAN. PONTIFICEM adduxit. qui eo viſo; *Verè tu beatus es, inquiebat, qui, cùm Imperatoris perſonam ſuſtineas, tam vili habitu ad loca hæc ingreſſus es.* Cedren. in Theod.

Require PASSIO CHRISTI.
MARIA MATER DEI.

PERFIDIA.

FREDERICVS III. IMP.

SIncerae fidei concordiæque repugnans PERFIDIÆ crimen, leui ſtylo percurremus, eoſque qui illo infecti. Dederat FREDERICVS IMP. fidem publicam iis qui in ſe abſentem coniurauerant, eiſque liberè ad ſe veniendi abeundiq́ue poteſtatem faciebat. At Neapolim vocatos, capite plecti iubet. Rogantibus autem cur datam fidem falleret; *Quia æquum eſt*, inquit, *perfidis & parricidis violare fidem, & ſcelus pari arte punire.* Bonfin. lib.4.Decad.4.

EDVARDVS ANGLIÆ REX.

Et hic cum Ioanne Francorum rege inducias inierat plurium annorum. quo tempore factum, vt Angliæ proceres auro corrumperent præſidium caſtri de Guines, & obtinerent. Mittit Oratores ſuos Ioannes, qui EDVARDVM perfidiæ incuſent. Quibus ille; *Nequaquam*, inquit. *per me violatæ induciæ: nullus enim pacti noſtri articulus mercaturæ exercitium prohibet.* Clamat Silius Poëta:

Audite ô gentes, non rumpite fœdera pacis,
Nec regnis poſtferte fidem.

Auct. Sermonum memorab.

CAROLVS IV. IMP. *qui &* VVENCESLAVS.

Ille item bellum gerebat contra Philippum Auſtria-

ſtriacum. cumque ſe copiis inferiorem conſpicaretur, Duces quoſdam in ſuas partes, datis & addictis amplis muneribus, trahit, qui domino ſuo ſuadeat, prœlio abſtineat.

—— *Dolus an virtus, quis in hoſte requirat?*

Spondent illi, &, vt erat poſtulatum, exequuntur. Re ad effectum deducta, proditionis mercedem accepturi, adeunt IMPERATOREM: qui adulterinũ aurum, quod ſtudiosè colligi mandauerat, eis tradit. At paulò pòſt deprehenſa fraude, queruli ad CAROLVM reuertuntur, monetam falſitatis arguunt. Ille toruis oculis eos intuitus, *Abite*, ait, *furciferi in meritam malam crucem, alia proditionis præmia accepturi. Quam quæſo aliam pecuniam veſtra meretur perfidia? adulterino auro adulterina compenſatur fides.* Cranzius in Saxonia lib. 9. cap. 37. Hieron. Ziegler. de Vir. Illuſt. German.

PERICVLVM.

ALPHONSVS REX ARAG.

VItare PERICVLA, cauti eſt animi: at glorioſum aliquando iis ſeſe expoſuiſſe. Suſceperat ALPHONSVS bellum pro Ioanna Regina Neapolis, vt eam iuſtè ab aliorum iniuriis vindicaret: monent amici, ne ſe temerè periculis exponat. Quibus ille: *Non abhorreo pericula, cùm ſine illis nemo vmquam gloriam conſecutus ſit.* Monet tamen admodũ cautè apud Senecam in Hercule furente Amphytrion:

——— *Nemo ſe tutò diu*
Periculis offerre tam crebris poteſt,
Quem ſæpè tranſit caſus, aliquando inuenit.

Panorm. cap. 2. de Reb. eiuſd.

PERIVRIVM, *vide* IVRAMENTVM.

PER-

PERSEVERANTIA.

S. FRANCISCVS.

VIrtutum omnium finis & consummatio (vt loquitur Bernardus) est PERSEVERANTIA, sine qua nemo Deum videt. Hac pręditum FRANCISCVM fuisse tradunt, qui vitam eius posteritati consecrarunt: nam cùm apud Episcopum Imolensem, à quo prædicandi licentiam postulauerat, repulsam passus esset, post horam rediit. Inquirit iteratò Episcopus, quid petiturus aduenisset. Ille humili tam voce, quàm corde: *Domine, si pater filium vno ostio eiecerit, alio ei reintrandum erit.* Sur. in Vita to. 5.

PACOMIVS ABBAS.

Huius quoque laudabilis vox ad discipulos crebriùs prolata: *Frustrà ad salutis brauium currimus, nisi sic curramus, vt cõprehendamus. Frustrà cum hoste confligimus, nisi certemus vt vincamus.* Meminerat quippe illius pręcepti Dominici, Qui perseuerauerit vsque in finẽ, hic saluus erit. Marul. lib. 5. ca. 8.

S. THEODORVS MARTYR.

Quod prior voce, hic reipsa compleuit. Immanes cruciatus minãtibus sicariis, nisi Christi fidem abiuraret; in præclarum hunc sermonem erupit: *Pro fidei Christianæ confessione qui vulnerat, incidat: & qui verberat, laceret: & qui cremat, flammam adiiciat: & qui his verbis offenditur, linguam eximat.* Nyss. in Vita eius. Polyanthea Caroli Langij tit. Perseuerantia.

ATTALVS.

Ille, cùm subiectis prunis in sella ferrea torreretur, voce magna ad plebem clamauit: *Ecce hoc est homines comedere, quod vos facitis, qui à nobis velut*

occultũ facinus inquiritis, quod vos aperta luce cõmittitis. Nos enim neque homines comedimus, neq; aliud malum operati ſumus. Euſeb. lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 3.

SYLVANVS EPISCOPVS.

Quid verò SYLVANVS? Conſtantium tyrannũ ad fidei defectionẽ eum adhortantẽ, & ni pareat mortẽ minitantẽ, ita compellat: *Poteſtatẽ habes nos puniendi: vt autẽ patrum decretis diſſentiamus, nihil virium habes.* Theod. lib. 5. Hiſt. Eccl. cap. 24.

BASILIVS MAGNVS.

An aliud expectatis à MAGNO illo BASILIO? Valentis Cæſaris iuſſu patria proſcripto, & ad tribunal Præfecti pertracto, cùm præſens interitus denunciaretur, nil turbatus; *Vtinam*, aiebat, *mihi quidquam eſſet digni muneris, quod offerrem ei, qui maturiùs Baſilium de nodo follis huius abſolueret.* Hiſt. Eccleſ. lib. 11. cap. 9.

EVSEBIVS SAMOSATENVS.

Pari fortitudine hic. Cùm enim nolenti ſibi tradere decretum Arrianorum aduerſus Melitum, minaretur Conſtantius dextram ſe abſciſſurum; vtraſque palmas porrexit, inquiens: *Molire in me quod potes. decretum non dabo, clarum Arrianæ peſtis indicium.* Theod. Trip. Hiſt. cap. 49. lib. 5.

FRATRES ANONYMI.

Quàm glorioſi hac virtute, tenellæ ætatis licet, GERMANI FRATRES? quorum tanto illuſtrior eſt Perſeuerantia, quanto ad reſiſtendum ætas imbecillior. Volebat hos de immolatis ſumere Tyrannus: ac primùm muneribus, quibus trahi minor ætas; dein minis, quibus terreri ſolet, adigit. Illi fortiter; *Non hoc*, inquiunt, *à parentibus accepimus*. Poſt verbaad verbera deuentum. Cumque ſenior iam animam

mam agere videretur, alter eum amplexatus, nihil de constantia remittens; *Vicisti*, inquit, *frater, vicisti.* & vita functum, eodem perseuerantiæ spiritu victor etiam comitatus est, æternùm cum eo victurus. Retulit inter alia R. P. Adrian. Mangoetsius, Soc. IESV presb. in Orat. quam habuit de B. Virg. concept. in congregat. Sodalium Antuerpiæ.

DIONYSIA HVNERICHI R. FILIA.

Magnum Perseuerantię argumentum tenelli illi: æquè illustre DIONYSIÆ REGINÆ exemplum. A tortoribus namque turpiter denudata, cùm grauiter cæderetur, ita vt riuuli sanguinis toto corpore fluitarent, alacri & libera voce dixit: *Ministri diaboli, quidquid ad opprobrium meum vos facere existimatis, hoc ad laudem meam à me reputari scitote.* & ita inter virgarum ictus, inuicta exspirauit. Eusebius in Hist. Ecclesiast.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Quia verò Perseuerantia est stabilis quædã permansio, solitum ferunt CARD. ALDOBRANDINVM dicere: *Perseuerantia est virtutum baculus, cui nisi innitantur omnes corruunt.* Henricus Farnesius in Apophth. de Principe.

Require Apophth. de CONSTANTIA RELIGIOSA, MARTYRIO, *&c.*

PETITIO HONESTA, ET INHONESTA.

MARIA SALOME.

FIt vt qui HONESTA, sibique conuenientia, ab eo qui concedere ea potest, postulat; si non semper impetret, eiusdem tamen gratiam & fauorem obtineat. qui verò INHONESTA, aut minùs sibi decentia

efflagitat, ea impetret aliquãdo in suam perniciem: vel pudore suffusus, repulsam patiatur. Vt autem à fæminis, quarum intemperata cupiditas, exordiamur; MATER FILIORVM ZEBEDÆI, audita mortuorum resurrectione, & regno Christi, venit ad eum cum filiis adorans & petens; *Dic vt sedeant hi duo filij mei, vnus ad dextram tuam, & vnus ad sinistram, in regno tuo.* Qui insulsam mulieris petitionem retundens, *Nescitis*, aiebat, *quid petatis*. Verum esse significans, quòd

Non sit è terris mollis ad astra via.

Matth. cap. 20, Mar. 10.

HERODIAS HERODIS NEPTIS.

Quid verò lasciua hæc pellex, quo intemperantiæ suæ carnisque libidini satisfaceret, petiit aut desiderauit? Ardebat desiderio Herodis regis auunculi sui: at vnum timebat Ioannem Baptistam, huic incestui obsistentem. Et ecce natali Herodis, dum mero ipse incaluisset, eamque choreas leuiter ducentem aspexisset, placuissetque, ei quiduis petendi fecit potestatem, eamq; iuramento confirmauit. Quæ nil cunctata, ex matris consilio, *Volo*, inquit, *vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Ita impiorum stultitia, iustorum persæpè ruina est. Quinimò, teste Iuuenale Sat. x.

Euertêre domos totas, optantibus ipsis,
DI faciles. Nocitura toga, nocitura petuntur
Militia.

Marci cap. 6.

ALPHONSVS REX ARAG.

Venerat ad hunc Equestris ordinis quidam: & multa, quòd apud hostes captiuus detineretur, ab eo petiit, & impetrauit. Quo à se digresso, REX ait;

Dispeream:

Disperéam: ni metui, ne etiam vxorem meam poſceret meus eques. Ita alteri, cui plura contulerat beneficia, quæ ille diſſipabat indies, & noua poſtulabat, dixiſſe ferunt: *Si ita progreſſus fueris, citiùs me pauperem, quàm te diuitem effecero.* Potuiſſet illi dicere, quod amico ſuo olim Ouidius, in Ponto:

Ah nimium eſt, quod amice petis: moderatiùs opta,
Et voti quæſo contrahe vela tui.

Panorm. lib. 2. de Geſt. eiuſd.

FREDERICVS CÆSAR.

Æquè facetus ille. Cùm plura importunè peteret ab eo Ioan. Sirck Epiſc. Treuirenſis, vir induſtrius; dicebat, *Si finem petendi non feceris, ego certè negandi facilè inueniam.* Quod meritò illis dici & poteſt, & debet, quibus inſatiabilis eſt quiduis conſequendi cupiditas. Æn. Syl. lib. 2. de Geſt. Alph.

SS. APOSTOLI CHRISTI.

Ad honeſta petentes tranſitum facimus. Digreſſi cum Ieſu in montem Petrus, Iacobus, & Ioannes, viſa eiuſdem diuinâ transfiguratione & maieſtate, attoniti dicebant: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hic tria tabernacula; tibi vnum, Moyſi vnum, Eliæ vnum.* Vbinam locorum enim decētiùs optabiliúſve remanere poterant, quàm in tam ſancto celebrique conſortio? quid verò ardentiùs deſiderare, quàm eius gloriæ fieri participes, cuius ſcintillam iam viderant? Matth. cap. 17.

S. ATHANASIVS.

Reuocatus ab exilio, rogabatur à Conſtantino, vnicam Arrianis in ſua ciuitate Eccleſiam concederet. cui ille: *Libens id fecero Imperator: ſed æquum eſt mihi tantũdem concedi Antiochiæ, vt vnicā Catholicis Eccleſiam largiaris.* Theod. lib. 2. Hiſt. c. 12.

OTHO

OTHO MAGNVS IMP.

OTHONI CÆSARI hîc etiam locum demus. qui postulanti Comiti sibi daret monasterium Larissense; *Veluti*, ait, *non decet margaritas canibus obiicere: ita neque Imperatori, profano homini, ea quæ Deo semel dicata, in profanũ vsum elargiri*. & ita Comitẽ, importuna petentẽ, dimisit. Hedio in Chron. Germ.

REGIS ANGLIÆ FIL.

Vide RESPONSVM PRÆCEPS.

ALPHONSVS REX ARAG.

Illustrat etiam priores suo splendore ALPHONSVS: qui dicenti cuidam, decere Principem non ea tantùm quæ verbis promisit, præstare, sed & ea quę nutu affirmauit; respondit: *Rectè tu quidem: sed decet etiam petentes ea postulare, quæ iusta sunt & honesta; sin minùs, satius est promissis non stare, quàm peccare in leges iustitiæ.* Panorm. lib. 3. de Gestis eiusdem.

PHILOSOPHIA.

S. THEOPHILVS.

QVis te rerum diuinarum humanarumq́ue sedula indagatrix PHILOSOPHIA digno elogio concelebret? quæ vitæ dux eiusdem tranquillitatem largita es, & terrorem mortis (si Tullio fides) sustulisti. At verè te sustulisse, declarauit THEOPHILVS. Apud quem dum Sapritius Præfectus instaret, vt mente cultuq́ue mutato, rursus à vero Deo desciseeret ad Idola, aliàs miserâ morte multandus: verus Dei amicus, *Summa*, ait, *sapientia est, vt Philosophiam declarem erga omnes meos affectus, & tuos cruciatus nihil timeam.* Cui Pręses: Ergon' tormentis requiem, morti vitã postponis? Ille: *Ego & tormenta timeo,*

timeo, & mortem perhorresco; sed illa tormenta quæ finem non habent, illam mortem quæ æternas tenebras patitur. Sur. tom. I. in vita Dorotheæ.

S. BASILIVS, & IVLIANVS APOSTATA.

Bellum fatale in Persas suscepturus IVLIANVS, cùm sibi obuium haberet BASILIVM, clamabat: *Ego te Basili in Philosophia excello.* Cui BASILIVS lento gradu pertransiens: *Vtinam Imperator Philosophus esses!* insinuans, non in tot tantosque errores prolapsum fuisse, si Philosophiæ sedulam operã impendisset: hæc enim, si vlla est alia,

——— recto viuere talo
Ars dedit, vt veri speciem dignoscere possis,
Ne qua subærato mendosum tinniat auro:
Quæque sequenda forent, quæq; euitanda vicissim,
Illa priùs cretâ, mox hæc carbone notares.

Sur. tom. I. in vita Basilij.

COSMAS MONACHVS.

Erat is quo præceptore vsus olim Damascenus, Philosophię professor eruditus. Qui rogatus de statu suo & professione, totus in lachrymas soluebatur. aduenit solatium laturus Damasceni pater, &, ánne vitæ & mundi, cui renuntiarat, amissionem fleret, rogat; qui ait: *Nequaquam: sed id vnum me affligit, quòd, cùm artium omnium disciplinis imbutus sim, hactenus mihi negatum, vt per Philosophiam filium mihi similem generem; quo aurea illa Philosophorum progenies semper in mundo cõseruetur.* Sciebat enim, quòd hinc caperent

——— iuuenesque senesque
Finem animo certum, miserisq; viatica canis.

In vita Io. Damasceni, apud Sur.

PODA-

PODAGRA.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

DE PODAGRA, quæ magnatum ferè morbus est, percontanti, cur, qui eius nodis pressi detinentur, loquaciores ceteris forent; *Quia*, inquit, *cùm pedibus vti nequeant, lingua velut ambulatione quadam vtuntur.* Panor. lib. 3. de Gest. eiusd.

PETRVS FVNDANVS

Audiuerat quemdam de pedum dolore à Podagra excitato eiulantem. accessit, &, *Ecquid?* inquit, *alij de itinerum labore queruntur assiduè, de negotiorum inquietudine alij: & tu de quiete & otio. quod si tibi molestum, surge paulisper & ambula.* Pontan.

ANONYMVS.

Hinc rectè proposita quæstione inter quosdam, *Quódnam esset molestissimum otium?* variis variè respondentibus, ait vnus: *Podagricum.* Idem.

POESIS.

ALPHONSVS ARAG. REX.

A*Vt prodesse volunt, aut delectare Poëtæ,*
Aut simul & iucunda & idonea dicere vitæ;
inquit Horatius. Quare non immeritò summo honore pariter & amore eos prosecutus legitur ALPHONSVS. Nam cùm Parthenopen iter faceret, venissetque ad eum locum vnde Sulmo videri poterat, eamque Ouidij patriam intellexisset; vrbe salutata, *Ego*, inquit, *huic regioni quæ non parua regni mei Neapolitani pars, lubens cedam, vt poëtam hunc habeam: quem, licet mortuum, pluris faciam, quàm*

Aprutij

Aprutij dominatum. Spieg. in lib. 1. Panorm. de Gest. Alphon. cap. 47.

CAROLVS IX. FRANC. REX.

Ille quoque fouere eos solitus, qui in POESI excellerent, eisque pręmia largiri: minùs ampla tamen, vt semper noua meditantes, sæpiùs redirent. Dicebat autem: *Poëtæ equis generosis similes, quos nutrire oportet, non saginare.* Meminerat fortassis illius Persij in Prologo:

Quòd si dolosi spes refulserit nummi;
Coruos Poëtas, & poëtridas picas,
Cantare credas Pegaseium melos.

Annal. Franc.

THOMAS MORVS.

Et ille miles Phœbi, Musarum castra secutus aliquando, receperat versus quosdam à filia sua Margaretâ conscriptos; iisque lectis, dicebat: *Singulos hos versus non singulis aureis, quod Cherilo fecit Alexander; sed si animo par esset facultas, singulas syllabas vnciis binis auri compensarem.* Thom. Staplut. in Vita cap. 11.

ANONYMVS POETA.

Quis non ergo appositè & eleganter respondisse fatebitur quemdam POETAM, qui Adrianum VI. Pont. Max. crebris versibus, quorum in locum ipse nummos aliquando rependerat, salutabat. Dicenti namque sibi Adriano, eò quòd toties rediret, & eadem encomia mutato metri genere offerret:

Desine pro numeris nummos sperare Poëta;
Carmina si dederis, carmina reddidero.

ille inexspectatò, miro cum lepôre, liberiùs tamen, vt ingenia illa sunt, subiecit:

Ni tibi pro numeris nummos Fortuna dedisset,

Non

Non esset capiti tanta corona tuo.

Recensuit inter alia à se obseruata, Francisc. Sweertius iunior, egregius memorabilium rerum & sermonum indagator.

PONTIFEX ROM.

IESVS CHRISTVS.

VT suo capiti membra singula; ita omnes qui in Christi Ecclesia constituti, eiusdem capiti ROMANO SVMMOQVE PONTIFICI reuerēter obsequi & adhęrere oportet. vtpote cui ouilis Dominici demandata cum potestatis plenitudine est cura, cuiusq́ue regimini sanctus Spiritus perpetuò assistit, ita vt in fidei decretis errare nullo modo queat. Quæ omnia Apostolorum Pontificumq́ue Principi Petro, aliisq́ue qui legitimè in sacro illo munere succedunt, promisit DOMINVS; dum illi, post insignem illam cōfessionem, quâ eum Dei filium protestabatur, hanc dignitatem præ aliis rependeret: *Ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram,* id est, super te, ô Petre, *ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues regni cælorum.* id est, supremam & plenariam potestatem in Ecclesiam, cuius tu fundamentum eris, impartiam. Matth. cap. 16.

ADRIANVS IV. & MARCELLVS II. PP.

Quò ergo maior vrbibus Roma, eò maior quàm ceteros Prælatos laborum moles summos Pontifices manet. quod intuitus ADRIANVS, qui illud subiit aliquando; *Tantum,* aiebat, *huius muneris est pondus, vt & robustißimos non premat modò, sed & opprimat.* Cuius dicti MARCELLVS, qui post Adrianum Pontificatum gessit, memor, postquam diu siluisset,

manu

manu mensam, cui accumbebat, percutiens; *Non video*, inquit, *quomodo qui hunc locum tenent, saluari queant.* Onuphrius Panuinus in vita Marcelli.

Patres Conc. Sinvess.

Quantus autem honor huic ordini deferendus, exhibuerunt suo exemplo Conc. Sinvess. Patres. dum enim tyrannidem in Christianos exercente Diocletiano, Marcellinus Pont. immanitati suppliciorum cedens, in fidei professione nutasset; facti pœnitens, Sinuessæ in Campania Concilium 180. Episc. coëgit. à quibus, cilicio indutus, petiit suæ culpæ condignam pœnã præscribi. at illi summa cum reuerentia id recusarunt, dicentes: *Tuo te ore, non nostro iudicio iudica. Prima namque sedes à nullo mortalium, præterquam à solo Deo, iudicatur.* Platina in vita Marcell. Breuiar. Rom. xxvi. Apr.

Pivs II. Pont.

Ille verò, *Graue*, dicebat, *est Pontificis onus: at beatus, qui illud benè defert.* Platina in Vita.

Adrianvs V. Pont.

Idipsum animo voluens Adrianvs v. dum rogaretur, quódnam supplicium capitali suo hosti imprecaretur; respondit: *Vt sit Pontifex.* Ita de B. Brunone quidam meminêre:

Rennuit oblatum sibi Bruno Pontificatum,
Cernens esse statum Magnatum rarò beatum.

Ex libro Gall. Rer. memorab.

Ioan. Nelsonvs presb. Anglvs.

Esse autem summum Pontificem caput Ecclesię per orbem diffusæ, etiam suo sanguine testatus est Nelsonvs sacerdos Anglvs. rogatus namque, cur principatum Ecclesiæ nollet Reginæ tribuere; respõdit: *Numquam audiuisse me aut legisse memini,*

Principem sæcularem ea potestate ornatum fuisse. Benè is certè. quàm enim speciosa esset Christi sponsa Ecclesia, quàm felix tali capite? vbi nempe in regnum succedit mulier, cui silentium ab Apostolo in Ecclesia præcipitur. Mulieres, inquit, 1. ad Cor. 14. in Ecclesia taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. & 1. ad Tim. 2. Mulier, ait, in silentio discat (vt scilicet naturæ suæ vitium corrigat) cum omni subiectione. Docere autem mulieri non permitto. Martyrol. Angliæ.

FREDERICVS IMP. PRIMVS.

Hic in gratiam à Pontifice receptus, cùm se eius pedibus humiliter aduolueret, Pontifex Dauidicum hunc rithmum, Super aspidem & Basiliscum ambulabis, protulisse cõmemoratur. ad quod CÆSAR graui vultu respondit: *Non tibi, sed Petro.* tamquam hominem facilè contemneret, personæ verò dignitatẽ probè veneraretur. P. Iouius Elog. lib. 1.

VALENTINIANVS IMPERATOR.

Auxentio defuncto, cùm de successore ageretur; VALENTINIANVS, conuocata Synodo, *Talem*, inquit, *in Pontificali sede constituite, cui & nos, qui gubernamus Imperium, syncerè nostra capita submittamus.* At petebat Synodus, ipse eum eligeret, quem huic muneri idoneum iudicaret. Verùm ille; *Supra nos*, inquit, *est talis electio. Vos gratia diuina potiti, & illo splendore fulgentes, meliùs eligetis.* Hist. Tripar. lib. 7. cap. 8.

THOMAS MORVS.

Erat hic regni Angliæ Cancellarius, cuius celebris in hoc opere facta mentio. Hic, inquam, dum Henricum regem Ecclesiæ primatum obtinere negasset, ideoque iudicibus ad mortis sententiam accipien-

cipiendam ſiſteretur; rogatus, num tandem ab eo errore mentem reuocare nollet; quod ſentiebat, palàm explicauit, dicens: *Iam integris ſeptem annis omnium veterum monumenta euolui: neque tamen vſpiam reperi, hominem laicum & ſæcularem caput eſſe poſſe, aut fuiſſe Eccleſiæ.* Nemo enim ſibi ſumit honorem illum: ſed qui vocatur à Deo, tamquam Aaron. Sic & Chriſtus non ſemetipſum clarificauit vt Pontifex fieret: ſed qui locutus eſt ad eum, Filius meus es tu, ego hodie genui te. ad Hebræos cap. 5. In Vita eiuſd. apud Staplut.

POPVLVS.

S. POLYCARPVS.

VEluti crebra in mari tempeſtatum, ita in POPVLO ſentẽtiarum cõmutatio. cui proinde vir prudens vix vmquã ſatisfecerit. Cùm fidei ſuæ rationẽ Herodi Proconſuli reddere iuberetur POLYCARPVS, diemq́ue diceret, quo cum eo ageret: Proconſul, vt coram populo ſe excuſaret, mandauit. Cui POLYCARPVS: *Numquam id fecero. Principibus honor debetur, modò Deo non ſit contrarius: populo autem furenti nemo poteſt ſatisfacere.* Euſeb. lib. 4. Eccl. Hiſt. cap. 15.

IOANNES XXIII. PONT.

Vide Apophth. de VVLGO.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Illius etiam ab ore profectum aliquando: *Principi cum populo plus negotij, quàm olim Herculi cum tauro.* Videbat enim populum, vtpote belluam multorum capitum, vno rationis freno arceri vix poſſe. Henr. Farneſ. ſuprà.

PHILIPPVS I. HISP. REX

Clari generis magnęque dignitatis vir; alebat, vt Reges ſolent, falconem, qui ceteris illius generis ferocior, in aquilam (quam in palatij veſtibulo in pompam REX videndam exhibebat) fortè inuolat, eique adunco roſtro fauces præſcindit. Indignatus REX, aquilicidam talionis pœna multari imperat. Factum redarguentibus; *Indecorum eſt*, ait, *& impium, populum in Principem exſurgere*. Aquila enim auium princeps. Significabat autem allegoricè, licentiæ fręna numquam populo relaxanda. Chron. Hiſpan.

PRÆDICATIO.

IESVS CHRISTVS.

QVantum vtilitatis per PRÆDICATIONIS OFFICIVM Chriſtiano orbi acceſſerit, vel ex eo conſtabit, quòd Saluator noſtri generis CHRISTVS, ex hoc mundo ad Patrem iturus, idem vnicè diſcipulis commendarit, dicens: *Ite in mundum vniuerſum, & prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Matth. cap. vlt.

SS. PETRVS & IOANNES.

Dominici itaque præcepti memores iſti, dum iubentur abſtinere à propagatione nominis IESV, reſpondent: *Si iuſtum eſt in conſpectu Dei, vos potiùs audire quàm Deum, iudicate. Non enim poſſumus quæ vidimus & audiuimus non loqui.* Act. cap. 4.

BENIAMIN DIACONVS.

Ille etiam in carcere biennium detentus, dum ea lege ſolutus eſſet, ne ampliùs Dei Euangelium prædicaret;

dicaret; memor villicationis suæ, dicebat : *Neque possum neque debeo, talentum meæ fidei commißum, in terram abscōdere.* memor serui illius nequam, qui propter absconsum talentum, in tenebras exteriores missus est. Theod. lib. 5. cap. 28.

S. FRANCISCVS.

Egregius etiam sui talenti dispensator FRANCISCVS. quem rogasse aliquando confratres suos ferunt, Quid vobis consultius videtur, an quòd orationi, an verò quòd prædicationi vacem? & enumeratis commodis vtriusque, quamque Deo grata essent, tandem conclusisse: *Attamen prædicationis officium suis potissimùm commendare voluit Redemptor noster, dum ipse cum peccatoribus conuersatus est: cuius vestigio cùm nobis insistendum sit, vtilius, Deoque gratius futurum, intermissa quiete, foras egredi ad laborem.* quod & præstitit. Bonau. cap. 12. in Vita.

ANONYMVS RELIGIOSVS.

Nullius verò personæ conditionem spectandam, sed liberè annuntiandum quod veritas dictat, docuit Viennę Austrię cōcionator Alberti primi Imp. Ille enim & Imperatorem & proceres conspicatus, oscitanter verba sua excipientes; voce intenta, *Quæritur*, inquit, *saluarine Principes possint?* Et re agitata in vtramuis partem, excussóq; audientium somno; *Quid ni*, ait, *possint? si modò Baptismo suscepto, in cunis vagientes moriantur.* Æn. Sylu. lib. 3. Com. in Panormit.

ANONYMVS.

Sed factores verbi, non auditores tantùm, requirit Apostolus. Cuius doctrinæ memor quidam è Saracenorum finibus, vbi plures annos vixerat, reuersus Florentiam, dum interfuisset concioni cele-

berrimæ fratris Alberti de Sartiano, totus in lachrymas abiit. ac causam percontanti Alberto, quid in tantum fleret; *Saracenorum*, respondit, *calamitatem, & Christianorum oscitantiam atque ingratitudinem.* causamque addens, *Si namque*, aiebat, *hæc prædicatio facta fuisset Damasci in centum millium coronâ, ausim spōdere, plures octoginta sex millibus ab errore conuertendos fuisse.* Refert Bernardinus à Busto, Par. 1. Ros. serm. sermone 3.

ANONYMA MATRONA.

Quid tandem de deuoto fęmineo sexu dicemus? Requirebat honesta quędam MATRONA ab omnibus domesticis, num concio esset facta. Respondentibus illis iterùm atque iterùm, & factam affirmantibus, eò quòd certo certiùs interfuissent, imò notabilia quędam ex ea proferrent; *Dicta est*, inquit illa, *sed necdum facta concio. Superest eam nunc faciatis, & quæ audistis opere adimpleatis.* Sciebat autem, quòd, qui auditor est verbi & non factor, comparetur à Iacobo Apostolo, viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo. Considerauit enim se, & abiit, & statim oblitus est qualis fuerit. Recenset P. Ioan. Dauid in Verid. Christ. cap. 97.

PRINCEPS.

Ac primùm quidem,

PRINCIPIS RELIGIO.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

CVm ad imperandum in Dei Opt. Max. locum suffectus sit PRINCEPS, quem sine RELIGIONE nemo sequi potest, dicere consueuit Religiosus ANTISTES

TISTES ALDOBRANDINVS: *Nihil magis spectare decet Principem, quàm Religionem. idque tribus de causis: cùm, quia homo est: tum, quia Dei minister: ac denique, quia Reipub. rector est & gubernator.* Henricus Farnes. in Apophth. de Principe.

IDEM.

Et quia populi sui obsequium refugere videtur, qui Dei negligit imperium; *Maxima*, aiebat, *Principis commendatio in Religione consistit.* & verè, respirat in inclinata fortuna populus, vbi Principem videt Religioni deditum. Ibid.

IDEM

Rogatus, quínam Principum forent clementissimi; *Maximè*, respondit, *religiosi. quia nihil est Religione clementius.* Hinc noluit vetustas deorum simulachra ex lapidibus aut metallis effingi, quia durior esset illa materia: sed ex ligno, quod ad vsum hominum crescit. Ibidem.

IDEM

Sciscitanti quoque, quid potissimùm Principi curandum; *Religio*, respondit. instanti, Quid insuper? *Ne*, ait, *ea deseratur, quæ Religioni debetur obedientia.* ô si Angliæ Regum pectoribus insculpta aliquando & inscripta fuisset hæc imperandi norma! viueret adhuc auitus pietatis cultus, quem iam pridem liliatus pater suo stigmate fœdauit. Ibid.

PRINCIPIS FORTITVDO.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

INcunabula Reipub. & militaris disciplinæ ab vno Hercule trahi, asserebat superstitiosa vetustas. vnde quærenti, qualem esse oporteret Princi-

pem; respondebat illustriss. CARDINALIS ALDOBRANDINVS: *Fortem. quia imperij tutela fidissima, Fortitudo.* Præclarè Seneca;

Rex est qui metuit nihil,
Qui tuto positus loco,
Infra se videt omnia:
Occurritque suo libens
Fato. Ibidem.

IDEM

Interrogatus autem, quo fortitudinis studio duci deberet Imperator; *Eo,* inquit, *quo ferebatur Pelopidas Thebanus.* Is enim cùm ad expeditionem proficisceretur, monenti coniugi suæ saluti prospiceret; *Hoc,* inquiebat, *gregario militi curæ sit: Principem certè decet, non se solum, sed & totum exercitum à perditione seruare immunem.* Ibid.

IDEM.

Dixisse eum etiam memoriæ proditum est: *Fortem qui lacessit Principem, suo se gladio iugulat.* Ita Brasidas vir magnanimus, hasta quam è vulnere eduxerat, suum hostem interemit. Ibid.

PRINCIPIS PRÆSENTIA.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

MAgno quidem in pretio Principis fortitudo apud magnos; at non minori, eiusdem PRÆSENTIA. vnde rogatus PETRVS ALDOBRANDINVS, quidnam in conflictu renitētibus summum adferret præsidium; *Conspectus,* inquiebat, *Principis.* Hoc sentiens Agabrias aiebat, pluris esse pecudum exercitum leone duce, quàm leonum imperante pecude. Debet ergo Princeps iuxta Silium,

Primus

Primus inire manum, postremus ponere Martem.
Henr. Farnes. Apophth. de Principe.

Require Dux bonus, strenuus, *&c.*

PRINCIPIS CONSILIUM.

Petrus Aldobrandinus Card.

RIdiculos eos dicebant viri sapientes olim, qui vocem in quęstum conferunt; nec officium in deliberando, sed spem sequuntur. est enim consilij obses, non quęstus, sed prudentia. Quod vt sapientissimus ille Antistes doceret, dicebat: Consilium *est Principatus baculus: sine quo stare nō potest, iacere verò potest Princeps.* Henr. Farn. ibid.

Idem.

Interroganti autem cuidam, quo armorum genere hostium vis maximè possit reparari; *Umbone*, dixit, *Palladis: quo qui tegitur, lædi non potest.* Sanè res bellica sine consilij prudentia, nec vtilitatem habet, nec laudem. Ibidem.

Idem

Dum Imperatori imbecillo cūm robustissimo hoste cōfligendum aliquando foret, rogatus, Quomodo talis Imperator se geret, vt victoriam reportet? *Ut leopardus*, ait, *cum leone.* Innuebat autem, arti & consilio magis quàm viribus fidendum. Hinc Verinus in Distichis:

Consilio vtiliùs; quàm viribus arma geruntur;
Militis est robur, consiliumque Ducis.

Ibidem.

PRINCIPIS VITA.

ALEXANDER SEVERVS.

PRINCIPIS in Repub. personam sustinere, magnum dicebat Cicero: at maximum, eamdẽ benè & ad ciuium vtilitatem sustinuisse. Hinc dum humili veste sæpenumerò incederet ALEX. SEVERVS; reprehensus ab aulicis, *Imperatoria maiestas*, inquiebat, *virtute constat; animique, non corporis cultu.* quia, vt rectè Iuuen.

Scilicet in vulgus manant exempla regentûm:
Vtq; Ducum lituos, sic mores castra sequuntur.

Lampridius.

ALPHONSVS ARAGONIVS.

Ille quoque verus sui æui Alexander, si fortitudinem; maior eo, si virtutem & summam pietatẽ spectemus. Cùm vix habitu à popularibus dissideret, admonenti regium habitum sumeret, dixisse commemoratur: *Malo moribus & auctoritate meos excellere, quàm diademate & purpura.* Sciebat enim summam Principis virtutem,

Consulere patriæ, parcere afflictis, fera
Cæde abstinere, tempus atque iræ dare,
Orbi quietem, sæculo pacem suo.

Æn. Syl. de Dict. Alphonsi.

HENRICVS IV. IMP.

Iungatur Alphonso HENRICVS. qui rogatus, cur plebeio habitu Imperator vteretur; *Quia*, inquit, *Regum est, non corporis sed animi ornatu excellere.* Ioan. Peregrinus.

ÆNEAS SYLVIVS.

Iste priusquam Pontificatu fungeretur, intellexerat

rat Alphonſum, de quo iam ſermo, nulli vmquam ſubditorum offenſam dediſſe. *Et iuſti*, inquit, *Principis eſt, non ſolùm neminem iniuria afficere; ſed & eos qui damna aliis inferunt ſine cauſa, prohibere.* Ita Ouidius ferè in eamdem ſententiam:

Regia (crede mihi) res eſt, ſuccurrere lapſis.

Idem lib. 1. Comm. de rebus Alphonſi.

MARCVS BARBARICVS VENET. DVX.

Cùm huic item obiiceretur, quòd in puniendo, & ſe de iniuriis vindicando tardior eſſet, reſpondit: *Boni Principis eſt, non ſe vlciſci de inimicis: ſed ſufficit vt ſe vlciſci poſſe declaret.* Laudatur meritò illud Senecæ:

Qui vult amari, languidâ regnet manu.

Corozetus.

SOPHIA TIBERII CÆS. VXOR.

Neque latuit SOPHIAM TIBERII II. CONIVGEM, matronam prudentem & religioſam, rem magnam eſſe bonum Principem. Ita enim ſæpiùs eam ad maritum locutam ferunt; *Præſtat eſſe malum hominem, & bonum Principem: quàm malum Principem, & bonum hominem.* ſignificans, melius eſſe Principi benè facere, & malè audire; quàm benè audire, & malè facere. Ex lib. Rer. mem. Gall.

PRINCIPIS EXEMPLVM.

ALPHONSVS ARAG. REX.

REGIS *ad* EXEMPLVM *totus componitur orbis*, habet commune adagium. Hinc ſi is pius & prudens, ſimiles ſibi ſubditos habiturus. Quare benè ALPHONSVS, de Principum vita differentibus: *Veluti*, aiebat, *Heliotropium ad Solis motum; ita popula-*

pulares ad principum mores vertuntur, & formantur.

Rex velit honesta, nemo non eadem velit. &,

Nemo suos (hæc est aulæ natura potentis)
Sed domini mores Cæsarianus habet.

Panorm. lib. 2. de Gest. eiusdem.

IDEM

Intellexerat mala Punica per artem reddi dulcia & sapida. *Quin*, inquit, *& nos ciues nostros ingenio acri & prauo, industria & labore meliores reddimus.* quasi diceret, populi deprauatos mores, gubernantis studio reddi meliores. nam

Facere rectè ciues suos, Princeps optimus faciendo docet:
Cumque sit imperio maximus, exemplo est maior.

Panorm. lib. 4. de Gest. eiusd.

PRINCIPVM SATELLITIVM.
vide SATELLITIVM.

PROSPERITAS.

S. AMBROSIVS.

MVndi PROSPERITATEM, veram quidem prosperitatem, sed falsam iucunditatem dicebat August. At eiusdem institutor directorque AMBROSIVS, dum ad domum diuitis cuiusdam diuertisset, qui sibi omnia ex voto, toto vitæ tempore euenisse gloriabatur, euestigiò recessit. Rogatus à comite, cur fugeret tam liberalem hospitem; *Ne*, inquit, *vnà cum eo perpetua prosperitate vso, malè peream.* neque id vanum augurium. Vix enim domo recesserat, dum ea cum omnibus eam incolentibus terrę hiatu fuit absorpta. Paulin. in Vita.

MAR-

MARCVS PISANVS.

Quid verò hoc exemplo illuſtrius? Erat Vgolinus Gidareſcus Piſanus, qui eò deuenerat, rebus ſecundis ſublatus, vt nutu imperioque quaſi cuncta adminiſtraret: diuitiis, nobilitate, filiis, nepotibuſque affluens, beatũ ſe & felicem prædicabat. Cumque feſto ſui natalis die fortunam apud amicos extolleret, cæloque æquaret, auſus ad extremum, familiarium quẽpiam interrogare, num quid ſibi deeſſe exiſtimaret: qui attentâ rerum humanarum fallaci ſpecie, quamque volucri orbe circumagantur, vel certè mente à Deo mota; *Sola*, inquit, *ira numinis procul diuque abeſſe à tam ſecundis rebus non poteſt.* neque verè abfuit. Paulò enim pòſt turri à Gibellinis incluſus, miſera fame cum liberis extinctus eſt. de quo ita luſit aliquando Cornelius Kilianus Dufflæus:

Vrbs Piſæ, atque Arnus qui Piſas irrigat amnis,
Teſtes exitij ſunt, Vgoline, tui.
Cùm turri incluſus, chariſſima pignora natos
Eſurie extingui cernis, & ipſe peris.
Pòſt Danthes duce Virgilio regna infera luſtrans
Necdum ibi ſedatam comperit eſſe famem.
Nam videt infidi te Ruggerij occiput ore
Horribili & rabidis dentibus impetere.
Fortunæ miſerum mortales diſcite caſum,
Eſurie ecce Comes dira Vgolinus obit.

Require ADVERSITAS, & FORTVNA.

PRV-

PRVDENTIA.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

NVllum numen abeſt, ſi ſit PRVDENTIA, inquit Iuuenalis. Cuius intuitu ſciſcitanti quandoque, *quænam eſſet vitæ magiſtra*; reſpondit CARDINALIS ALDOBRANDINVS; *Prudentia. Soli*, inquiens, *Prudentiæ alumni ad rectè viuendum idonei ſunt*. Facit enim illa (vt habet Claudianus) ne quid inconſultus agas. Henricus Farneſius ſuprà de Apophthegm. Princ.

IDEM

Cùm præteritorum malorum iam quaſi obducta cicatrix recrudeſceret, & refricaretur admiſſi ſceleris in imperando memoria, rogatus quomodo rectè Reſpub. gubernari poſſit; reſpondit: *Vna eſt rectè gubernandi ars, ſine qua nec regere quis poteſt, nec regi: Prudentia.* Ibid.

IDEM

Interroganti, *Quid maximè timet vir prudens? Res*, inquit, *fortuitas*. Significabat autem, prudentis non eſſe, inanibus honorum aut cupiditatum blandimentis ſeduci. Ibidem.

GREGORIVS THEOLOGVS.

Præclarè igitur de Prudentia locutum GREGORIVM, quis inficiabitur? cuius ab ore profectus hic ſermo: *Qui ſerpentis prudentiam in malis, colũbinæ ſinceritati circa bona miſcuerit; is neq; prudentiam ſinet malignam fieri, neq; ſimplicitatem ſtolidam.* Habet Langius in Polyanth. ex Stobæo.

PVDI-

PVDICITIA.

IOAN. MACER MARASCALLVS FRANC.

PVDICITIAM, muliebris ſexus potiſſimum ornamētum, pertractanti, id vnum verendū, ne exequi valeam vel minimam earum rerum partem, quę tantæ virtutis pręconio debentur: ſatius tamen duxi parcè de ea loqui, quàm ſilere omnino. Videamus ergo quantum ſubiecta exempla PVDICITIÆ decus illuſtrent. IOAN. MACER obuias quaſuis mulieres, & in eis pudicitiam, detecto capite reuereri ſolitus erat. cumque fortè duas ſalutaſſet, rogat qui illi à latere, cur id faceret; an ſciret ſe ſalutem impertiuiſſe meretricibus? Qui ait: *Si ita eſt, neſcio. malim tamen exhibere reuerentiam decem inhoneſtis fœminis, quàm falli non ſalutando vnam pudicam.* Sentiebat ſanè cum Plauto in Amphith. non eam eſſe dotem, quæ dos dicitur; ſed pudicitiam, & pudorem, & ſedatam cupidinem. Corozet.

IVLIANVS APOSTATA.

In hoc quoque, etſi à pietate & religione noſtra abiit, admiranda hæc pudicitia fuit. quem fides certa habet, functâ Helenâ coniuge, nihil vmquā venereum attigiſſe. celebrabat ſæpè, & recolebat illud Bacchilidis Poëtæ: *Vt egregius pictor vultum ſpecioſum effingit, ſic pudicitia celſius conſurgentem vitam exornat.* Coll. ex Mon. Pol. I. Lipſ. cap. 17.

PELAGIVS GALICII PRINC. FILIVS.

Addatur PELAGIVS. Ille Abderamini regi Maurorum datus obſes. Et ecce forma eius captus Barbarus, florem hunc ſibi deſtinat, & alludere cœpit, contrectare, & tentare. Ille reiicit, idque ſæpiùs: donec

donec vim parat amator. cui iste ingenua ira pugnum impegit, &, *Tolle canis*, inquit, *vitam: non pudicitiam mihi extorquebis*. Præclarum in puero exemplum. Ibidem.

LVDOVICVS XII. GAL. REX

Videbat Annam Reginam dominandi libidine flagrantem, & multa quoque contra se molientem. Monentibus autem se in tempore de ea vindicaret; *Vxori*, ait, *pudicæ plura sunt condonanda*. Hanc solam in coniuge magni ducens virtutẽ, Pudicitiam: quæ, dum semel deperit, nulla est reparabilis arte. P. Æmil. in Vita.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Quid si PETRVM ALDOBRANDINVM hîc, licet præpostero ordine, inserere fas; quantus Pudicitiæ custos exstiterit, vnum eius dictum declarabit. rogatus enim, *quidnam potissimùm humanis affectibus dominaretur*; *Pudor*, respondit, *& Pudicitia*. quinimò sæpiùs ab eodem prolatum: *Homo sine pudore & pudicitia, & nomen amittit & hominis naturam*. Verissimum certè. nullum enim animal præter hominem, sensum habet pudoris. Henricus Farnes. suprà.

Lege Apophth. de CASTITATE.

PVNITIO.

IACOBVS CARRARIENSIS PRINCEPS PATAVINVS.

MOderatæ PVNITIONIS veluti summum ad virtutes bonum, ita delictorum impunitas est graue ad quoduis scelus malum. Erat IACOBVS CARRARIENSIS, qui laxatis foribus, è vita excessurus,

ſurus quoſuis admittebat, qui queri de ſe vellent. Venit cū aliis vnus, qui arroganter pecuniam quam ob remiſſam capitis damnationem acceperat, ſibi reſtitui poſtulauit, tamquam contra iuſtitiæ ordinem datā. Cui Princeps, generoſa, licet exili voce: *Si tunc iuſtitia in te reddita fuiſſet, nunc quod iniuſtè facis, queri de me non poſſes. Nullius ergo peccati conſcius ſum: niſi fortè, quòd mitiùs quàm merueras, fueris multatus*. Probè ergo monet Horatius Sat. 3.

——— Adſit
Regula peccatis, quæ pœnas irroget æquas;
Nec ſcuticâ dignum, horribili inſectere flagello.

Bernardus Scardeonius, lib. 3. claſſ. 13. deſcript. Patauij.

Morio Lvdovici Regis Gall.

Venerat ad Regem quidam perpetrati homicidij veniam petens. Rex facti enormitatem cōſiderans, quodque iam tertiò in illud crimen incidiſſet impunè; *Ecquid*, ait, *rurſus tu veniam? iam tertium homicidium eſt*. Nil cunctatus qui fors aderat, Morio; *Quid*, inquit, *Domine, tertium? imò primum dumtaxat eſt, quod hic perpetrauit. Secundum & tertium tuum eſt: quia ſi primum non condonaſſes, reliqua non perpetraſſet*. Philipp. Camer. Medit. hiſt. c. 100.

D. Lvdovicvs Franc. R.

Præclarè itaque Lvdovicvs. Poſtulauerat ab eo quiſpiam gratiam pro reo capitalis criminis: impetrat. At paulò pòſt dum preces ad Deum conciperet ex Pſalmis Dauidicis, & in illum Pſalmi 106. verſiculum incidiſſet: Beati qui faciunt iuſtitiam in omni tempore: protinus eam gratiam reuocari iuſſit, dicens; *Princeps, qui cùm crimen punire poſſit,*

 illud

illud non punit, non minùs coram Deo reus est, quàm si ipse perpetrasset. Annal. Franc.

RATIO REDDENDA.

IESVS CHRISTVS.

ITa nobis semper viuendum monet Lactantius, vt rationem Deo reddendam arbitremur. idque instinctu Dominici dogmatis, quo nos instruit, tam districtim villicationis nostræ rationem reddēdam; vt dicat, *Quoniam omne verbum otiosum* (quod nempe ratione iustæ necessitatis aut piæ intentionis caret) *quod locuti fuerint homines, rationem reddent de eo in die iudicij.* Matth. cap. 12.

ABBAS ANONYMVS.

Hic vt erat religiosus & pius, animo sæpiùs voluens SALVATORIS de reddenda ratione dictum, conspicabatur quemdam è suis profusiùs ridētem, & quasi stomachatus, *Coram cælo,* ait, *& terra rationem totius vitæ nostræ acturi sumus; & tu rides?* In vit. PP. de Compunctione.

IOAN. EPISCOPVS ROFFENS.

Incomparabili vitæ innocentiâ ille vir, dum ob amplissima merita à Rege ad primam Angliæ Cathedram sollicitaretur; eâ quam obtinebat contentus, *Beatum me existimo,* aiebat, *si de minuto hoc grege mihi concredito, in die Domini rectè valeam respondere.* Sciebat vir sanctus, Dominici gregis sanguinem de manibus Pastorum requirendum. N. Sander. lib. 1. de Schism. Anglic.

Vide IVDICIVM EXTREMVM.

RE-

REGNVM.

IESVS CHRISTVS.

PRosequamur nunc REGES & REGNA, & quęnam vtriusque conditio ac natura intueamur. Rex regum CHRISTVS à Scribis & Pharisęis per calumniam tentatus, quòd in Beelzebub Principe dæmoniorum eiiceret dæmonia; iis conuocatis, os suum in parabolis aperiens, dicebat: *Quomodo potest satanas satanam eiicere? Et si regnum in se diuidatur, non potest regnum illud stare.* significans regni stabilimentum esse, Concordiam. Benè Seneca:

——— Regnum non capit duos.
Nec regna socium ferre, nec tædæ sciunt.

Marci cap. 3.

RVDOLPHVS AVSTRIACVS.

Cur verò tanto homines regnandi desiderio incendantur, qui tamen artes omnes, quas numquam didicerint, se scire recusent; percontanti causam dabat RVDOLPHVS AVSTRIVS: *Quia omnes*, inquiebat, *stultos eos putant, qui regnare nesciunt: stultum autem nemo se esse iudicat.* Æn. Syluius de Dict. Fred. Imperat.

IDEM

Regni pomœria ampliaret monenti, respondit: *Melius est benè imperare, quàm imperium ampliare.* Nicol. Reusn.

CAROLVS IX. FRAN. REX.

Quos non labores lubens is pertulit, vt regno potiretur? Dum enim in regem vngeretur, anxia erat mater ne per ætatem (nam vix annum decimum excesserat) non esset sufficiens cæremoniis omnibus,

quæ tam ſolemni actu adhibentur, ſufferendis. At, *Feram*, inquit ille, *nec recuſabo hunc laborem, quoties ſe regna offerent*. Non tamen ſine cauſa in Oedipo Seneca inquirit,

Quisquámne regno gaudet? O fallax bonum!
Quantum malorum fronte quàm blanda tegis?
Vt alta ventos ſemper excipiunt iuga,
Imperia ſic excelſa fortunæ ſubiacent.

Annal. Franc.

HENRICVS GLAREANVS.

Hic facetè admodum Regum Principúmve mores corripiens, rogabatur cùm eſſet fortunæ tenuioris, qualem vitam ageret. Qui, *Regalem*, ait. *nam ſplendidè ac lautè rem familiarem gero: & cuius me debitorem obſtringo*. Corripiebat, inquam, profuſam magnatum in ſubditos temeritatem, à quouis vitæ ſtatuſque neceſſaria exigendi, & paucis, idque non niſi dum lubet, ſatisfaciendi. Ex lib. Ser. conuiu.

FREDEGVNDIS FRANCIÆ REG.

Etiam Fæminę hîc locum ſuum vendicant. FREDEGVNDIS, dum mortuo marito bello prouocaretur, filium ſuum Clotarium, adhuc infantem, primores de regno conſultura, ſecum ferebat. &, *Non parui*, aiebat, *vobis æſtimari debet Rex & dominus veſter, quamquam ætate paruulus, vt in conſpectu veſtro regnũ vaſtari patiamini. Ego neque animo fracta, neque conſilij inops, rebus deero.* quod & opere compleuit. Nam ipſum exercitum quaſi Ductrix antebat, natum ab vberibus pendentem geſtans. Gaguin. lib. 11. De reb. Gall.

Require GVBERNARE. PRINCEPS. *&c.*

RELI-

RELIGIO VT VIRTVS.

THEODOSIVS MAIOR.

MAgno apud magnos olim in pretio habita RELIGIO: cuius non ſolùm obſeruandæ, ſed & amplificandæ tantum ſtudium apud pleroſque fuit, vt vix vllum ei par viderit hæc ætas. Arcadium & Honorium Imperij ſui heredes & filios, ita moriens hortabatur THEODOSIVS MAIOR: *Imprimis & ante omnia religionem & pietatẽ excolite, per quam & pax ſeruari, & bella confici, & hoſtes fundi, & trophæa ſtatui, & denique victoriæ obtineri poterunt.* hinc benè Horatius:

DI multa neglecti dedêre
Heſperiæ mala luctuoſæ.

Cedrenus in Theodoſ.

IOVIANVS IMPERATOR.

Haud aliter IOVIANVS. cæſo Iuliano, dum ei ſummam imperij deferret exercitus ex varia gente conflatus, primùm recuſauit, dicens: *Nequeo imperare exercitui ſuperſtitionem Græcorum amplexo.* At vbi milites vno ore acclamarent ſe Chriſtianos, admiſit. Idem.

PALATINVS ANONYMVS.

Erat hic ex Henrici VIII. regis aſſeclis: qui conſpicatus quoſdam morti adiudicatos; hos ob Catholicam fidem propugnatam, illos propter oppugnatam; *Næ*, inquit, *impoſterum ego regiæ Religionis ero, id eſt nullius.* magis impiè quàm olim Ethnici: quorum ea maxima; Omnes Religione mouentur, eâque vita conſtat. Sander. lib. 1. de Schiſ. Angl.

Vide Apophth. de CHRISTIANISMO.
CHRISTI HONORE. *&c.*

RELIGIOSVS STATVS.

S. LAVRENTIVS PATR. VENET.

QVamuis in omni vitæ ſtatu ſalus benè operanti aduenire poſſit, ac merita laborum merces rependi: illum nihilominùs excellentiorem prçſtantiorémve exiſtimamus, qui magis compendioſâ, licet anguſtiori ſemitâ, ad vitam ducit operãtem: eſtque is quem RELIGIOSVM dicimus. cuius egregiam dignitatem & præſtantiam quandoque dicto ſuo expreſſerũt viri Religioſi. Et quidem LAVRENTIVS PATRIAR. VENET. de bono Religionis diſſerentibus dixiſſe commemoratur: *Conſultò Deus gratiam Religionis hominibus occultauit: nam ſi cognoſceretur illius felicitas, omnes ad eam concurrerent.* Sur. tom. 1. in Vita.

IDEM

Adoleſcentem nobili genere oriundum, qui fratrum ſuaſu cœnobium ingreſſus vitæ monaſticę ſe dederat, patri reſtituit. eique cauſam ſciſcitanti; *Religionis*, dicebat, *propoſitum à Spiritu ſancto eſt: non ab humana ſuadela.* Sur. tom. 1. in Vita.

PAMBO ABBAS.

Ille verò hoc modo iuniores qui religioni ſe conſecrauerant, hortabatur: *Talis eſſe debet Religioſus, quale corpus mortuum; quod neque voluntatem habet, neque ſenſum: aut qualis baculus in manu ſenis, qui eo ad arbitrium vtitur.* In vitis PP. de Obedien.

S. ÆGIDIVS.

Neque hunc ſilentio inuoluendum ſentio: qui roganti, quidnam eſſet Religio; *Curia*, aiebat, *magni Regis, in quam ingredi cuiuis datum, & nullius reputatur*

tatur artis: at non ita, benè & competenter in ea conuersari. Notabat autem, plures Religionem ingredi, & manere irreligiosos; ac (vt habet vulgatum) cucullam non facere monachum. Ex Sent. aureis S. Ægidij.

S FRANCISCVS.

At in Religionis & fidei obedientia nullius valoris esse genus, opes, formam, quæ sunt velut mundi quædam numismata, facto dictoque asseruit Minorum pater FRANCISCVS. Dum enim asello veheretur, eumque collega duceret, cœpit is intra se dicere; Non de pari ludebant parētes eius, & mei: tamen ipse equitat, & ego pedes eius asinum duco. Hoc eo cogitante, descendit asino vir sanctus, & ait: *Haud æquum est frater, me asino, te pedibus incedere: quia me longè in sæculo nobilitate & potentia superasti.* Obstupuit alter, & rubore suffusus, veniam cum lachrymis petiuit. Bonau. in Vita, cap. 11.

S. HILARION.

Neque illud infimum Religionis bonum, quòd in ea cōuiuentibus omnia sint communia, vti olim sanctis Apostolis: ita vt distribuatur vnicuiq; prout ei necessarium fore Superiores perspexerint. Quare Hesychium monachū reprehensum ab HILARIONE, testis est Hieronymus, quòd propriæ libertatis amantior, ab aliis segregatus viueret. Itaq; vt gratiam apud HILARIONEM iniret, ei fasciculum cicerum ex horto detulit. quibus ad mensam appositis, tantum fœtorem fructus ille proprij studij per eam diffudit, vt HILARION exclamaret: *Non sentis putorem teterrimum, & in cicere latere auaritiam? mitte bubus, mitte brutis animalibus, & vide num comedāt.* Hieron. in vita Hilarion.

FRANC. BORGIA SOC. IESV.

At hic *Religiosam vitam* dicebat *crucem esse perpetuam & martyrium*: quòd Religiosus seipsum vincere necesse habeat, & perpetuò obtemperare ex voto debeat. Lib. 4. Vit. cap. 8.

RELIGIOSVS HABITVS.

S. ANASTASIVS MARTYR.

NOn ipsam Religionem modò, sed & HABITVM eiusdem indicem in pretio habuisse, laudi datur. In terram prostratus ANASTASIVS, dum tam crebris pulsaretur ictibus, quàm imber deorsum guttas emittit; solam illā à percutientibus gratiam efflagitauit, vt religiosum amictum exueret. rogatus, cur ita; *Ne*, inquit, *is vnà cum meis membris probro afficiatur.* Sur. tom. 1. in Vita.

LVDOVICVS CAROLI II. FRAN. REG. F.

Eiusdem ordinis est quod sequitur. Dum spreto Franciæ regno, & paterna hereditate, LVDOVICVS ad S. Francisci institutum transiuisset; gratulabundus ei de confratribus, dixit: Multum hodie splendoris Franciscanæ familiæ per te accessit. Cui ille: *Quinimò, multo amplius mihi per hunc habitum.* Hier. Platus lib. 2. De bono statu Relig. cap. 37.

REPREHENSIO.

IESVS CHRISTVS.

MAgnum quandoque commodum adferre iustam malorum REPREHENSIONEM; nullum verò, si intemperata fuerit, testis est rerum magistra experientia. Neque paruæ virtutis est, eam cum mode-

moderamine adhibuiſſe. CHRISTVS veritatis magiſter, ſanata ipſo Sabbato muliere, quæ duo de viginti annis graui morbo afflicta fuerat, indignantem quòd Sabbato curaret Archiſynagogum acriter reprehendebat, dicens: *Hypocritæ. vnuſquiſque veſtrûm non ſoluit bouem ſuum aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quam alligauit Satanas, ecce decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die Sabbati?* additq́, Euangeliſta: Et cùm hoc diceret, erubeſcebant omnes. Hæc enim optima ratio Apophthegmatis, aduerſarium confundere. Lucæ cap. 13.

PAMBO ABBAS.

Cùm accepiſſet auri pondus in bonos pioſque vſus diſpenſandum, & diceret is qui dederat, Numera quãtam ſummam conficiat? reſpondit: *Quod dediſti non eget numero, ſed bono affectu.* ſignificans quod habet Apoſtolus, Hilarem datorem à Deo diligi. Socrat. Trip. Hiſt. lib. 8. cap. 1.

SS. BASILIVS & GREGORIVS.

Iſti item librum conſcripſerant, cui (Pro veritate) titulum indiderant. Hunc ad Iulianum Apoſtatam mittunt: quem vbi is accuratiùs euoluiſſet, reſcribi ad eos curauit: Legi, & reprehendi. Cui protinus illi, *Etſi legiſti, non intellexiſti: ſi enim intellexiſſes, nequaquam reprehenderes.* Egregia caſtigatio, Imperatorem falſitatis & inſcitiæ arguens. Sozom. Trip. Hiſt. lib. 6. cap. 38.

S. THOMAS ARCHIEP. CANTVAR.

Intellexerat Henrici regis decreto lâtam in ſe ſententiam, vt perpetuo carceri incluſus detineretur, ac ſedens eam placato animo accepit, magnaq́ue grauitate reſpondit: *Ordo confunditur, ſi paſto-*

rem ouis, magistrum discipulus, patrem filius verberet. meritò corripiens, maiorem à minori impiè & contra iustitiam condemnari. Surius tom. 6. in Vita.

Require Apophth. de CASTIGATIONE.

RESPONSVM MATVRVM.

IESVS CHRISTVS.

QValis vir, talis sermo; habet vulgatum Prouerbium. vnde non obscurè ex respondentis ore, mentis qualitas elucescit. Rogantibus Iudæis, postquam CHRISTVS ementes & vendentes templo eiecisset, Quod signum ostendis, quia hæc facis? respondebat: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Maturè admodum & prudenter significabat se tertia die à mortuis resuscitandum. Ioan. cap. 2.

CÆCI EVANGELICI PARENTES.

Haud minimā laudem merētur isti. Filio quippe à Domino sanitati restituto, rogabant eos Iudęi, Hícne est filius vester, quem vos dicitis quia cæcus natus est? quomodo ergo nunc videt? Illi autem responderunt: *Scimus quia hic est filius noster, & quia cæcus natus est. Quomodo autem nunc videat, nescimus: ipsum interrogate, ætatem habet, ipse de se loquatur.* Maturè diluebant concitatorum hominum obiectiones: omni suspicione, quæ de se haberi poterat, remota. Ioan. cap. 9.

MVLIER EVANGELICA.

Digna etiam illa quæ extento æuo viuat. ambulanti Domino iuxta partes Tyri & Sidonis, MVLIER GENTILIS ex Syro Phænicia acclamauit, vt filiam

filiam quam energumenam habebat, à maligno ſpiritu liberaret. qui reſpondens, Non eſt bonum, aiebat, ſumere panem filiorum, id eſt, alimenta filiis debita; & mittere canibus, id eſt, Gentilibus, quos Iudæi velut canes reputabant. cui illa: *Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorum ſuorũ.* Matura & inexſpectata mulieris reſponſio, quę Dei benignitatem erga quoſcumque clarè repræſentat. Matth. cap. 15.

S. AVGVSTINVS

Percontanti, quid Deus ante mundi creationem feciſſet; *Reſpondeo*, inquit, *non quod reſpondiſſe per iocum fertur quidam eludens quæſtionis violentiam; Alta, dicens, ſcrutantibus Gehennam parabat. Aliud eſt videre, aliud ridere. Hæc non reſpondeo. Libētiùs reſpõderim, Neſcio, quod neſcio; quàm illud vnde irridetur qui alta rogauit, & laudatur qui falſa reſpondit.* Coll. ex lib. 11. Confeſſ. 12.

S. ANTIPAS.

Nec alium ſe exhibuit ANTIPAS, quem dum Pręfectus duriùs increparet, quòd antiqua deorum religione neglecta, inſanam quãdam hominis in cruce acti doctrinam ſequeretur, cùm non ignoraret vetera recentibus præſtantiora. reſpondit enim: *Si vetuſtiſſima quæuis obſeruãda, cur nõ & Cain fratricidij inuentorem imitamini? aut eos qui cælum conſcendere conati? vel qui cum propriis ſororibus ſe commiſcere non ſunt veriti?* Quo dicto obiectionem quidem diluit, at animi ferocitatem non minuit. Sim. Metaphraſt. in Vita. Lippelloo tom. 2.

NICOLAVS EPISCOPVS CAPVANVS.

Hunc ob r[illegible]as dotes Paulus Pontifex ad Franciæ, Angliæ, & Hiſpaniæ Reges Oratorem miſerat.

cum-

cumque reuersum Cardinalis Saluiati percontaretur, quidnam maximâ admiratione dignum vidisset; paucis,& maturè, *Vidi in Galliâ*, inquit,*pulchrũ & florens regnum,ac benè institutum legibus & disciplina: in Anglia autem, Regem pulchrum corpore, at moribus deformem : sed in Hispania, Regem prudentem & consilio magnum.* Peucerus & Strigelius.

RESPONSVM PRÆCEPS.

FREDERICVS DVX SAXONIÆ.

NIhil ita cauendum, præsertim Principi viro, quàm in RESPONDENDO PRÆCIPITANTIA. quod non ignorans FREDERICVS ELECTOR,dicebat quandoque ad suos : *Ego in rebus magnis , non nisi præuia deliberatione responderim.* Hinc multa etiam prudenter ab eo facta & dicta. Phil. Camer. in post. Pez. par. 4.

IDEM

Quin & iis qui nimium in respondendo præcipites,dicere solebat illud à Demosthene olim vsurpatum ; *Improbum ciuem iudico eum, qui non paratus respondet.* Ibidem.

CAVSIDICVS ANONYMVS.

Quare prudenter ille, dum causam quamdam in iudicio produceret , eaque responsum postularet, *Priùs*, inquiebat, *deliberatione opus.* Cumque solus is esset, rogarentque iudices , cum quo deliberandum sibi foret ; caput manu contingens , *Cum isto*, inquit. Ibidem.

REX ANGLIÆ ANONYMVS.

Neque tu silentio inuoluendus , quicumque es, generose PRINCEPS. immeritò fateor & iniquè tui nomi-

nominis famâ postuma ætas priuatur. Rogabat te pater, quidnam optione data præ omnibus à Deo postulares; &, *Collum gruis*, inquis, *quo non nisi benè discussa verba depromam.* Quanto tu meliùs illo, quem hoc ipsum gulæ explendæ gratia ferunt à diis postulasse? Fulgos.

RESTITVTIO.

ZACHÆVS PVBLICANVS.

MAgni momenti apud nos esse debet iniustè acceptorũ RESTITVTIO: præsertim cùm nulli dimittatur peccatum, nisi restituatur quod fuerit ablatum. Cuius rei scrupulo tactus ZACHÆVS Publicanorum Princeps, postquam Dominum Iesum in domum suam gaudens excepisset, memor quantum fortassis per iniqua vectigalia miserum popellum oppressisset; stetit, & ait: *Domine, ecce dimidium bonorum meorum do pauperibus, & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* Meruit ergo à Domino vocari filius Abrahæ; non quidem natura, sed exemplo ac imitatione. Lucæ cap. 19.

CAROLVS V. IMP.

Verùm vt iustitię Zachæi est testis Sacra pagina; ita CAROLI CÆSARIS Gandauum, quod de tanto ciue gloriatur. Ille enim dum Franciscum Galliæ regem bello lacesseret, sæpè in regiam hanc vocem prorupit: *Etsi totum Franciæ regnum debellassem, redderem illud Regi, modò id quod meum esse contendo, mihi relinqueret.* Præclarè August. de verb. Apost. Quod inuenisti, & non reddidisti, rapuisti. Qui alienum negat, si potuit, tollit. Auct. vitæ eiusd.

Ger-

German. Item habetur in Serm. Conuiual. Ioan. Pereg. Petrosel.

Vide FVRARI. FVRTVM.

RISVS.

S. SABINA.

RIDET fatuus nulla dum causa subest, inquiebant apud Græcos Comici: at prudens, causa dum subest, ridet. Aderat Pionio presbytero, dum quosdam ad Christianam religionem suscipiendam alliceret, SABINA. quæ cùm alios à fide videret alienos, eò quòd se comburendos dicerent, risit. ad quã dum conuersi illi dicerẽt; Rides in re seriâ? respondit: *Ita Deo placet, Christiani enim sumus: & qui fide firmâ in Christum sunt, risu ridebunt perpetuo.* Sur. tom. 1. in vita Pionij.

ABBAS ANONYMVS.

Vide RATIO REDDENDA.

ROMA.

CONSTANTINVS IMPERATOR, & HORMISDAS ARCHITECTVS.

ROMAM mundi caput ingredimur: quæ olim vt omnibus dominabatur Gentibus, ita omnium Gentium seruiebat erroribus. Huius splendorem conspicatus aliquãdo CONSTANTINVS, summa cum admiratione dicebat: *Natura omnes vires in vnam hanc vrbem effudit.* dumque HORMISDAM percontaretur, quídnam sentiret; *Id tantùm mihi arridet,* respondit, *quòd didicerim etiam hîc homines mori.* Parui ducebat externum illum splendorem

cum

cum ipſo homine ſeneſcentem. I. Lipſ. de Magnit. Imp. Rom. Platina, Fulgoſus, & alij.

S. Fvlgentivs Episc.

Require Apophth. de Gloria cælesti.

SABBATVM.

Iesvs Christvs.

DIem Sabbati ſanctificandum, diſtrictim in veteri Lege Deus pręceperat; quòd eum diem repręſentaret, quo expleta huius mundi fabrica, ipſe ab omni opere, cuius ſpecies vel ſemen non præceſſerat, ceſſauit. Ideoque hunc ſuperſtitiosè obſeruarunt Iudæi: nam dum in eorum ſynagogam Christvs introiſſet, & oblatum ſibi hominem aridam manum habentem curaſſet, calumniabantur quòd Sabbato curaſſet. quibus ille: *Quis erit ex vobis homo, qui habet ouem vnam, & ſi ceciderit hæc Sabbatis in foueam, nónne tenebit & leuabit eam? Quantò magis melior eſt homo oue? Itaque licet Sabbatis benefacere.* Quo dicto, ſuperſtitionem eorum repreſſit, qui Sabbato à quouis opere externo, quacumque ſubſiſtente cauſa, exiſtimabant abſtinendũ. Mat. c. 12.

Idem.

Cùm diſcipulis Sabbato per ſata tranſeuntibus, ſpicaſque vt manducarent vellentibus, inſultarent Phariſęi, quòd facerent ea quę non liceret in Sabbato; argumento à fortiori eos confundens, dixit: *Non legiſtis quid fecerit Dauid quando eſuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domũ Dei, & panes propoſitionis comedit, quos non licebat ei edere, neque his qui cũ illo erãt, niſi ſolis Sacerdotibus?* Maior quippe erat religionis contemptus, panes ſanctos à lai-

cis

cis manducari, quàm vellere ſpicas in Sabbato. Matth. cap. 12. Mar. c. 2. Luc. 6.

SALOMON IVDÆVS & ANGLI ANONYMI.

Require PAR PARI RELATVM.

SACRAMENTA ECCLESIÆ.

CIVIS FERRARIENSIS ANONYMVS.

CVm concupiſcentiæ cicatrix, nobis ex vulnere quod Adami peccatum inflixit relicta, recrudeſcere cœperit, & neſcio quem in corde excitare pruritum; nemo ſuapte vi tam efferos motus poteſt frangere, niſi (vt loquitur Bernardus) ſupernaturalem SACRAMENTORVM ECCLESIÆ inueſtituram habeat. hac contectus fuit, CIVIS quidam FERRARIENSIS, quem probè nouiſſe Guilielmum Balbeſanum præclaro eiuſdem teſtimonio conſtat: Audiui, inquit, (verba eius adiicio) CIVEM FERRARIENSEM de ſe narrare ſolitum, adoleſcentem ſe, tam vehementes ſenſiſſe carnis incitationes, vt nec vmquam à tentationibus interquieſceret, & aliquoties etiam rueret in peccatum : auidum tamen ſalutis acceſſiſſe virum religioſum, petiiſſe conſilium; illum hoc dediſſe tantùm, vxorem duceret. ſe feciſſe: poſt annos aliquot vxore mortuâ ſe pertimuiſſe, ne in priſtinas recideret miſerias. abhorrentem tamen à ſeruitute (ita cõiugium vocabat) dediſſe ſe in preces, confeſſione purgaſſe, diuinis epulis confirmaſſe animum. His rebus ita ſibi vires aduerſus furias appetituum creuiſſe, vt ſe ipſum admirans, & dolens ſuperioris ætatis infelicitatem, diceret: *Heu me miſerum! Eccur non olim adoleſcens incidi in hominem, qui non diceret, Vxorem duc: ſed, Vtere frequẽter Sacramen-*

cramentis. Viſa ſunt & videntur indies huius generis miracula, virtutē diuinæ gratiæ in SACRAMENTIS teſtantia. Lib. 2. in Stim. virtut. cap. 28.

Reliqua huius generis quære in tit. de BAPTISMO, CONFESSIONE, EVCHARISTIA, *&* POENITENTIA.

SACERDOTIVM. SACERDOS.

IESVS CHRISTVS.

TAndem ad miniſtros Chriſti, & diſpenſatores miniſteriorum Dei, confugimus: quorum dignitatē in veteris Legis Sacerdotibus adumbratam, noui Teſtamenti mediator CHRISTVS exhibuit: mundato enim leproſo, præcipiebat: *Vide nemini dixeris: ſed vade, oſtende te Sacerdoti, & offer munus*, &c. ita Sacerdotibus debitum honorem propoſuit; nempe dum illis ſe exhibere voluit eos, quos ipſe propria virtute ſanauerat. Matth. cap. 8.

S. FRANCISCVS.

Auxit etiam Sacerdotibus debitum honorem ſuo dicto FRANCISCVS. qui de Sacerdotali honore & Sanctorum gloria verba faciens, dixiſſe fertur: *Si cui Sanctorum in terram è cælo lapſo, & Sacerdoti occurrerem; huius primùm manus exoſcularer, ac dein Sancto reuerētiam exhiberem.* plus debere ſe ſignificans ei, quo miniſtrante Chriſtum acciperet, quàm illi, qui præſens cum Chriſto regnaret. Marul. libro 3.

S. IOANNES CHRYSOSTOMVS

Conſiderabat quàm ſancta res eſſet Sacerdotium: ideoque ſanctuarij aditu arcebat eos, qui iuxta legum Eccleſiaſticarum pręſcriptum vitam inſtituere

negligerent, inquiens: *Non est æquum sacerdotali honore fulgere eos qui vitam eorum, qui verè sunt Sacerdotes, non imitantur.* Theodor. lib. 5. Histor. Eccles. cap. 28.

GVNTHERVS EPISC. PABENBERGENSIS.

Iter hic instituerat ad terram sanctam. cumque impeteretur à Barbaro quodam, vt erat seueræ grauitatis, inuasorem pugno à se reiecit in solum, adiiciens: *Sic Barbaros pœnas dare conuenit, si impuras manus in Christi Sacerdotes inferre conentur.* Ita olim Plautus,

Quis homo est tanta confidentia
Qui Sacerdotem audeat violare? &c.
At malo cum magno suo herclè fecit.

Herueldens. De gest. Germ.

CONSTANTINVS M.

Et ille ciuili in ordine, quos non honores Sacerdotio deferri voluit, & sanxit? vtpote qui lege cauerit, Sacerdotem præ Rege aut quouis Principe honorari. Dicebat autem: *In illis Christum honoramus, qui eius vicem in terris gerunt.* Præclarè Ouid. lib. 1. de Ponto:

Vaticinor, moneoque, locum date sacra ferenti:
Non mihi, sed magno poscitur ille Deo.

Gratianus dist. 10.

IDEM.

Nec minori elogio dignum quod sequitur. Audiuerat in Nicena Synodo accusationes, quibus se inuicem Sacerdotes criminabantur: easque ad se delatas, in sinum reposuit, & Vulcano consecrauit, dicens: *Sacerdotum iudicium Deo reseruo: qui velut numina, ad homines regendos, ab ipso hic in terris sunt constituti.* Egnat. lib. 1. cap. 1. ex Eusebio.

SAL-

SALTATIO.

ALBERTVS IMPERATOR.

SALTATIONVM frequens apud veteres vſus. neque eæ omnes reprehenſione dignæ. Sed heu! indomitam præſentis ſęculi, velut in omnibus aliis, ita & in choreis intemperantiam ac cõſuetudinem deplorandam, quæ apud omnes iam pęnè inoleuit. Fuêre tamen ab hac immunes viri principes plerique, è quibus ALBERTVS CÆSAR. Redarguebat is quorumdam principum mollitiem, quòd, dum ſe Hannibale fortiores iactitent, Sardanapalum imitantes, in conſeſſu nobilium matronarum ſaltitantes inueniantur: dicebat enim; *Laudo venationem, quæ virilis exercitatio eſt: ſaltationem verò, quæ muliebris dumtaxat, nec laudo, nec amplector.* Quid aliud ab eo exſpectandum, ſi à Dionyſio Rege iuſſus eſſet in conuiuio purpura indutus ſaltitare, quàm illud agere recuſantis Platonis?

Muliebri ego haudquaquam indui queam ſtola,
Vir natus ipſe, & ex virili germine.

Ioan. Peregrin. Petroſelan. in Conuiual. quæſt.

FREDERICVS IMPERATOR.

Erat vt Imperij, ita & animi eiuſdem FREDERICVS. cuius memorabilis illa vox: *Malim febribus in lecto detineri, quàm minimam ſaltationi operam dare.* Æn. Syluius lib. 1. Comm. in res Alphonſi. Car. Lang. in Polyanth.

ALPHONSVS REX ARAG.

Quid verò expectatis ab iſto? vt ſaltationi choreiſque ſuffragetur? Haudquaquam. Quippe qui Galliæ populos eo nomine leues vocitabat: *Quia,*

quò magis ætate prouecti, eò magis saltationis se insania oblectarent. Panorm. lib. 1. de Reb. eiusdem, & Syluius de Dictis.

IDEM

Cùm mulierem impudentiùs vidisset saltitantem, *Exspectate*, inquit, *mox Sibylla edet oraculum.* sentiens vnum insaniæ genus esse saltationem. Panorm. lib. 2.

IDEM

Obiicienti sibi, Scipionem aliosque Principes animum tripudio relaxasse; tertiò dicebat: *Saltatorem ab insano nihil differre existimo: nisi quòd hic dum saltat, ille dum viuit, insanus est.* Panor. lib. 1.

IDEM.

Posse autem etiam à piis & bonis choreas suo loco & tempore aptè decenterque duci, ac tolerari, suomet exemplo testatus est. nam in aduentu Frederici III. cum Leonorâ Augustâ palàm saltitare visus. quam ob rem dum argueretur, respondit: *Eum ego insanum arbitror & stultũ, qui luxuriæ causa saltitaret: sed si ob honorem fiat, reprehensionis partem effugere; cùm magnis viris insanire aliquando, non indecorum.* Ita Aristippus purpurâ indutus, iubente Dionysio, saltaturus, inquiebat:

——— *In Liberi patris sacris,*
Mens quæ pudica est, nesciet corrumpier.

Ibid. lib. 2. de Gest. eiusd.

SALVS.

IESVS CHRISTVS.

NOn de illa quæ corpori seruit, & vnà cum eo interit, nobis hîc sermo; sed de ea quæ animam

mam immarcessibili coronâ & sempiternâ gloriâ donat. De quâ vt populo se sequenti prouisum esset, Salutis auctor IESVS se in hunc orbem venisse palàm edocuit, dũ murmurantibus Pharisęis, quòd ad Zachæum hominem peccatorem diuertisset, diceret: *Venit Filius hominis quærere & saluum facere quod perierat.* Lucæ cap. 19.

PANVSIVS ABBAS.

Eadem etiam cura PANVSIO ABBATI fuit. tentatus enim à Thaide meretricula, cùm se assentiri eius petitioni simularet, si loco ita secreto conuenirent, vt à nemine conspicarentur; & illa, plura esse diceret, in quibus à nemine, præterquam Deo, conspici possent; captata occasione, rogat, an Deum esse & omnia intueri crederet. Annuenti verò illi, subiunxit: *Cùm hoc non ignores, nùmquid infelicissima es, quæ propter breuissimi temporis voluptatem, & te, & omnes quibus tui copiam facis, perdas?* Audit, & corde compuncta, pudicitiam deinceps mira pietate coluit. Benè Seneca olim dicebat: Sic viue cum hominibus, quasi Deus te videat. Surius tom. 2. in Vita lib. 1. cap. 13.

CAROLVS V. IMP.

Amantiorem proximi orbis non vidit. Ægriùs ferebant proceres, quòd non vti Iulius, aliique Cæsares, partam victoriam prosequeretur. quibus ille: *Ethnicis solus finis, honor, & clara nominis fama: at nobis Christianis alius est scopus præfigendus; neque in tantum laus hominum cordi esse debet, quantũ eorumdem salus.* Iust. Goblerus in Chronico.

CHRISTOPHORVS ARCIS DIENSIS PRÆF.

Ille quidem proximi; subiiciam nunc eos, qui propriæ salutis curam nõ exiguam gessêre. Erat CHRI-

STOPHORVS Lusitania oriundus, arcis Diensis Præfectus: qui dum pro muri corona staret armatus, contorta ab hostibus è transuerso pila, partem ventris vna cũ intestinis abripuit. Semianimis domum delatus, ilicò optimam parentem hac voce compellat: *Peto à te, ô mater, mihi prius ad crimina expianda Sacerdotẽ præbeas, quàm lachrymas ad obitum meum prosequendum. Vererer sanè, ne tuæ lachrymæ meam ad supremum iter necessariam exigui temporis præparationem impedirent.* Maff. hist. Indicæ lib. 11.

IOANNES SHERTVS ANGLVS.

Vide ANIMÆ IMMORTALITAS.

Quære etiam Apophth. de CONSTANTIA RELIGIOSA. ADMONITIONE. PERSEVERANTIA. MARTYRIO, *&c.*

SALVTIS NEGLECTVS.

REX LAGINENSIVM ANONYMVS.

NEc defuêre homines nefarij, qui salutẽ suam pro nihilo habuerunt; pluris facientes temporalia hæc & caduca, quàm cælestia & æterna. Venerat ad LAGINENSIVM REGEM Brigitta virgo, postulans quid ab eo. quod cùm impetrasset, Quídnam nunc mihi relatura es? ille rogat. Hæc, *Vitam æternam*, ait, *si vis, & pro posteris tuis preces ad Deum.* Quid autem his præclarius aut sanctius dari poterat? at veluti carnalis homo non sapit ea quæ sursum sunt; ita ille, *Alia*, respondebat, *abs te malim: vitam quæ sub aspectum non cadit, non possum amare: nec mihi filij post me venturi, curæ.* Ita oblatam sibi salutem respuens, maluit se iungere diligentibus vani-

vanitatem; quàm obſequi Sanctis, facientibus veritatem. Sur. tom. 1. in vita S. Brigittæ.

RICOCLVS FRISONVM DVX.

Suſcipiendam ille, hic verò ſuſceptam pænè ſalutis viam neglexit: & quam benè ingreſſus ſemel, poſtmodum ab eâ in priſtinam deflexit. Conuerſus namque Volfranij Senonenſis Epiſcopi monitis ad fidem, dum iam alterum pedem in fonte Baptiſmatis poſuiſſet; petiit, vbinam ſuorum potiorem partem eſſe putarent, in Paradiſo, an in inferno? Reſpondente Volfranio, In inferno: quia nullus eorum Chriſtum agnouiſſet. pede retracto, *Eò*, inquit, *proficiſci volo, vbi maior meorum pars: eam enim ſequi tutius eſt, quàm minorem.* Non guſtabat hic eam dulcedinem, quam conſequuntur ij, qui in Domino mortui inebriantur ab vbertate domus Dei, & æternæ voluptatis torrente recreantur. Bapt. Fulgoſ. lib. 9.

SALVS CORPORIS.
Quære SANITAS.

SANCTORVM MEMORIA ET INVOCATIO.

CLODOVEVS FRANC. REX.

QVemadmodum ex igne naturaliter promicat ſplendor; ita SANCTORVM COMMEMORATIONE & INVOCATIONE, ad omnes prouenit vtilitas. qui proinde non natura ſua adorandi, ſed quòd illum (vt loquitur Damaſcenus) qui natura adorandus eſt, in ſeipſis habeant. Franc. Rex Chriſtianiſſimus CLODOVEVS, vt erat infenſus omnibus qui à Chriſti fide deſciuiſſent, equum quo vehebatur

D. Martino, si victor votique compos euaderet, vouit. Ita accidit. & ecce equum offert, ac pro eo pretium centum aureorum, quos in tutelaris Diui honorem impenderet. Res mira! stat equus, nec loco cedit. quo viso, ducentos numerari iubet: tum quasi solutus, Regem exspectantem sequitur. qui ad circumstantes conuersus, *Bonus*, ait, *Martinus egregius adiutor est, sed stipēdio carus*. Pulchrè Chrysost. Velut si quis margaritam in luto conculcet, eius ampliùs demonstrat pulchritudinem: sic virtus Sanctorum, quocumque eam* proieceris, declarat suam virtutē, in seruitute, in carcere, in prosperitate. Cranz. lib. 3. Sueciæ cap. 16.

SANCTVLVS ABBAS.

Præclarum etiam SANCTVLI Nursiæ prouinciæ Abbatis exemplum fuit. qui, vt Diaconum suum à Longobardis latronibus captū redimeret; seipsum pro eo trucidandum deposuit. At ne tanta charitas suâ mercede careret, iamiam feriendus, dum inclamaret; *Sancte Ioannes contine manum ferientis*. ipsa manus immota permansit: nec modò vitam suam miraculo seruatam accepit, sed & Barbaris obstupescentibus, omnes quotquot habebant captiuos, secum abduxit. Sur. tom. 3. in Vita.

LVDOVICVS XII. FRANC. REX.

Require BENEFICENTIA.

VIRGO ANONYMA.

Quo tempore Carolus VIII. Gall. Rex Italiam bello deuastabat, factum, vt opidulum quoddam militi in prædam daret. & ecce puella ad pedes eius prouoluta, tutelam à vi militum, & pudicitiæ suæ custodiam postulat. Annuit ille: sed vt erat iuuenis adhuc, oculos & cupidinem ad eam adiicit, & quidem

dem in lectum ſeduxit iam imminuendam. Animo anxia, videt ſuſpenſam in pariete D. Virginis effigiem; eaque oſtenſa, *Per intactam*, clamat, *hanc Virginem oro, adiuro, virgini mihi parce.* Mouit hæc vox Regem, & libidinem exſiliētem coërcuit: eamque amplexatus, cum quingentorum aureorum dote dimiſit. I. Lipſ. Mon. Polit. lib. 2. cap. 17.

Require S. MARIA MATER DEI.

SANCTORVM RELIQVIÆ.

FRANCISCVS BORGIA SOC. IESV.

SI paterna veſtis & annulus, aut quid huiuſmodi, tanto eſt charius poſteris, quanto erga parentes maior exſtitit affectus: nullo modo ſpernenda erunt corpora, quæ multo coniunctiùs quàm indumenta geſtamus; eorum præſertim, qui velut promptuarium (iuxta Damaſcenum) & habitacula facti ſunt & templum Dei. Meritò ergo eorumdem reliquias honore proſecuta ſemper eſt Eccleſia, & in eâ FRANCISCVS BORGIA: ille enim, quoties Sanctorum aut reliquias aut imagines conſpicaretur, eas mànibus contrectans; *Saluete*, aiebat, *pignora nobis in hoc exilio degentibus à Deo depoſita: ſaluete ſalutis noſtræ ſpes atque ſolatium.* Lib. 4. Vitæ eius, cap. 4.

SANITAS.

B. IGNATIVS LOYOLA.

MAgnum ſecum commodum adferre SANITATEM, languor morbuſque oſtendunt. hinc de IGNATIO LOYOLA SOCIET. IESV primo inſtitutore, viro eruditione vitæque integritate incompa-

rabili, narratur, tanti æstimasse suorum corporalem salutem, vt omni eam thesauro prætulerit. dicebat enim; *Ægrotus vix quicquam boni in aliorum vtilitatem facere potest: multa verò præstat, qui corpore valens est.* Tetigit hanc rem Horatius in Satyris, quando ait:

Si ventri benè, si lateri est, pedibusque tuis: nil
Diuitiæ poterunt regales addere maius.

Ribadin. lib. 5. cap. 8.

ALBERTVS IMP. AVSTRIVS.

Idem animo voluebat AVSTRIVS ALBERTVS. quem interrogatum, quænā esset iucundissima possessio, respondisse ferunt: *Sanitatis. cuius thesaurus,* aiebat, *tam pretiosus est, vt quiduis potiùs perpeti debeat homo, quàm eum sibi eripi sinat.* Cuius exemplum in Castore animali habemus; qui

Et pedibus segnis, tumidâ & propendulus aluo,
Hac tamen insidias effugit arte ferox.
Mordicus ipse sibi medicata virilia vellit,
Atque abicit, sese gnarus ob illa peti.
Huius ab exemplo disces non parcere rebus;
Et vitam vt redimas, hostibus æra dare.

Andr. Alciatus in Embl.

SAPIENTIA.

ALPHONSVS ARAG. REX.

TEmpus est SAPIENTIÆ penetralia subire, in quibus deorum atq; hominum stabilitur conseruaturque societas. Eius autem pręcipuum exemplum fuit ALPHONSVS: qui, dum esset potētissimus, percontanti, quomodo tot partis regnis opibusque ad paupertatem redigi posset; respondebat: *Si venderetur*

deretur Sapiëtia. At verè, neſcit homo pretium eius, inquiebat Iob, nec inuenitur in terrâ ſuauiter viuentium. Panor. in Prooem. lib. 3. de Geſt. eiuſd.

IDEM

Sciſcitanti, quo nomine Sapientiam decorandam ſentiret; aiebat: *Eam ego exiſtimo Dei filiam, ac ſolam rerum omnium eſſe immortalem, ſolíque homini inter animantia datam.* Hinc etiam olim præclarè in Finibus Cicero, eam hominis cuſtodem & procreatricem nuncupauit. Ibidem.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Non immeritò ergo Illuſtriſſ. CARD. ALDOBRANDINVS, *eos diuites* dicebat, *non qui bona poſſident, ſed qui boni ſunt.* ſolam Sapientiam veras diuitias reputans. Henr. Farneſ. ſuprà.

IDEM

Sapientes vocabat *Prometheos*, id eſt, hominum architectos: *Ignis*, inquiebat, *Promethei doctrina eſt: qua remota, ex homine truncus; & addita, è trunco redditur homo.* Sapienter & doctè Lucret. 2.

—— Nil dulcius eſt, benè quàm munita tenere
Edita doctrina ſapientum templa ſerena:
Deſpicere vnde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palanteis quærere vitæ.

Ibidem.

SATELLITIVM PRINCIPVM, &c.

SIGISMVNDVS IMPERATOR.

POſſe quemuis Principem ſine ſatellitio regnare, dicebat Agaſicles, qui ita ſuis imperaret, vt filiis pater. non incautè tamen SIGISMVNDVS, dicenti ſibi Alberto Auſtrio, Principes ciuium amore

cautos

cautos esse oportere; respondit: *Et fida custodia infortunium excludit.* Meminerat huius olim etiam Seneca, dum ita Reges alloquitur:

Tu quicumque es qui sceptra tenes,
Licet omne tua vulgus in aula
Centum pariter limina pulset;
Cùm tot populis stipatus eas,
In tot populis vix vna fides.

Æn. Syl. Comm. de Gest. Alphonsi.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Nec ALPHONSVS hîc supprimendus. Castigatus à suis, quòd maiestatis Regię oblitus, sine satrapis satellitibusq́ue prodiret in publicum; *Non opus est*, inquiebat, *sibi timeat, qui neminem habet quem ita læserit, vt aliorum manu sit defendendus.* Panorm. lib. 2. de Gest. eiusd.

IDEM.

Eumdem dicere solitum accepimus, cùm solus quandoque obambularet: *Non est timendum ei, qui ciuium suorum beneuolentiam perspectam habet.* Ibidem.

GODOFREDVS BVILIONIVS.

Vno adhuc domestico exemplo adiecto, hunc cursum sistam. Erat GODOFREDVS BVILIONIVS, ille qui religionis ergô terræ sanctæ penetralia propugnauit, creatus tandem totius Palæstinæ Rex. ad quem dum palearum sacco insidentē venissent Barbarorū legati, obstupuêre, quòd nullo satellitio, nulloq́ue apparatu tantus Princeps sederet. quibus ille: *Terra satis superq́; mortali corpori sedem præstat; cui vitâ functo, tam longum est præbitura domicilium.* Guiliel. Tyrius lib. 9. Hist. 5. cap. 19.

Vide AMARI A SVBDITIS.

SENE-

SENECTVS. SENEX.

FREDERICVS IMP.

NIhil est præclarius, quàm honoribus & Reipub. muneribus perfunctum senem posse suo iure dicere quod est apud Ennium, Omnes ciues consilium suum expetere. neque enim corporis, sed animi vires in sene spectandæ. docuit id FREDERICVS CÆSAR: qui dum in vrbe quadam Præfectum senem admodum & ætate imbecillem dedisset; non defuere adolescentiores, qui eum præfecturâ dicerent amouendum. quibus IMPERATOR: *Senem amicum opido, non amico opidum commendauimus.* sentiens decere omnino vt senex ille iam à ciuibus foueretur, quos ipse diu suo consilio præsidioque fouerat. Æn. Syl. lib. 4. de Gest. Alphonsi.

S. GREGORIVS NAZIANSENVS.

Veluti autem ignis ardor aquæ frigore temperandus est; sic in Repub. conseruanda, iuuenum subitis cupiditatibus senum prudentia moderetur, oportet. Hinc laudabilis illa vox NAZIANSENI, qui hoc Principum agmen perrumpit: *Laudo legẽ nauticam; qua nemo ad nauis gubernacula admittitur, nisi priùs diu sederit ad remos.* Idem fieri debet in Repub. nam

A senibus prisci sanctum dixere Senatum.

Strigel. in Chron.

LVDOVICVS XI. GALL. REX.

Hic regno pænè exutus, quòd seniorum consilio acquiescere nollet. Quare vocato ad se filio; moriens, *Vide,* inquit, *seniores consiliarios in consilium adhibeas, eorum sententiam sequaris, verbis insistas.*

Est

Eſt enim robur iuuenum, ſenum conſilium. Ioan. Spinæus de Tranquill. animi, pag. 387.

CAROLVS V. IMP.

Eſſe autem varia ſenectutis incommoda, inſinuauit IMPERATOR CAROLVS V. cùm enim Philippo filio ſummam harum regionum gubernationem committeret, totus in fletum abiit; inquiens: *Ne miremini: illa ſunt ſenectæ propria, facilè lachrymari.* Idem Frederico Cæſari adſcribunt alij. Georg. Richterus in Axiom. Oecon.

SERVITVS.

S. TIBVRTIVS.

BOnúm, etiam ſi ſeruit, liberum dicebat Auguſtinus. neque enim ea ſeruitus æſtimanda, quæ bonis ac timoratis cum ratione impenditur. Quare ab Almachio Pręfecto caſtigatus TIBVRTIVS, quòd Principum ſententiis damnatos, honore ſepulturæ afficeret; rogatusque cur contra legem datam illud præſumeret; reſpondit: *Quia quos ipſi Principes pro Chriſto damnandos iudicant, eorum nos ſerui eſſe volumus.* Metaphraſt. in Vita.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Debere autem ſeruos omni honore proſequi dominos ſuos, auctor eſt LVDOVICVS XII. cùm namque Talerandus, è domeſticis quidam, multa præter opinionem effutiret; eius in dicendo libertatem ocyùs compeſcuit, dicens illud veterum: *Plus oportet ſeruum ſcire, quàm loqui.* Attexam hîc, quid de famulorum moribus & vita ſenſerit Ioannes Campanus. Ita enim canit:

Scis mihi quâ Polydore potes ratione placere?
Si, quæ præſcribam præcipiamque, facis.

Lex

Lex igitur sit prima; Fidem seruato: deinde
A domini mundas rebus habeto manus.
Odi mendacem, non possum ferre proteruum:
Nec tu lusorem crede placere mihi.
Odi qui multum sese mihi iactat, & odi
Alterius famam qui lacerando premit.
Displicet indocilis, nimium mihi displicet ille
Qui multo semper murmure iussa facit.
Assentatorem non planè diligo, nec qui
Desidiæ fuerit deditus, atque gulæ.
Quis toleret famulum domini secreta volentem
Scire? quis elatum, multiloquumq; ferat?
Fallacem fugio, ceu tartara: denique cultum
Ingenuis hominem moribus esse volo.

P. Æmilius in Vita.

SIMONIA.

S. PETRVS.

QVid cesso SIMONIÆ perniciem commemorare, quæ iam à Simone Mago, qui huic malo nomen dedit, in Ecclesiam irrepsit, ac radices egit? Ille etenim cùm vidisset per impositionem manus Apostolorum dari Spiritum sanctum, obtulit eis pecuniam, vt, cuicumque manus imponeret, simili euentu acciperet Spiritum sanctum. At benè eum perstringens PETRVS, *Pecunia*, ait, *tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecuniâ possideri.* quo Apostoli dicto notantur, qui rem sacram pretio emunt, aut diuendunt: quos ab hoc Simone, Simoniacos dicimus. Act. cap. 8.

S. TRANQVILLINVS MARTYR.

Meliùs itaque & securiùs TRANQVILLINVS: quem

quem cùm dudum de fide Christiana disserentem audiuisset Agrestius, tandem auri certum pondus offert, quò se à podagræ cruciatibus oratione liberet. Cui ille: *Scito grauem Dei furorem illis impendêre, qui eius gratiam pretio vendi aut emi posse existimant.* Sur. tom. 1. in Vita S. Sebastiani.

GVNTRANVS REX.

Ille etiam Remigio Biturigum Præsuli vita functo Sulpitium succedere iussit, non obstante quòd plures eum locum statumque ambirent, ac pretium offerrent. dicebat enim his: *Non est nostra consuetudo mansuetudinis, Ecclesias Christi pretio vendere: ne nos damnationis obnoxij, & vos Simoni Mago assimilemini.* Aimon. lib. 3. cap. 55. de Gest. Franc.

Require Apophth. de MERCEDIS NEGLECTV.

SIMVLATIO ET DISSIMVLATIO.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

VVlgari adagio innotuit, Qui nescit simulare, nescit regnare. hinc Principum consilia simulatione tegenda, docuit PETRVS CARDINALIS. Sciscitanti enim cuidam, quis maximè esset ad benè imperandum idoneus; ait: *Qui naturam habet Polypi, nouitque in populo morum colores induere.* Nihil sanè prudentius dici potuit. Henr. Farnes. apophtheg. De Principe.

FREDERICVS IMP.

Vide CONSILIVM, & CONSILIARIVS.

SIGISMVNDVS CÆSAR.

Haud inferior in hoc sensu iste. quem frequenter dixisse ferunt: *Ineptus & inidoneus ad regnum est simulare nescius.* Notabat autem, Principis esse, interdum

terdum ſimulare ea quæ minoris momenti, commodi maioris gratia. Æn. Syluius lib. 1. Comm. in Geſta Alphonſi.

Vide GVBERNARE. REGNVM.

SOLITVDO.

SYSOIS ABBAS.

MInùs voluptatibus ſtimulatur, qui non eſt, vbi frequentia voluptatum obiecta potentias ad agendum commouent. Hinc tanti SOLITVDINIS cultores priſci illi Anachoretæ. Inter quos non infimus SYSOIS ABBAS. Hic enim dum iam ſenio confectus, à diſcipulo ſuo Abrahamo moneretur, ad mundum ſe transferret; *Placet*, ait, *verùm ad eam partem, è qua proſcriptæ mulieres.* cui Abraham: Vbinam gentium id futurum, præterquam in ſolitudine? ABBAS quaſi ad hæc verba anhelans; *Ergo me rurſus in ſolitudinē tollite.* Sapienter & verè in Hyppol. Seneca:

Non alia magis eſt libera & vitio carens,
Rituſque meliùs vita quæ priſcos colat,
Quàm quæ relictis mœnibus ſyluas amat.

Ex Vitis SS. Anachoret. Ægypt. lib. 1.

MOYSES ABBAS.

Percontanti fratri, quomodo ad rerum omnium ſcientiam pertingere valeret; *Vade*, inquiebat, *ad cellulam, & ipſa te docebit vniuerſa.* Ibid.

ARSENIVS ABBAS.

Vide CONSORTIVM.

ANTONIVS ABBAS.

Addamus vnicum ſolitudinis ornamentum ANTONIVM. Pulſauerat iam eius nominis fama aures

Constantini Cæsaris, qui videndi eius desiderio tactus, mittit qui ad palatium ducant. Ille Maiorum limina despiciens, suæ cellulæ amans; *Solitudo*, ait, *monachis ornamento, velut piscibus aqua alimento: & velut hi in continentem recepti vitam; ita illi in vrbes egressi, monasticam amittunt disciplinam & grauitatem.* Solitudinē quærit, ait Seneca Philosophus, qui vult cum innocentibus viuere. Fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge & vnum. Vnus pro populo mihi est, & populus pro vno. mihi satis est vnus, satis est nullus. P. Opmerus in Martyrol. Holl.

SOMNVS.

S. ARSENIVS ABBAS.

SOMNVM mortis fratrem & imaginem dicebant veteres; eumque aspernati primi illi Anachoretæ, eò quòd bonam vitæ partem abriperet, & ad bona opera inhabiles redderet. Quare rogatus ARSENIVS, cur tam parcus esset somni; respondisse fertur: *Satis monacho videri debet, si ei vna ad quietem hora contingat.* Existimabat pius religiosus, se tempus perdidisse, quod somno transigebat. Prudenter Aristoteles, vt ex Græco vertit quidam:

Hîc propè dimidium vitæ dormitur, & ipsum
Per somnum similes diues inopsq́; iacent.
Crœse igitur Regum ditissime, num tibi fermè
Dimidio vitæ par fuit Irus egens?

Sabell. lib. 2.

S. DOMINICVS.

At veniant qui carnis somnique delectantur illecebris, & DOMINICVM contemplentur. Hic enim vt peruigilandi sumeret consuetudinem, vix vnquam

quam somno se dabat. *Nam*, inquiebat, *somnus somnum adescat, & vigiliæ pariunt vigilias.* Guil. Baldosan. lib. 2. cap. 26. Stim. virt. adolescentiæ.

SOMNIORVM INTERPRETATIO.

ALPHONSVS ARAG. REX.

QVasi qui apprehendit vmbram, & persequitur ventum, sic qui attendit ad visa mendacia, inquit Eccles. Itaque dum quidam iocandi vel tentandi gratia, per somnium se vidisse diceret, regem ALPHONSVM donasse sibi sacculum auro refertum; respondebat ALPHONSVS: *An ignoras nullam apud Christianos fidem dari somniis?* Illa enim, vt est apud Tibullum,

——— fallaci ludunt temeraria nocte,
Et pauidas mentes falsa timere iubent.

ANONYMVS CONIECTOR.

Quandoque tamen, somnia esse futuri euentus prænuntia, subiecto exemplo confirmatur. Quo die Heraclij Imp. filius Constans, classe cum Abulanaro Duce congrederetur, per somnium se Thessalonicæ esse existimabat. cumque illud insomnium CONIECTORI proposuisset; *Vtinam*, dixit ille, *ô Imperator hac nocte neque dormiuisses, neque tibi insomnium fuisset oblatum. Quod enim tibi Thessalonicæ versari visus; indicat, Alteri cede victoriam.* Verum coniectasse, probauit euentus. Somnium ergo, ita in Hercule furente Seneca,

Veris miscet falsa, futuri
Certus, & idem pessimus actor.

Cedrenus in Constant.

SVPERBIA.

S. ARSENIVS.

VT SVPERBIA, —*vitium rebus solẽne secundis,*
Virtutumque ingrata comes, ——
etiam in conspicuo ponatur; præclara ARSENII sententia in medium adducenda. Nihil enim ei frequentiùs in labris, quandocũque de superbis mentio fieret; quàm, *Superbi omnem sibi ad cælum viam præcludũt, haud secùs quàm qui transuersum lignum, equis insidentes, templo inferre conantur.* Non minùs eleganter Hugo lib. 1. de Anima: Superbia in cælo nata est, sed velut immemor quâ viâ inde cecidit, illuc posteà redire non potuit. ita
Sequitur superbos vltor à tergo Deus.
Th. Stapl. Dom. 4. Aduen. in Promp. Morali.

EVAGRIVS.

Quid autem EVAGRIVS? Percontanti, quid sibi videretur superbus animus, sui pectoris arcanum reserans; *Virtutis*, inquiebat, *ventilator, cisterna aquis destituta, diuersorium latronum.* Hæc enim,
Sollicitum pectus curis flammantibus vrget,
Immansueta, ferox, & amicæ nescia pacis,
Nescia quid pietas, quid sit clementia, in omne
Sponte scelus præceps ruit, implacabile monstrum.
Anton. serm. de Superbia.

IO. CLIMAX.

Nec virtuti tantùm, sed & bonis moribus aduersari hanc Christianæ vitæ nouercam, asseruit iste: à quo profectum meminit præfatus Anton. serm. eodem de Superbia: *Vt fures solem detestantur, ita mode-*

modestos superbi. Sic Claudian. in eamdem pænè sententiam:

Inquinat egregios adiuncta superbia mores.

IDEM.

At difficile esse eius laqueos effugere, qui semel in iis incautum pedem fixit, docuit idem ipse, cùm diceret; *Ægrè superbiæ dæmonem à te repellis. quidquid enim molitus fueris vt hanc detrahas, idipsum alterius superbiæ futurum est initium.* Ibid.

CONSTANTIVS IMPERATOR.

Verùm ne spiritualibus tantùm bonis aduersari Superbiam existimemus; videamus CONSTANTIVM CÆSAREM. Rogabatur, *quo tempore maximè decresceret fortuna.* & respondit, *Crescente superbia.* Ita non spiritualibus tantùm, sed & temporalibus bonis insidiatur. Ex lib. Rer. memor.

ISDIGERDAS PERSARVM REX

Prelio contra Romanos ceciderat. quō intellecto, accurrit ociùs, tāquam quid sibi accidisset ignarus, ac pacis conditiones proponit. At vt erat animo elato, & cedere nescio, ita Rom. Legatum compellabat: *Non bello cedens, pacem amplector, sed eam tibi lubens præsto, quòd te omnium sapientissimum cognoscam, quos Rom. Imperium alit.* Ita superbus Rex, ne quidem tantâ clade attritus, ad humilitatem redigi potuit. Trip. Hist. Socrat. lib. 10. cap. 15.

LVDOVICVS XI. GAL. REX.

Benè itaque & præclarè sensisse LVDOVICVM fatemur, cuius illud prouerbium: *Dedecus & detrimentum, comites sunt ac pedissequæ superbiæ.* Phil. Commineus in Comm. Gest. Ludouici.

SVPERSTITIO.

ALPHONSVS ARAG. REX.

SVPERSTITIONEM, quæ Pietati & Religioni aduersatur, mirũ in modũ fugiebat & execrabatur ALPHONSVS REX; quem triumphantem cùm monerent quidam vultum minio triumphantium more illineret, dixisse fertur: *Minium soli Baccho conuenit, qui non solùm triumphi, sed & vini repertor exstitit.* & ita veterem illam supestitionem aboleuit. Panorm. de Gest. eiusd.

ANONYMVS.

Filium habebat quidam, quem tenerè fouebat. hic in morbum incidit plus æquo sæuientem. dolet pater, & de filij salute anxius hæret, quid medelæ tandem adhibendum sit. Accedit contubernalium quispiam, &, Cur nõ, ait, vbi humana desunt præsidia, ad diuina precibus recurris? Ad quod ille, Nequeo me tantum subtrahere conspectui filij, vt ad templum, Deum deprecaturus, accedam. Cui alter; *Ne tu*, inquit, *homo vanus es. Adeóne surdastrum reputasti Deum, vt non nisi in templo auditurus sit tuas preces? Funde apud te, funde in abscondito, & qui in abscondito etiam est Deus, te exaudiet.* Meritò taxabat eam quorũdam opinionem, existimantium in solo templo Deum efficaciter exorari; cùm Dei filius apud Matthæum dixerit: Dum oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem, &c. quamuis eiusdem testimonio, templum propriè sit domus orationis, & ad eum finem erectum.

TACI-

TACITVRNITAS.

PASTOR ABBAS.

NVmquam tacuiſſe nocet, at locutum eſſe. hinc Hieronymus: Diu conſidera quid loquendũ, & adhuc tacens, prouide ne quid pœniteat dixiſſe. Venerat ad PASTOREM ABBATEM quidam de rebus ſpiritualibus conſulturus: & primo aduentu ſe veritum dicebat, ne ob ſollenne ieiunium, ſibi negaretur aditus. Ille verò, *Nos*, inquit, *non didicimus ianuam ligneam claudere, ſed magis linguæ ianuam clauſam habere.* In vitis PP. cap. de Hoſpitalit.

PAMBO ABBAS.

Sed quis Paſtorem mirabitur, qui in PAMBONEM oculos coniiciet? Ille namque iam morti proximus, quaſi exultans dixiſſe fertur: *Lætus vitâ hac exeo, quòd nullum in eâ verbum mihi excidiſſe ſciam, cuius me vel pœniteat.* O felix & beatus, quiſquis eo tempore tam præclarum de ſe teſtimonium ferre poteſt. Granat. Conc. 3. de Annunt. Dñica.

S. BASILIVS.

Huius frequentiſſima illa vox: *Dicenda tacendaque nouiſſe nos oportet: non enim diuina omnia, linguæ verbis explicanda ſunt.* & rationem ſubiiciens, *Ne*, aiebat, *mens, ſicut oculus totum ſolem intueri volens, id etiam quod habet luminis, perdat.* Anton. & Max. Serm. de Taciturnitate.

AGATHON ABBAS.

Illum etiam lapillo aſſiduè ori indito, tacere didiciſſe ferunt. idque tanto rigore ab eo obſeruatum, vt, cùm fari vellet, non poſſet. Rogatus autem cur tantum ſileret; *Quia*, inquit, *qui cuſtodit os ſuum,*

custodit animam suam. & ita verè existimabat primam virtutem esse, compescere linguam: quodque loqui ignorabit, qui tacere nesciet. Rauis. de Temper. Volater: lib. 21. Antrop.

RELIGIOSVS ANONYMVS.

Æquè fidelis sui oris custos iste. à quo cùm Adolescens quispiam sæcularis cilicium peteret, tale responsum accepit: *Verè fili mi, optimum cilicium est bonam habere curã, quid per hoc ostium egrediatur.* Hinc non ineptè And. Alciatus in Emblem.

Cùm tacet, haud quidquã differt sapientibus amẽs,
Stultitiæ est index linguaq; voxque suæ.
Ergo premat labia, digitoque silentia signet,
Et sese Phariam vertat in Harpocratem.

Guil. Baldesan. in stim. Virtutum.

TALIONIS POENA.

CAROLVS IV. CÆSAR.

TALIONIS POENAM in veteri lege vsitatam, seuerus scelerum vindex CAROLVS, suâ etiam ætate imperioque vsurpauit. Pro tribunali namque sedẽti cùm offerretur nobilis (cui Zachora nomen) qui presbyterum vtroque oculo priuauerat, & admissum scelus excusaret, & pecuniarum largitione illud palliare præsumeret; Talionis pœnam exegit, *Non potest*, inquiens, *hoc modo dari satisfactio: cæco enim oculi restitui nequeunt: quare te etiam oculis priuari oportet, vt ius sit æquabile.* Ioan. Dubran. Episc. Olmucen. hist. Bohemic. lib. 22.

Require IVDICIVM, *&* PAR PARI RELATVM.

TEM-

TEMPERANTIA.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

TEMPERANTIA, quæ in rebus aut expetendis, aut fugiendis, vt rationem sequamur, monet; cùm in omnibus præclara sit virtus, maximè tamen in Principibus eam efferebat PETRVS ALDOBRANDINVS. Rogatus namque, quid maximi faceret in Principe; *Eam* ait, *virtutem, qua Cicero Deiotarum regem extollit.* Erat autem in illo insolita quædam & non contemnenda frugalitas. Hen. Farnes. lib. de Apophth. Princip.

IDEM

Solitus est dicere; *Gloriosius est Imperatori hostem temperantia, quàm armis superare: nec minùs honestũ est temperare aduersus voluptatem, quàm fortiter contra pericula decertare.* Quàm apposite Lucan. lib. 4.

Discite quàm paruo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat. non erigit ægros
Nobilis ignoto diffusus Consule Bacchus;
Non auro myrrhaque bibunt; sed gurgite puro
Vita redit: satis est populis fluuiusque Ceresque.

Ibidem.

Vide ABSTINENTIA. LIBIDO. CASTITAS, *&c.*

TEMPLVM.

IESVS CHRISTVS.

DEI SANCTVARIVM summa semper veneratione coluisse Maiores nostros, etiam illos qui vera fide caruêre, meminerunt tam sacri quàm pro-

phani ſcriptores. Et quidem COÆTERNVS DEI FILIVS, Ieroſolymorum templum ingreſſus, dum id à Iudæis pollui, & irreuerenter in forum columbarium & nummulariorũ menſas conuerti animaduertiſſet, egregiè eos perſtringens, menſaſque euertens; *Scriptum eſt*, inquit, *Domus mea domus orationis vocabitur, vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum.* factoque è funiculis flagello, vniuerſos ciecit. Matth. cap. 21. Mar. 11. Luc. 19.

D. IOAN. CHRYSOSTOMVS.

Et hoc de illo habetur certiſſimum. Poſtulabat ab eo Imperator, Ganiæ duci Ariano vnum è Catholicorum templis concederet. At beatus vir, *Ne* inquit, *Imperator hoc ei pollicearе, neque ſanctum dari canibus mandes. Nũquam enim patiar, eos, qui Deum nocturnis diurniſque hymnis laudant, templo expelli; illudque eis tribui, qui contra eum loquuntur blaſphemias.* In Vita eiuſd.

IDEM

Paſſo repulſam Ganiæ duci, dicentique ſibi templum dari oportere; reſpondit: *Templum ſacrum apertum eſt, & cuiuis patens: nulli aditum prohibeo, quò minùs in eo, ſi libet, Deo preces fundat.* Theod. lib. 5. hiſt. Eccleſ. cap. 32.

HILBORGIS NOBILIS FÆMINA.

Sed deuotus in Templorum erectione ornatuq; fæmineus ſexus, ſuo encomio carere, ſine iniuriȩ & ingratitudinis notâ, non poteſt. Erat in Mildenſi Epiſcopatu NOBILIS MATRONA, quȩ, dum maritũ è Palȩſtina, ad quã voto obſtrictus ſeceſſerat, rediturum deſperaret; totam ſubſtantiam vni cœnobio & nouẽ Eccleſiis ædificandis inſumpſit. Reuertitur non ita diu pòſt maritus, eumq; placatura, obuiam proce-

procedit, ac salute præuia; *Nouem*, ait, *filias, tibi absenti, peperi, at nondum in Christo renatæ sunt*. Intellexit vir pius nouem Ecclesias instructas, necdum tamen consecratas. factumque vxoris gratum & ratum habuit. Cranz. lib. 3. Metrop. cap. 8.

Plura vide Tit. de ECCLESIA, *&* AB ECCLESIA ARCERE INDIGNOS.

TEMPVS.

CLEMENS VIII. PONT. MAX.

NIhil TEMPORE pretiosius, nihil eo carius habuere viri sapientes, & inter eos nostro hoc æuo CLEMENS VIII. apud quem cùm plures de variarum rerum iactura conquererentur; *Eius verò* aiebat, *rei iacturam deplorandam sentio, quæ semel amissa, non reuocari potest, nec reparari*. sciebat namq; prudentissimus PONTIFEX, quòd

——— velut vnda impellitur vndâ,
Vrgeturq; eadem veniens, vrgetque priorem:
Tempora sic fugiant pariter, pariterq; sequantur,
Et noua sint semper.

Coll. ex Apophth. de Principe Henr. Farnes.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Nihil autem prudenter fieri, nisi quod in tempore fit; adeoque temporis habendam rationem, asseruit PETRVS ALDOBRANDINVS, S. R. E. CARD. Dicebat enim: *Prudentis est odorari quid res quidve tempus in rebus agendis postulet, omniaque temporis momenta obseruare*. quia, vt in Andria Terent.

Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores postulat.

Henr. Farnes. suprà.

TENTATIO.

S. BASILIVS.

QVi non est tentatus, inquit Ecclesiastes, quid scit? Vnde à Domino tentari ac probari petiit Dauid, quòd sciret amari à Deo illos, quos probat & exercet. Quare sapienter admodũ dicebat S. BASILIVS: *Nauclerum tempestas, studium athleta, calamitas magnanimum; at Christianum* TENTATIO *probat, exercet, & examinat.* Coll. ex Hom. in diuit. auaros.

IDEM

Rogatus carnalis tentationis remedium, respondit: *Desiderium rerum meliorum.* Th. Staplut. in Prompt. Æst. Dom. 2. post Pent.

IOANNES ABBAS.

Similis, aiebat hic, *esse debet religiosus, homini habenti ad sinistram ignem, ad dextram autem aquam: vt quoties succensus fuerit ignis, eum aqua restinguat.* In vitis PP. pag. 2.

TIMOR, TIMIDVS.

MAVRICIVS IMPERATOR.

CHamęleontem, quòd timeat ad quemuis aspectum, quosuis etiam colores induere, auctor est Plinius. ita hominem TIMIDVM ad insidiosas artes confugere, docuit MAVRICIVS IMP. cùm enim sibi per somnium reuelatum esset, se à Phocâ interimendum; primo manè Philippicum nobilem accersit, & qualis sit Phocas, inquirit. ille, Homo timidus, ait. Subiecit Imperator: *Si timidus, homicida est,*

eſt, & crudelis. atque ita poſtmodum eum miſerè in ſe expertus eſt. Georg. Richterus in Axiom. Politicis c. 182.

EQVES ANONYMVS.

Huius autem rei cauſam, cur timidus omnis crudelis ſit, percontatus quidam equitem generoſum, illam ab eo accepit: *Homo timidus, in illud ſolùm incumbit, ne ſit ſuperſtes vindex iniuriæ.* Hinc ergo eſt, quòd hoſtem ſuum è medio ſemper tollere conetur. Ibidem.

TIMOR DEI.

IESVS CHRISTVS.

SApientiæ initium TIMOREM DOMINI, dicebat Vates regius: ſine quo proinde nulla pietas diu ſtare, nulla religio florere diu poteſt. Hinc illum tanto deſiderio in ſeipſis excitarunt viri ſancti, exemplo anteſignani ſui CHRISTI permoti: nempe qui ſuorum animos excitans ad fidei conſtãtiam ſeruandam, *Ne terreamini*, ait, *ab his qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent ampliùs quid faciant. Oſtendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui poſtquam occiderit, habet poteſtatem mittere in gehennam. Ita dico vobis, hunc timete.* Lucę cap. 12. Matth. cap. 10.

S. ANASTASIVS MARTYR.

Horum verborum memor ANASTASIVS, Marzabanam Prędectum, qui eum minis ac tormentorum violentia à fidei ſuſceptæ conſtantia deterrere nitebatur, ita eſt allocutus: *Non timeo Regem, ad quem meam in fide pertinaciam delaturum te minaris. an non ipſe quoque homo eſt, in quem cadit interitus? Quemnam*

nam me ergo timere oportet; illum qui æquè atque ego interit, an eum qui semper est, & omnia produxit? Sur. tom. 1. in Vita.

FRANC. BORGIA SOC. IESV.

Ille etiam insigni dicto hunc Timorem asseruit. ad omnia enim pauidus, dicere solebat: *Iudicia Dei viuentis & videntis, quantum à mortalium iudicio discrepant! timeat itaque qui sapit, Deum.* Suauiter Bern. super Cantica: Deum time, & mandata eius obserua, hoc est omnis homo: ergo si hoc est omnis homo, absque hoc nihil est homo. Ribad. lib. 4. in Vita cap. 4.

REX ANONYMVS.

Require IVDICIVM EXTREMVM.

Vide etiam DEI HONOR. MARTYRIVM. CONSTANTIA RELIGIOSA. *&c.*

TRIBVLATIO.

Vide Apophth. de AFFLICTIONE.
Item de ADVERSITATE, *&* PROSPERITATE.

TRINITAS.

IESVS CHRISTVS.

DE profundissimo TRINITATIS mysterio actu- ris subit præclarum illud & luculentum de eo INCARNATI VERBI testimonium. Discipulos namque in vniuersum orbem missurus, pręcepit Euangelium omni creaturę (quâ voce omnem hominem intelligunt sancti Patres) prædicarent; *Baptizantes* inquiens, *eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Conueniebat enim in Baptismo, qui est ianua cețerorum Sacramentorum, expressis verbis Trinita-

nitatem inuocari: quòd ea ſit fundamentum totius fidei, omniumque myſteriorum nouæ Legis causa. Matth. cap. vlt.

Idem.

Roganti eum Philippo, Domine, oſtende nobis Patrem, & ſufficit nobis: *Philippe*, inquit, *qui videt me, videt & Patrem.* (cùm propter ſimilitudinem ſummam, tum ob omnimodam naturæ idẽtitatem, quam habẽt inter ſe.) *Quomodo tu dicis, Oſtende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre, & Pater in me eſt?* Quibus verbis & ſignificatur perſonarum Patris & Filij diuerſitas, ne poſſit cum Sabellio ob perſonæ idẽtitatem intelligi dictum, Qui videt me, videt & Patrem: & rurſus ſignificatur naturæ omnimoda identitas, ne putetur id tantùm propter ſimilitudinem inter Patrem & Filium fuiſſe dictum; ſicut voluit ineptè Arrius. Vide Ianſſ. Concord. cap. 134. & 43. Ioan. cap. 14.

Melitivs Presbyter.

Ille verò dum coram Conſtantio Imper. concionem haberet, & totus in enucleando illo Scripturæ loco, Deus creauit me in initio viarum ſuarum, &c. moraretur; rogatus breuem eius rei imaginem daret, ternos digitos protendens, ac duos colligens, hanc de Trinitate vocem protulit: *Tria ſunt quæ intelliguntur, ſed velut de vno diſputamus.* Namque vt benè Iac. Billius in Antholog. Sacr.

Natura omnipotens vna eſt, quæ cuncta creauit,
Et propriè, quod ſunt, omnibus eſſe dedit.
Nam quidquid minus eſt, non eſt Deus: à Patre natum
Verbum, & qui amborum Spiritus eſt, Deus eſt.

Vna

Vna eademq; trium quoniam est essentia, quæ se
Numquam vel maior vel minor esse potest.

In vita Constant. Imp. Hist. sacra Eus.

TYRANNIS.

Vide CRVDELITAS.

VENENVM.

LVDOVICVS BAVARVS.

NVnc quoniam vitæ humanæ tum bona tum mala persequimur, etiam hîc locum sortiatur prompta nimium venefici criminis voluntas, imò voluptas. quam Italiæ populis plus æquo familiarem carpebat LVDOVICVS BAVARVS: electus namque in regem Roman. circa annum 1314. Italia excessit, dicens: *Plures Germaniæ Cæsares Italiâ pepulit venenum, quàm gladius.* & ita verè se res habet. Ac vt benè Iuuenalis,

——— *nulla aconita bibuntur*
Fictilibus. tunc illa time, cùm pocula sumes
Gemmata, & lato Setinum ardebit in auro.

Matth. Castrit. de Her. Virt. Princ. German. ex Ioan. Cuspiniano.

VERBVM DEI.

IESVS CHRISTVS.

SEquitur nunc spirituali cibo animam nostram reficiamus; DEI VERBO videlicet: quod velut lucerna in hac nocte sęculi, operibus nostris est pręferendum. & quidem DOMINVS noster, cùm tentatoris calumniam dilueret, qui obiecerat, Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant; respondit: *Scri-*

Scriptum est: Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. apertè significans, non solùm terreno, sed & spirituali verbi sui cibo hominem sustentari. Matthæi capite 2.

IDEM.

Verbum Dei verò audire non modò, sed & custodire, hominem beatum reddere; idem DOMINVS insinuauit, cùm è turba mulier vocem extollens, diceret: Beatus venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. respondit enim: *Quinimò. Beati qui audiunt Verbum Dei & custodiunt illud.* Debent quippe (inquit Macarius Homil. 30.) qui Verbum Dei audiunt, in suis ipsorum animis opus Verbi demonstrare. Lucæ cap. 11.

S. WOLSTANVS EPISCOPVS WIGORNIEN.

Quid autem ille clari generis, & raræ virtutis vir? Nondum adepto Episcopatu, assiduus erat in annuntiando Verbum Dei. cumque quidam diceret, Monacho silentium & claustrũ competere, Pontifici verò prædicationem; respondit: *Verbum Dei non est alligatum: nihilq; Deo gratius, quàm Christum annuntiare.* Sciebat enim, quàm essent speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona. Sur. tom. 1. in Vita.

Require PRÆDICARE.

VERITAS.

SS. CARPVS & PAPILVS.

VERITATEM pani comparabat Augustinus super Ioan. scilicet quę mentem reficiat, nec deficiat; mutet vescentem, nec tamen ipsa in eum mutetur. Hinc eius præstantiam palàm confessi CAR-

PVS & PAPILVS, qui, insultantibus sibi Ethnicis, & Christi dogmata detrectantibus, *Non frustrà,* dicebant, *mentem nobis largitus est Deus, sed vult, vt ratione, qua nihil diuinius, verum discernamus à falso; & ex Veritate, quæ ratione nititur, res omnes pensiculemus.* Metaphr. in Vita.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Hac autem duce, virtutum omnium crescere cohortem, suo dicto testatus est Illustriss. hic PRÆSVL. cuius voce sæpè tota Vrbs exultauit. dicebat enim: *Paucorum est Veritatem aspicere, multorum despicere.* altero ignaros, altero mordebat improbos. Ita Heraclitus olim Aram veritatis in antro, Democritus in puteo collocauit. Hen. Farnes. suprà.

IDEM.

Veritas autem filia temporis olim habita, promptam sui requirit obedientiam. Rogatus autem hic, *cuius rei iucundissimus nuntius Principi adferri possit*; respondit: *Veritatis.* At nihil infelicius in Principum aulis, quàm quòd eis veritas occultetur. Ibidem.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

Hinc summo dolore tactus LVDOVICVS XII. Rex Christianissimus, dum se in aula omni re abundare gloriaretur; *Vna tamen,* aiebat, *mihi deest.* de qua dum inquireret familiarium quispiam, respondit: *Veritas.* Quàm miserũ, esse Imperatorem, apud quem vera reticentur: qui, cùm ipse publicè ambulare non possit, necesse est vt audiat, & audita ab aliis confirmet. Franc. Patritius de Hist. Dial. 5.

ALPHONSVS REX ARAG.

Huic etiam Principi illud crebrius in ore: *Veritas licèt omnibus conueniat, Principum tamen præcipuum esse*

esse debet ornamentum. Ant. Panorm. lib. 1. de Gest. eiusd.

DVX NORICVS ANONYMVS.

Laudantur itaque non immeritò Principes, quibus, cùm veritas occultetur, eam quouis astu per seipsos assequuntur. Iure ergo hunc DVCEM suo Epigrammate extulit Georg. Sabinus, poëta clarissimus: quod hîc inserere non abs re fore visum. Ita enim se habet:

Sæpè rudes inter mutata veste colonos,
NORICVS *agricolæ* DVX *faciebat opus.*
Nunc pascebat oues, nunc gramina falce secabat,
Vomere proscindens nunc subigebat humum.
Et simul illato de se sermone, rogabat
Plurima: nempe quibus moribus ipse foret.
Iustus an exigeret pœnas à sontibus vltor:
Debita conferret præmia númve bonis.
Quærenti verò causam, cur Regibus ortus
Princeps, agricolam se simularet; ait:
Me iuuat è rudibus cognoscere vera colonis:
Seruit adulatrix auribus aula meis.

Philipp. Camer. Medit. Hist. cap. 90. pag, 444.

VESTIVM NEGLECTVS.

S. ELIZABETH REGINA HVNG.

PRæmisso Dei Verbo, quod, ne soliciti simus quo induamur, monet; superest videamus, quo corporis cultu nobis vtendum, quantúmve (si modum excedat) despiciendus. A fæminis itaque huius rei exempla petimus. quæ eò magis erunt admiranda, quò magis huic cultui deditus dicatusque ille sexus. ELIZABETHAM Hungariæ Reginam intueamur.

Magnatibus ad Principem maritum venire parantibus, dolebat ille, quòd coniux dignis suo genere indumentis careret. At hæc regij splendoris cōtemptrix, *Nolo*, inquit, *vestibus placere humano conspectui, ne moribus displiceam Deo.* Ingressis itaque ad eum Legatis, vocatur ELIZABETH. quā omnis pulchritudinis auctor tanto decore venustauerat, vt planè hyacinthina appareret. Principi ergo in stuporem verso, subridens illa, *Huiusmodi*, ait, *scit Dominus meus cùm voluerit, ornamenta præparare.* Sur. tom. 6. in Vita.

LEONORA DVCISSA GANDIÆ.

Non absimilis huic LEONORA. quæ interrogata à nobilissima quadam matrona, cur simpliciori veste vteretur; *Méne*, inquit, *byssinis, sericis, aut purpureis indui vis, cùm dominum meum* (ita Franciscum Borgiam maritum suum, exemplo veteris Saræ, appellabat) *cilicium gestare sciam?* Ribadin. de vita Borgiæ lib. 1. cap. 12.

EDELDRIDA ANGL. REGIS FILIA.

Hæc in vltimâ ætate virginum Abbatissa facta, cùm ingenti dolore colli, quo & mortua postmodum, premeretur; solita erat dicere: *Scio quòd meritò in collo languoris pondus porto, in quo, iuuenculam me, memini superuacua monilium pondera gestasse.* Vener. Beda Hist. Anglic. lib. 4. cap. 19.

ALEXANDER SEVERVS IMP.

Da veniam IMPERATOR, si te fæminis ordine quidem, non tamen virtute postponam. A tuo namque ore profectum aliquando, apparatu & pompa regia spretis: *Imperium in virtute est, non in decore.* Coll. ex Mon. Pol. I. Lips. cap. 15.

Quære ORNATVS CORPORIS.

VE-

VESTIVM VSVS, ET CVLTVS.

PICTOR GERMANVS.

MVtatio frequens HABITVS, mutationis morum & animorum argumentum eſt apud pleroſque. & ita ſanè, multarum gentium mores vnà cum habitu mutari & deprauari videmus. multum quippe ad æſtimationem augendam honeſtus habitus facit, eoque boni oblectantur. Iuſſerat aliquando Turcarum Imperator, omniũ gentium habitum viuis coloribus per GERMANVM eius artis peritum exprimi. cumque is plurimarum gentium indumenta pinxiſſet, tandem nudum hominem, & iuxta eum diuerſas veſtium exuuias, inter alios conſtituit: iuſſuſque à Principe interpretari picturam, dixit: *Nudus ille, Germanum populum denotat; cui, quòd indies nouam excogitet, certa veſtium forma appingi non potuit.* Dolendum certè, eam natioñe quæ grauitatis laudem ſibi vendicat, hac in parte Gallicę leuitatis inſimulari. Petrus Lotichius Secundus, & ipſe Germanus, Poëta huius æui celeberrimus, ita in ſuæ Gentis milites ludebat:

Pudor deorum opprobriumque ſæculi,
Peſtis lueſque militaris ordinis:
Qui perciti furore mentis ebriæ,
Licentiaque perditorum temporum,
Abominandis inuoluti veſtibus,
Fas omne rumpunt, eruunt Rempublicam.

Lib. 2. Carm. Greg. Richterus in Axiom. Polit.

EBERARDVS BARBATVS PRINC. SVEVIÆ.

Ille etiam æternam apud poſteros ſui memoriam reliquit. Venerat ad eum iuuenis, poſtulans ſibi

conferri ſacerdotium, quod per mortem poſſeſſoris vacabat. Fortè huic ventus talarem veſtem aperuit, ita vt PRINCEPS videret caligas militari more ſciſſas. Qui ilicò, vt erat morũ & diſciplinæ acerrimus cuſtos, ira commotus, eum è conſpectu ſuo abire iuſſit, dicens: *Non te pudet coram Principe comparere ſcurrili habitu, eoque ſacerdotium ambire?* O cenſuram dignam laude! Ibid.

DVX ANONYMVS.

Haud aliâ mente hic. Nobilem domi alebat, cui vnum in votis, habitu indecoro, & (vt eſt in Prou.) pellenæa tunica indui. cumque id moleſtiùs ferret, veſte magis decenti ac congrua vteretur, monuit. ille, Numquid, inquit, id ex arbitratu meo pendet, quomodo induar? *Omnino*, reſpondet DVX, *ſed hoc etiam ex meo arbitratu pendet, vt te ſic indutum aula mea eiiciam.* quod & fecit poſtmodum. Phil. Camer. in Declamat.

CONSILIARIVS ANONYMVS.

Viderat iſte ſuum Principem admodum peregrinâ & obſoletâ veſtimentorum formâ oblectari. accedit propiùs, cauſam inquirit. ille, Parùm, inquit, hoc refert quænam ſit mearum veſtium forma. cui prudenter ſubiecit alius: *Imò multum id refert. Veſtis enim indicat Principem eſſe talem virum, qui conſiliariis ſuis obtemperare nolit.* Gregorius Richterus, ſuprà.

SCVRRA ANONYMVS.

Anne etiam ab hac hominum fęce aliquid memoratu dignum? Erat in Franciæ finibus homo ignobilis & ſordidus, qui, vt honorem paſſim aucuparetur, ſplendidâ veſte, non ſecùs quàm ſimia in purpu-

purpura, prodiit. Salutatur ab ignotis, & reputatur nobilis: rogantibus autem amicis, cur habitu, suæ conditionis oblitus, tam splendido vteretur; *Non videtis*, inquit, *hoc æuo, quòd vestis faciat virum?* & statim vulgatum hoc distichon subiecit:

Vir benè vestitus, in vestibus ipse peritus
Creditur à mille, quamuis idiota sit ille.

Ibidem.

HERMANNVS BVSCHIVS.

Confirmat illud ipsum suo exemplo HERMANNVS BVSCHIVS, vir celeberrimus. qui dum domestico vestitus habitu ad forum Marpurgense descendisset, neminem sibi assurgentem habuit. indignatus, quòd sibi debitus & consuetus negaretur honos; domum reuersus, togam prælustrem sumpsit, forumque euestigiò repetit: & ecce venienti assurgunt omnes, honoris signa exhibent & locum. Ille verò nihil talia moratus, se domum recipit, & togam pedibus conculcat, dicens: *Es tu* BVSCHIVS, *vel ego? Tibine honor iste defertur, an mihi?* Indignabatur, & meritò, quòd præpostero iudicio, homines non viro, sed vesti honorem deferrent: stultorum instar, qui equum empturi, non ipsum, sed frena & phaleras intuentur. Philip. Camer.

ANONYMVS.

Serius ille: iocosus hic & facetus, cuius adhuc recens memoria Antuerpiæ. Vocandus erat ad nuptias cognatæ: at obstabat incultus incomptusque habitus, quo indies magno familiæ generisque incommodo & dedecore vtebatur. Audit: & extemplò noua sibi indumenta coaptari mandat, iisq; ornatus, in amicorum conspectum prodit. Hi tali veste ornatum, nuptiali gaudio intersit, rogant. venit.

At vbi naturæ genioque iam ſatis indulſerat, thoracem & caligas, inſpectantibus ac ridentibus conuiuis, multâ pinguedine perungit, dicens: *Numquid etiam hæc indumenta ſaginare me oportet, quorum gratiâ huc vocatus ego ſum, aliàs non vocandus? Indulgete ergo vos genio cum domino veſtro: ne aliàs veſtri defectu, ille eo non indulgeat.* Ex relatis & auditis.

VICTORIA A DEO.

TRAIANVS DVX VALENTIS IMP.

VT autem parta de hoſtibus VICTORIA etiam ob oculos ponatur, eam à ſolo Deo exſpectandam eſſe, ſignificauit TRAIANVS DVX. Cùm enim ab hoſtibus victus & profligatus rediiſſet, ignauiam ei Imperator & timorem obiecit. Ille autem: *Non ego ô Imperator victus: ſed tu ſponte victoriam à te reiicis, qui cum Deo bellum geris.* Inſectabatur enim eos, qui fidem Chriſtianam recepiſſent. Niceph. Call. lib. 11. cap. 40. Hiſt. Eccl.

CAROLVS V. IMP.

Require CHRISTI HONOR, *&c.*

VICTORIA VIRTVTE PARANDA.

ALPHONSVS ARAG. REX.

REm magnam ſe prę̨ſtitiſſe arbitrati ſunt plures, ſi per aſtum inſidiáſve hoſtem profligauerint: at ſaniori mente ALPHONSVS. qui, dum à Ludouico Podio nuntiaretur, eſſe qui armamentarium naueſque Venetorum ſubiecto igne combureret, modò duo aureorum millia à Rege acciperet; reſpondit:

dit: *Virtute vincendum, aut numquam: ex hac enim re non alia mihi laus speranda, quàm eius, qui Dianæ Ephesinæ templum exussit.* Panorm. lib. 3. de Gest. Alphonsi.

IDEM

Illis qui se in necem Franc. Sfortiæ paratos nuntiabant, renuntiari iussit: *Huiusmodi proposito abstineant. Numquam enim mihi placuit victoria, cuius postmodum pigendum pudendumque esset.* Ibid.

IDEM.

Venerat ad eum Rogerius Pallantiæ comes, vir strenuus; se regem Castellæ Ioannem confossurum spondens, si Rex annuat. at ille: *Neque pro Castellæ neque pro totius orbis imperio tantum scelus admiserim: virtute non scelere paranda est gloria.* Ibidem lib. 2.

Vide CLEMENTIA.
item, ERGA HOSTES CLEMENTIA.

VICTORIA INCRVENTA.

ÆNEAS SYLVIVS.

ILlam demum VICTORIAM, quæ sine sanguinis effusione contingit, celebri triumpho dignam, Platonis elogio clarum est. cui ÆNEAS SYLVIVS consonat, qui dicere solitus: *Longè maior seruati quàm cæsi hostis victoria.* & ita se habere testatus est ille, qui ait:

Regnare si vis, sanguine humano abstine.

Lib. 1, Comm. in Alphon.

IDEM.

Eiusdem etiam illa vox: *Decet regem inuictum habere animum, res si iusta sit; at vbi conatus iniustus est, præstat vinci quàm vincere.* Ibidem.

ALPHONSVS ARAG. REX.

Prodeat hîc rursus clementissimus inter Principes ALPHONSVS: qui crebriùs ad suos dixisse commemoratur: *Tanto victoris triumphus est illustrior, quanto plures relicti, de quibus triumphetur.* Pulchrè Lotichius:

Gloria victori est, victis donare salutem.

Panorm. lib. 1. de Gest. eiusd.

Vide AMICITIA, *&* AMICVM BONVM.
ERGA HOSTES CLEMENTIA. *&c.*

VINCERE SEIPSVM.

B. IGNATIVS LOYOLA S. I.

FOrtior est qui se, quàm qui fortissima vincit Mœnia:

prouerbiali scemate fertur. cuius memor IGNATIVS, hoc modo adolescentem acri ingenio paternè cohortabatur: *Hoc age, vt te vincas. Quod si feceris, splendidiorem aliis qui ingenio mitiori, habebis in cælo coronam.* Ribad. lib. 5. Vitæ, cap. 10.

FREDERICVS IMPERATOR.

Ille quoque quàm eleganter & præclarè? Victis in Hungariâ Gunziensibus, *Magnum*, inquiebat ad suos, *opus egimus. Maius nunc restat: vt vincamus nosipsos, atque auaritiæ vltionique frenos imponamus.* Discite exẽplo FREDERICI vos Reges & Principes, imperare animi affectibus; neque insolescere, si votis adspirarit belli incerta sors: adeoque victis parcere, nam ——— *si decidit hostis,*

Ire super satis est, vitamque relinquere victo.

Æn. Syl. lib. 2. de Gest. Alph.

Require Apophth. de AFFECTIBVS DOMANDIS.

VIN-

VINDICTA.

PETRVS DE VINEIS.

VLciscendi nocendique cupido in humanis pectoribus magnos fluctus excitat, consternationis plenus affectus, ac numquam sine tormento sui violentus. PETRVM DE VINEIS, Fredericus Barbarossa oculis priuari leuissima de causa iusserat: cumque Pontificem Paulum III. bello lacessere in animum induxisset, præfatum PETRVM in Consiliariorum numerum adsciuit. Ille vltionem sceleris in se admissi meditatus, cùm de mediis ad bellum istud sustinendum rogaretur; *Mihi*, inquit, *consultissimum videtur Ecclesiam proprio ære oppugnare.* Placuit sententia. & ecce itum passim ad Ecclesias, quæ suis vasis & prouentibus spoliatæ. Quo facto, adit Imperatorem nefandus consiliarius: &, *Nunc*, ait, *Imperator tui in me commissi sceleris pœnam das. Iam enim te coram Deo reum effeci meo consilio, cuius templa tam impiè es deprædatus.* Parum de salute æternâ solicitus, non meminerat illius Script. Noli vinci à malo, sed vince in bono malum. nam

Semper & infirmi est animi exiguiq; voluptas,
Vltio. vt habet Iuuen. Sat. 13.

Pogg. Florent. Phil. Camer.

PHILIPPVS FRANC. & GVILIELMVS ANGLIÆ REGES.

Hunc etiam vltionis stimuli, prudentiæ moderationisque immemorem reddiderunt. Venerat quippe ex Anglia cum ingenti auri pondere in Normandiam: vbi, cùm in morbum incidens, diutiùs decubuisset; PHILIPPVS per iocum cauil-

cauillatus, *Cubat*, inquit, *Rex Angliæ Rothomagi, adueniente puerperio.* Quod ſcomma mox fama ad aures GVILIELMI vulgauit. qui eo extra iocum accepto, *Cùm*, ait, *ego partu leuatus, ad templum me purificatum iero, tunc mille in Francia lucebunt faces.* Vix pauci dies interceſſerant, cùm GVILIELMVS Franciæ fines ferro & igne eſt depopulatus. Pol. lib. 9.

NARZES EVNVCHVS.

Erat is quem Iuſtinus Imp. Byzant. aduerſus Gothos pręfecerat. Hic offenſus dicto Sophiæ, quę eum, vtpote Eunuchum, ad lanam & penſa reuerti oportere criminata erat, reſpondebat: *At ego talem ordiar telam, non facilè æmulis extricabilem.* quod & præſtitit. Conr. Lycoſt.

VINDICTA NEGLECTA.

S. LAVRENTIVS PATRIAR. VENETVS.

MAgna igitur, & non contemnenda virtus, vindictæ vltioniſque frenos contrahere, ac illi laxandos eos permittere, qui ſeruorum ſuorum ſanguinem pro merito vlciſcetur. Ita Venetorum PATRIARCHA LAVRENTIVS, cùm multa præclarè dixiſſet, pluribus locis ab improbis hominibus excitatus eſt riſus. dumque amici cohortarentur, ſe de iniuria illa vindicaret; vultu placido, *Noli*, inquit, *te affligere fili. Dominus Ieſus, cuius negotium gerimus, ipſe aderit honori ſuo.* Sur. tom. 1. in Vita.

ANONYMVS SACERDOS.

Quàm verò grata ſit Deo delicti in nos commiſſi voluntaria remiſſio, Surius auctor grauiſſimus ſubiecto exemplo documentum præbet. S. Hanno Archie-

chiepisc. Colonien. contemplationis studio intentus, videbat mentis oculis, quosdam alios Archiepiscopos in candida & gloriosa veste sedes gloriosas in cælo occupare, seque inter eos insigni etiam amictu fulgere, cuius tamen partem quæ pectus tegebat, sordida fœdabat macula: quam cùm manu obiectâ tegere non posset, ab aliis, ne sedem sibi locatam occuparet, repelli. Quod portentum cùm familiari cuipiam exposuisset, ille rem coniiciens; *Macula*, inquit, *vesti tuæ candidæ inhærens, memoria est iniuriæ tuorum ciuium, qui anno superiore te Colonia expulêre, quibuscum necdum in gratiam rediisti.* Archiepiscopus testimonio conscientiæ suæ conuictus, statim eos omnes reuocari, & bona eorum, quæ priùs fisco addicta, restitui iussit. Adeò Deo displicet amarus zelus, cuius filius hîc quærebat ouem perditam, donec eam inueniret. In vita Hannonis lib. 2. cap. 25. apud Sur. tom. 6.

S. MALACHIAS EPISC. HIBERNIÆ.

Emicuit etiam hoc splendore MALACHIAS. In quem dum petulâter multa iactasset maledica quædam, ita vt caluitiei eius etiam improperaret; nihil aliud respondit, quàm, *Dominus respondeat pro me.* & ecce respondit Dominus, sed lentis verbis. Versa enim in rabiem illa, miserè interiit; & ita aduersus MALACHIAM assumens improperium Elisæi, verè illum sibi quasi alterum experta est Elisæum. Sur. tom. 6. in Vita.

RVDOLPHVS AVSTRIACVS.

Talis etiam RVDOLPHI mansuetudo, quamuis in causa dispare. Sagittariis de sagittandi peritia concertantibus, factum, vt RVDOLPHVS animi gratia ad eos properaret: dumque aliquali spatio à certa-

certaminis loco abest, sagittâ ab imperito in incertum emissâ, sauciatur. cumque è vulnere decumbenti suaderet quidam, illi sagittario dextram amputandam; *Benè*, inquit, *istud & prouidè, priusquam me læsisset: sed quid nunc emolumenti exinde consequar?* ac sagittarium è custodia liberum dimisit. Pogg. Florent.

FREDERICVS IMPERATOR.

Aliquid etiam ab hac stirpe traxit FREDERICVS. qui conuitiis impetitus à suis, *Parum*, inquit, *id est: in libera enim ciuitate liberas linguas esse oportet.* I. Lips. in Mon. Polit.

ALPHONSVS ARAGONVM REX.

Eodem vt genere, ita & virtute nobilis ALPHONSVS. Intellexerat se turpiter à turbido quodam apud exteros eleuatum, qui tamen postmodum ab eo beneficia petiturus accedebat: neque se ob id indecorè gessit, sed perbenignè eum accipiens, *Parum refert*, inquiebat, *quid dixerit. benefactorum quippe illius, non vanè dictorum, adhuc memor sum.* Panor. lib. 1. de Gest. eiusd.

Require Apophth. de CONVITIIS, PATIENTIA INIVRIÆ, CLEMENTIA, *&c.*

VIRTVS.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

VIRTVTIS tandem nobis penetralia subeunda. eius enim possessione nulla est honestior aut diuturnior: ideoque summis votis expetenda. Ad quod non parum nos incitauit CARD. ALDOBRANDINVS, qui rogatus, quid esset virtus; *Prædium*, aie-

aiebat, *Plutonis*. Inſinuabat illum verè diuitem, qui poſſeſſionem haberet virtutis. Henr. Farneſius, in Apophtheg. De Principe.

IDEM

Sciſcitanti Clementi VIII. Pont. Max. quos in adminiſtratione publici muneris maximè probaret; *Qui Dei*, reſpondit, *viua ſunt ſimulachra*. non faſtu, ſed virtute illuſtres viros oſtendens. Ibid.

IDEM

Cùm de iuuentutis ſedula educatione inſtitutioneq́ue ageretur, rogabatur, quænam Italiæ Gymnaſia maximi faceret: *Non*, inquit, *quæ ornamentum habent marmoris*, *ſed virtutis*. Hinc Plato in Academiæ ſuæ ingreſſu ſcripſerat Ἀγεωμέτρητος οὐδεὶς εἰσίτω, id eſt, Nullus Geometriæ ignarus huc accedat. Virtutem appellabat Geometriam, quòd in æquâ affectuum menſurâ conſiſtat. Ibid.

ALEXANDER SEVERVS IMP.

Seuerum etiam & memoratu dignum SEVERI IMP. de virtute elogium. Iam ad Imperium euecto nuntiabatur Ataxerxem numeroſo exercitu in Romaniam cogitare. &, *Haud multum id refert*, inquit, *vt enim quæ cum voluptate agimus, dulcia ſunt: ita quæ cum virtute fiunt, glorioſa eſſe ſolent*. Non enim in vita tantùm; ſed

Poſt obitum benefacta manent, æternaq́; virtus
Non metuit Stygiis ne rapiatur aquis.

Herod. lib. 6.

VITÆ

VITÆ HVIVS PERFECTIO.

S. ÆGIDIVS ASSISINAS.

QVamuis neminem ante obitum beatum dixerint veteres, quòd tum demũ in veram quietem recipiatur homo: poteſt nihilominùs etiam in hac vita, ſua haberi felicitas & perfectio. de qua cùm ſciſcitaretur quiſpiam B. ÆGIDIVM, quíſnam videlicet in hac vita dicendus eſſet beatus; hoc ab eo reſponſum habuit: *Qui amat, & non deſiderat amari. Qui timet, & non appetit timeri. Qui ſeruit, & ſeruiri ſibi non cupit. Qui denique ſe erga alios benè gerit, non tamen eo fine, vt ſe erga illum viciſsim benè gerant.* Magna hæc ſunt, & à paucis benè enucleata. Ex Sent.aureis Ægidij.

CANIS SCALIGER VERONÆ DOMINVS.

Ille diuerſis orbis partibus aduentãtes, quacumque conditione in Palatij ſui hoſpitium excipiebat. dicebat autem: *Nihil in hac vita beatius, quàm inuicto animo, ſuæ pariter atque alienæ fortunæ obuiam ire; & perpetuis beneficentiæ ac liberalitatis operibus, inſitæ virtutis famã extendiſſe.* Iouius lib. 1. Elog.

Quære BENEFICENTIA. LIBERALITAS.

VOLVNTAS.

S. BASILIVS.

AGgrediamur illud, cui nec Leges imperant, nec Principes dominantur. Eſtque VOLVNTAS humana, quæ ſola inter potentias verè libera eſt, & nulli ſubiecta, niſi qui eam habet: cuius etiam promptitudo ad bonum laudabilis eſt. Venerat ad

BASI-

BASILIVM muliercula, litteras ab eo postulans, quò à vectigalium solutione redderetur immunis. quas cùm ad Satrapam regionis detulisset, ille ijs visis, se id facere non posse respondit, ne quidem in BASILII (cui multum deberet) gratiam. Cui iteratò BASILIVS: *Si voluntas prompta fuit, & defuit facultas, tolerabile est: si autem potuisti quidem, & noluisti, Christus te redigat in ordinem inopum, vt vbi volueris, non possis.* quod & euênit. Sur. tom. 1. in Vita eiusd.

S. HVGO LINCOLNIENS. EPISCOPVS.

Ille cùm nihil aliud in hac vita desiderare se diceret, quàm vt in Sacerdotem consecraretur, à cœnobij præfecto reprehensus, quòd eam rem suscipere vellet, quam vix vllus dignè suscipit, semper deinceps voluntati suæ cessit. Quare ab Henrico II. Angliæ Rege ad Carthusiensis cœnobij præfecturam vocatus, quídque de ea sibi videretur, interrogatus; *Voluntati*, respondit, *meæ de statu meo nihil penitus reseruare iam pridem edoctus sum.* Sur. tom. 6. in Vita.

PASTOR ABBAS

Hoc frequenter vsurpabat: *Murus ferreus est propria voluntas, qui hominem à Deo separat atque diuellit.* Doroth. Serm. 5.

ANONYMVS ABBAS.

Iste etiam ad calcem adijciendus. Venerant ad eum visendum peregrini monachi: cumque hospitalitatis ergô eum ad cibum sumendum induxissent, rogant: Anne tristaris Pater? quibus ille: *Mea tristitia est, si propriæ voluntati obtemperauero.* In vitis PP. cap. De hospitalit.

VOLVPTAS.

LVDOVICVS XII. GALL. REX.

VEluti turpe admodum, meretricem in nobilium matronarum cœtum; ita in virtutum concilium VOLVPTATEM adducere, indecorum. eſt enim ea cum quadam lubrica ſuauitate ad illicita fœdæ mentis inclinatio. Pulchrè igitur LVDOVICVS REX, dum intellexiſſet nobilem quemdam ob puellam Neapolitanam deperire; *Grauis*, dicebat, *tyrannis eſt voluptas, quæ ea demum concupiſcit, quorum eſt copia anguſtior.*

——— Vſque adeò nulla eſt ſyncera voluptas,
Sollicitumque aliquid lætis interuenit.

P. Æmil. in vita.

PIOR MONACHVS.

Require Apophth. de CIBO & IRA.

PETRVS ALDOBRANDINVS CARD.

Quid expectatis à præclaro illo viro? Interrogatus quandoque, quænam Religioni peſtis acerbior infligi poſſet; reſpondit: *Voluptate nulla atrocior.* Facit enim voluptatum illecebra, vt Religionis lumen obtenebretur. Henr. Farneſ. ſuprà.

THOMAS MORVS.

Ruminabat ille toto vitæ ſuæ tempore, vt auctor eſt T. Staplet.: *Nulla eſt animi peior affectio, quàm ea re delectari, quæ niſi peccando obtineri non poteſt.* Inſinuans mundi voluptates noxias, & poſſeſſores in peccati ſeruitutem trahere. Idem conuenienti Emblemate expreſſit Georg. Sabinus, dũ ita canit:

Cùm puer alueolo furatur mella cupido,
Furanti digitum cuſpide fixit apis.

Sic

Sic etiam nobis est breuis & peritura voluptas
Quam petimus, tristi mista dolore nocet.

VOTVM. *vide* CASTITAS.

VVLGVS.

IOANNES XXIII. PONT. MAX.

VVLGVS, quod fluctu mobilius Seneca, ignobile dicit Virgilius, huic operi tandem, vel inuitus insero: quòd eiusdem censuras & iudicia mihi parata hîc sciam. at solatur me celeberrimum illud IOANNIS PONTIFICIS responsum: qui rogatus, quid esset à vero remotius; *Vulgi sententia*, inquit: *quidquid enim laudat, vituperio dignum est: quidquid cogitat, vanum: quidquid loquitur, falsum: quod improbat, bonum est: quodque approbat, malum: & quidquid denique extollit, infame.* Ita sanè

Tradere turpi fasces populus
Gaudet, eosdem colit atque odit.

Seneca in Hipp. Philippus Camerarius in Operis succisiuis c. 40.

S. POLYCARPVS. *Require* POPVLVS.

VXOR MOROSA.

ALPHONSVS ARAG. REX.

NOn ineptè hanc Vulgo subijcimus, quę potissimùm suæ intemperantiæ molestiarumque ab eo sumit argumentum. Sanè vt nemo sentit, quâ parte stringat calceus, nisi qui eum induit: ita MOROSÆ MVLIERIS genium nemo experitur, nisi qui illi inseparabili nexu coniunctus est. Quis ergo ALPHONSVM meritò non extulerit? qui dum fugitiuam vxorem quempiam solicitè requirentem intellexis-

ſet; *Verè inſanire eum exiſtimo*, inquiebat, *qui fugitiuam, & à ſe ſponte digreſſam vxorem perquirit*. Laudabilior fortaſſis fuiſſet apud eum illa Diogenis vox, qui cùm mulieres ob flagitium ex oliuâ pendere conſpicaretur, Vtinã, ait, & ceteræ arbores ſimilem ferrent fructum! Panorm. lib. 4. de Geſtis eiuſd.

IDEM

Conſpicatus Triſponium I. C. animo anxium, quòd trecentos aureos, qui ex dote ſupererant, furto ſurreptos perdidiſſet; dixiſſe fertur: *Longe illi melius, ſi vxorem, quàm pecunias fures abſtuliſſent*. ſignificans magnæ felicitatis, ab improba & moroſa muliere liberari. Ibidem.

GREGORIVS HAIMBERGENSIS.

Succedat magno huic Principi GREGORIVS HAIMBERG. iuris dicendíque ſciẽtia inter Germanos facilè Princeps. ſed, quod litteratis omnibus etiam hoc noſtro æuo accidit miſerabile, moroſam ſibi coniugem, & quaſi alteram Xantippen duxerat. cumq́ue à Cæſare miſſus, diutiùs domo, adeoq́ue & coniuge abeſſet, nuntiatum per amicum, eam viuere & benè valere. Cui ille: *Si viuit mea vxor, ego ſanè obij*. inſinuans, moroſam vxorem lentam mariti eſſe mortem. Cur ita? inquies. Quia, vt doctè & verè Iuuen. Sat. 6.

Semper habet lites alternaq́ue iurgia lectus
In quo nupta iacet: minimùm dormitur in illo.
Tunc grauis illa viro, tunc omni tigride peior,
Cùm ſimulat gemitus occulti conſcia facti;
Aut odit pueros, aut ficta pellice plorat.
Vberibus ſemper lachrymis, ſemperq́ue paratis
In ſtatione ſua.

Æn. Syl. lib. 3. Com. in Res geſt. Alph.

ANO-

ANONYMVS HOSPES.

Sed claudo hoc totum de morosis vxoribus, vno eoque iocoso exemplo. Diuerterat ad hospitium quidam, vxoris improbitatem molestè ferens. vixque ingressus, audit hospitam diutiùs vociferantem, & nunc cum marito, nunc cum ancillis, rixas & iurgia miscentem: impatiens ille, assurgit, & recessum parat. Cui HOSPES; *Ecquæ, inquit, amice, isthæc impatientia tua est? Duos & triginta annos huius clamores dies noctesque æquissimè fero: túne vnius diei sextantem eos ferre potes?* Si risu excepta responsio fuit, nemo quærat, effuso maximè. Ecce hominem paratum, quietis pacisque causâ, quæuis etiam ineptissima ab vxore perpeti. Benè monet Comicus:

Proba vxor, ô Nicostrata, marito suo
Non debet esse superior, sed obsequens.
Nam graue malum vxor est superans virum suum.

Adrian. Barlandus.

Quære MVLIER.

ZELVS ERGA DEVM, ET ECCLESIAM.

APHRAATES MONACHVS.

AD portum huius operis properantibus, pius erga Deum, cuius auxilio præsidioque huc vsque peruenimus, nobis superest proponendus affectus, quem ZELVM dicimus: quantumque eo claruêre viri sancti & timorati. Inter quos principem, meo quidem iudicio, locum debeo APHRAATÆ MONACHO. qui, vt erat summus contemptæ

religionis vltor, cùm Valentis Imper. persecutiones ægriùs ferret, & Antiochiam celeri gradu pergens, ab ipso Imperatore rogaretur, quònam tam citus properaret; Zelo Dei succensus, *Turbatis*, ait, *tua culpa Ecclesijs, necessitate compellor omnem ad earum salutem affectare viam.* Theodor. lib. 4. Hist. Eccl. cap. 26.

S. AMBROSIVS EPISC.

Iungat se Aphraatæ AMBROSIVS, ætate, non tamen hoc affectu inferior. Qui post patratam Theodosij iussu cædem Thessalonicam, dum ipsum Theodosium sacro fulmine percussum à templi limine arcuisset, & is nihilominùs ad illud properaret; concitus eodem quo prior zelo, ita Ruffinum Ducem compellabat: *Ego vero Ruffine prædico, quòd sacra limina eum ingredi prohibebo: sin autem Imperium in Tyrannidem mutauerit, necem lubens suscipiam.* Idem lib. 9. cap. 30. Trip. Hist.

TERENTIVS DVX.

Quid verò TERENTIVM pietate & armis inclytum & inuictum DVCEM extremùm eloquar? Fecerat ei potestatem Valens Imperator, postulandi quidquid vellet. at is tali occasione arreptâ, *Peto*, ait, *Imperator, pro meritis omnibus mihi rependi, vnica Antiochiæ Ecclesia Catholicis permittatur.* Quid ad hæc parum eo nomine dignus Valens? Supplicationis libello frustatim comminuto, aliud postulet, mandat. Sed ille diuino fidei zelo repletus, discerpta libelli frusta recolligit: & magna voce, *Donum*, ait, *teneo Imperator, oblatum accepto, neque aliud petam. Consilij enim mei index erit, qui est index & vindex omnium.* Æmulamini hoc factum Heroës inclyti, hanc dextram amplectimini Duces for-

fortiſſimi,& Religionis quam in Baptiſmo profeſſi, proteſtati, zelum ad ſeros nepotes tranſmittite. Niceph. Calliſt. Hiſt. Eccl. lib. 11. cap. 49.

Philippvs II. Hisp. Rex.

Verè appuleram, ſed propioris æui exemplum interuenit, quod Magnvs Philippvs nobis donat. Carolo Cæſari ſuperſtes, regnorumque vt heres, ita & egregius paternæ pietatis imitator, & auitæ Religionis propugnator exſtitit: cuius etiam zelum ad extremum vſque ſpiritum, nec ſpe melioris ſortis elatus, neque iniquioris metu fractus, varijs argumentis declarauit. Idque vel maximè, dum iam plenus dierum & meritorum in Eccleſiam & Rempub. Chriſtianam, malignâ febri correptus (quæ eum etiam extinxit) anteactæ vitæ euentus varios conſiderans, nullo doloris, quem inſtans aut Fatum aut præſens tanti Imperij amiſſio excitare poterant, ſenſu tactus, dicebat: *Vnum eſt quod me meritò reficit, cuius vel ſola contemplatione oblector, quòd in Catholica fide, maiorum Religione, Catholicæ Eccleſiæ, eiuſque ſupremi capitis Pontificis Romani obedientia conquieſcam* & ita Deo Opt. Max. ſuum gregē commendans, à nobis abijt, magnumque ſui vbiuis gentium deſiderium reliquit: maius relicturus, niſi ſuperſtitem alterum Philippum, etiam patriæ pietatis & fortitudinis, vt Imperij heredem, orbi poſt ſe dediſſet: in quo (vt illud B. Ambroſij de Theodoſio Imp. vſurpem) eum agnoſcere debemus, in quo eum & cernimus, & videmus.

——— *Qualem ſi priſca tuliſſent*
Sæcula, iam poſitis Bellona reſurgeret armis,
Tritaque ſub dulci florerent ſæcula pace.

In append. Hadr. Barlandi de Ducibus Brab.

IOANNES SAMOSCIVS CANCELL. POLON.

Philippo Regi IOANNEM SAMOSCIVM adhuc adiungo, & cursum hunc libens cum eo sisto. Vt enim erat in nobili illo regno famâ & virtute nobilis heros, multæ etiam ab eo perfectæ nobiles gnomæ, quæ prioribus adsitæ, extremam hanc aciem suo pondere tuentur, & nouo quodam splendore illustrant. Vna è ceteris locum hîc vendicat: quam non dicto suo tantùm, verùm & testamento asseruit. Ingrauescente namque morbi violentiâ, oculis manibusque iam iam morituris, in optatam cælestis patriæ mansionem sublatis, piè insonabat Ecclesiæ Catholicæ vnitatem & præstantiam: *Est enim illa*, inquiebat, *non Regum ac Principum modò, sed, quod longè præclarius, omnium Sanctorum communis mater. In cuius proinde gremio mori felicius est, quàm ab initio nasci: cum non nasci satius sit, quàm in hac non mori.* O egregium & innocentis animi indicem sermonem! quem publico & merito encomio V. C. Iustum Lipsium celebraturum fuisse, auctor est Ioan. Wouerius in sua assertione Lipsiani Donarij; nisi statuta viuendi scribendique periodus adfuisset, quæ emeritum senem orbi eripuit, & cælo intulit. vbi

Et Cæli proceres, & Triados decus,
Et quæ condita tegmine
Suspexit cupidâ mente Sophos; videt
Pulsâ nube beatior.

Require DEI HONOR, ECCLESIA, MARTYRIVM, MORIENTIVM DICTA, *&c.*

FINIS.

INDEX

INDEX CAPITVM SIVE RERVM,

quæ hoc Opere tractantur.

A.

Abstinentia. Pag. 1
Abusus rerum. 5
Accusatio sui. 7
Acutè dicta. ibid.
Actio, eiusq́ necessitas. 11
Admonitio. 14
Aduersitas. Res aduersæ. 19
Adulatio Adulator. 21
Adulterium. 25
Aduocatus. 28
Æmulatio. 30
Æquitas. ibid.
Æternitas. Vita æterna. ibid.
Affabilitas. 32
Affectus domandi. 34
Afflictio. Vexatio. Tribulatio. 36
Altare. 39
Altiora non scrutanda. 40
Ambitio. ibid.
Amicitia. Amicum bonum.
Amare & amor. 45
Amor Dei. 49
Amor proximi. ibid.
Amari à subditis. ibid.
Angelorum custodia. 50
Angli populi. 53
Animæ immortalitas & cultus. ibid.
Animi promptitudo. 56
Animi fortitudo. ibid.
Aqua lustralis. 61
Argutè dicta & responsa. 62
Arrogantia. 64
Ars, eiusq́ dignitas. 65
Artium concertatio. 66
Assentatio. 68
Assiduitas. ibid.
Astrologia. ibid.
Astutia bona. 69
Auaritia. 71
Aulica vita. Aulici. Aula 73

B.

Baptismus. 76
Barba. 79
Barbaries. 81
Beatitudo. ibid.
Belli studium. ibid.
Beneficentia. 83
Beneficium Ecclesiasticum. 85
Blasphemia. 87
Bona fortuna. 91
Bonum. 92
Bonus vir. ibid.
Breuiloquentia. 93

C.

Cæcitas. 95
Callidè dicta. 97
Calumnia. 100
Cantor. 103
Castigatio. Correptio. Reprehensio. 104
Castigatio modesta. 106
Castigatio dura. 107
Castigatio libera. 108

Castitas. 110
Census. Tributum. 116
Charitas erga Deum. 117
Charitas erga proximũ. ibid.
Christi honor, amor, & laus. 120
Christianismus. 122
Christianorum amor, & odium. 126
Christi potentia & nomen. 128
Christum sequi. 131
Christum confiteri. 132
Cibus. 133
Clementia. 134
Cœmiterium. 141
Cogitatio, contemplatio. 142
Cognitio sui. 144
Colloquia. 146
Compassio. 147
Concordia. 148
Confessio peccatorum. 150
Confessio fidei. 152
Coniugium. 154
Conscientia bona. 155
Conscientia mala. 157
Consilium, & Consiliarij. 158
Consolatio. 160
Consortium. 163
Constantia religiosa & pia. 165
Consuetudo. 166
Contumelia. 168
Conuitia. 169
Conuitia in auctorem retorta. 170
Conuiuium. 173
Correptio. 175
Crudelitas. Tyrannis. 177
Crux. Crucifigi. 179
Crucis signum. 181
Cunctatio. 183
Cura proximi. 184
Curia. 186
Curiositas. 187

D.

Dæmon. 190
Detractio. 191
Deus. 192
Dei cognitio. 194
Dei benignitas, cura, & prouidentia. 195
Dei potentia. 197
Dei dilectio, cultus & honor. 199
Dei timor. 202
Discendi cupiditas. ibid.
Discordia. 203
Disputatio. 204
Diuinatio. 205
Diuitiæ. 209
Diuitiarum contemptus. 211
Docilitas. 213
Doctrina. ibid.
Doctrina in pretio habita. 215
Dolor. 218
Dolus & fraus. 219
Dux bonus, prudens, strenuus. ibid.

E.

Ebrietas. 221
Ecclesia, eiusq; immunitas & auctoritas. 223
Ecclesia bona. 226
ab Ecclesia arcere indignos. 227
Ecclesiastici honorandi. 228
Educatio liberorum. 229
Electio. 231

Eleemo-

Eleemosyna. 232
Eloquentia. 239
Episcopus. 240
Euangelium. 242
Eucharistiæ sacrificium & sacramentum. 244
Excommunicatio. 250
Exemplum 252
Exprobratio. 255

F.

Facetè dicta. 257
Familia. 263
Festinatio. ibid.
Festi dies. 264
Fides. Fedelitas erga Deum & homines. 265
Fiducia in Deum. 270
Finis. 271
Fœdus. 272
Fœnus & vsura. 273
Forma, pulchritudo. ibid.
Fortitudo animi. 274
Fortitudo bellica. 275
Fortuna. 277
Fuga. 280
Furtum. 281

G.

Garrulitas repressa. 283
Gloria. 284
Gloriæ vanæ contemptus. 286
Gloria cælestis. 289
Gratitudo. 293
Grauiter dicta. 295
Gubernare. 296

H.

Hæresis, Hæretici. 297
Hæretici fugiendi. 298
Historia. 301
Homo. 302
Honor. 304
Honoris contemptus. 306
Horæ canonicæ. 310
Hostis. 312
erga Hostes clementia. ibid.
Humilitas. 314
Humilis sui æstimatio. 319
Hypocrisis. 322

I.

Iactantia. 324
Idola. ibid.
Ieiunium. 325
Ignorantia. 328
Imperium. 329
Impietas. 331
Incontinentia. ibid.
Infernus. ibid.
Ingratitudo. 333
Inscitia. 335
Integritas vitæ. 336
Intemperantia. 337
Inuidia. 338
Iocosè dicta. 340
Ira. 342
Irrisio. 343
Iudex. Iudicium. 344
Iudex corruptus. 347
Iudicium non temerè ferendum. 348
Iudicium Dei. 350
Iudicium extremum. 352
Iuramentum. Periurium. 353
Iurisprudentia. 355
Iustitia. 356

L.

Labor. 358
Laus. 360
Lectio. 362
Lex. 363
Liberalitas. 365
Liberè dicta. 367

Liber-

Libertas. 370
Libido. 371
Libri. 373
Lis, & contentio. 377
Lusus. 378
Luxuria. ibid.

M.

Magistratus. 380
Magnificentia. 381
Maledicentia. 382
Mandata Dei, eorumq́; obseruatio. 383
S. Maria mater Dei. 384
Maritus. 390
Martyrium. 391
Matrimonium. 395
Medicina. 397
Mediocritas. 399
Memoria. 400
Mercedis contemptus. 401
Miles. Militia. 402
Minæ. 403
Miraculum. ibid.
Misericordia. 405
Modestia. ibid.
Monachus. 406
Morbus. 408
Mores. 409
Morio. 411
Mors, eiusq́; memoria. ibid.
Mortis contemptus. 416
Mors generosa. 417
Mors æquè ferenda. 418
Morientium monita, & dicta. 420
Mortificatio. 422
Mulier, eiusq́; fuga perutilis. 423
Mundus. 425
Munus, eiusq́; contemptus. 428

N.

Natura. 429
Nobilitas. 430
Nominis impositio. 431

O.

Obedientia. 433
Obmurmuratio. 435
Obsequium. ibid.
Occasio. 436
Oculorum custodia. 437
Opus. 439
Opera manu exercenda. 440
Oratio siue preces. 441
Oratio assidua. 443
Ordinis sacramentum. 444
Ornatus corporis. 445
Ostentatio. 447
Otium. 448

P.

Parentum amor. 450
Parentum de liberis cura. 451
Par pari relatum. 453
Pasquillus. 454
Passio Christi. 455
Patientia iniuriæ. 457
Patientia doloris. 460
Patientia damni. 461
Patriæ amor. 462
Patriæ ingratitudo. 463
Paupertas. 464
in Pauperes liberalitas & duritia. 467
Pax. 472
Peccatum. 474
Peccati recidiua. 476

Pecu-

Peculatus. 477
Pecunia. 478
Pœnitentia. 480
Peregrinatio religiosa. 484
Perfidia. 485
Periculum. 486
Periurium. ibid.
Perseuerantia. 487
Petitio honesta & inhonesta. 489
Philosophia. 492
Podagra. 494
Poësis. ibid.
Pontifex Rom. 496
Populus. 499
Prædicatio. 500
Principis religio. 502
Principis fortitudo. 503
Principis præsentia. 504
Principis consilium. 505
Principis vita 506
Principis exemplum. 507
Prosperitas. 508
Prudentia. 510
Pudicitia. 511
Punitio. 512

R.

Ratio reddenda. 514
Regnum. 515
Religio vt virtus. 517
Religiosus status. 518
Religiosus habitus. 520
Reprehensio. ibid.
Responsum maturum. 522
Responsum præceps. 524
Restitutio. 525
Risus. 526
Roma. ibid.

S.

Sabbatum. 527
Sacramenta Ecclesiæ. 528
Sacerdotium. Sacerdos. 529
Saltatio. 531
Salus. 532
Salutis neglectus. 534
Sanctorum memoria, & inuocatio. 535
Sanctorum reliquiæ. 537
Sanitas. ibid.
Sapientia. 538
Satellitium Principum. 539
Senectus Senex. 541
Seruitus. 542
Simonia. 543
Simulatio, & dissimulatio. 544
Solitudo. 545
Somnus. 546
Somniorum interpretatio. 547
Superbia. 548
Superstitio. 550

T.

Taciturnitas. 551
Talionis pœna. 552
Temperantia. 553
Templum. 554
Tempus. 555
Tentatio. 556
Timor. ibid.
Timor Dei. 558
Trinitas. 559

V.

Venenum. 560
Verbum Dei. ibid.

Veritas.

Veritas. 561
Vestium neglectus. 563
Vestium vsus & cultus. 565
Victoria à Deo. 568
Victoria virtute paranda. ibidem.
Victoria incruenta. 569
Vincere seipsum. 570
Vindicta. 571
Vindicta neglecta. 572
Virtus. 574
Vitæ huius perfectio. 576
Voluntas. ibid.
Voluptas. 578
Votum. 579
Vulgus. ibid.
Vxor morosa & mala. ibid.
Z.
Zelus erga Deum & Ecclesiam. 581